[illegible]

[illegible]

6
12-A
14 M

6
11 L
35

6-12-A 14
52
6-12-A 52


ET
R.P. HIERONYMI NARNI
Capucini
Excell. Princip.
D. NICOLAO LVDOVISIO
Auctore P. Marcellino
de Pisis Capucino
NIMIVM DILECTE DEO CVI MILITAT ÆTHER
ET CONIVRATI VENIVNT AD CLASSICA VENTI

VITA
R. P. F. HIERONYMI NARNIENSIS
TOTIVS ORDINIS CAPVCINORVM VICARII GENERALIS,

Et Sacri Palatij Concionatoris Apoſtolici.

Opus ſelecta rerum ſupellectile coaleſcens, & concionibus pleraque congrua ſubminiſtrans.

AVCTORE

F. MARCELLINO DE PISE MATISCONENSI

PRAEDICATORE CAPVCINO PROVINCIÆ LVGDVNENSIS.

Excellentiſsimo Principi

LVDOVISIO.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

ROMAE, Typis Manelfi Manelfij. M.DC.XLVII.

SVPERIORVM PERMISSV.

CVM Sanctiſſimus D. N. Vrbanus Papa VIII. die 13. Martij anno 1625. in Sacra Congregatione S. R. & Vniuerſalis Inquiſitionis Decretum ediderit, idemque confirmauerit die 5. Iulij anno 1634. quo inhibuit imprimi libros hominum, qui Sanctitate, ſeu Martyrij fama celebres è vita migrauerunt, geſta, miracula, vel reuelationes, ſeu quæcunque beneficia, tanquam eorum interceſſionibus à Deo accepta continentes, ſine recognitione, atque approbatione Ordinarij, & quæ hactenus ſine ea impreſſa ſunt, nullo modo vult cenſeri approbata. Idem autem Sanctiſſimus die 5. Iunij 1631. ita explicauerit, vt nimirum non admittantur elogia Sancti, vel Beati abſolutè, & quæ cadunt ſuper perſonam; benè tamen ea, quæ cadunt ſupra mores, & opinionem; cum proteſtatione in principio, quod ijs nulla adſit auctoritas ab Eccleſia Romana, ſed fides tantùm ſit penes auctorem. Huic Decreto, eiuſque confirmationi, & declarationi, obſeruantia, & reuerentia, quæ par eſt, inſiſtendo; profiteor me haud alio ſenſu quicquid in hoc Libro refero, accipere, aut accipi ab vllo velle, quàm quo ea ſolent, quæ humana duntaxat authoritate, non autem diuina Catholicæ Romanæ Eccleſiæ, aut Sanctæ Sedis Apoſtolicæ nituntur; ijs tantummodo exceptis, quos eadem ſancta Sedes Sanctorum, Beatorum, aut Martyrum catalogo adſcripſit.

ILLVSTRISSIMO
& Excellentiſsimo Domino
D. NICOLAO
LVDOVISIO
SVMMI PONTIFICIS
INNOCENTII X. NEPOTI,

PRINCIPI PLVMBINI,
Marchioni Populoniæ, Domino Scarlini, Inſularum
Iluæ, Montis Chriſti & Planoſæ,

PRINCIPI VENVSIÆ ET GALLICANI,
Duci Zagarolæ & Fiani, Marchioni Columnæ, & Comiti
Conſæ: ac Maritimæ, & triremium ditionis
Eccleſiaſticæ Generali Præfecto.

PRINCEPS Excellentiſſime. Saul regio clarus imperio, proceſſurus in hoſtes, iniquis artibus procurauit ſibi ſiſti Samuelem virum Deo afflatum, qui nuper è viuis exceſſerat; arbitratus vmbram Prophetæ fore ſibi propi-

tiam, contra inimica Dei agmina conflicturo. Malè tamen ceſsit Regi Samuelis vmbra redux: illa nimirum præſcia diſcriminis, quod inſtabat Sauli, omnia infauſta præſagijt; & omini malo fecere fidem Saulis, & filiorum eius exequiæ, nec non numeroſus Hebræorum exercitus victore gentilium gladio profligatus. Iniquis hiſce fatis Saulem obſtrinxerat impietas in Deum, & Dauidem, quam Deus ad diſtricti ſui examinis trutinam vt appendit, perperam expectata diu meliori fruge, internecione Regis huius familiæ meritò caſtigauit. Te meliora manent omina, PRINCEPS auitæ virtutis hæres, & orbi Chriſtiano date velut firmum præſidium contra feros, & immanes Turcas, in Chriſtianorum plagas fortiter irruentes. Te Principem ſtupuit Europa nuper vxori nepti Summi Pontificis Innocentij X. iunctum, oblitum coniugem, & cantus hymenæos, vt cataphractus, caput impauidum obijceres hoſti, incurius æſtus, qui tunc erat flagrantiſsimus Romæ, Sole videlicet Leonis ſignum tunc temporis eluctante. Citra metum aſſentationis dixerim, te contempſiſſe Solis inanimi radios, qui

à Leo-

à Leone ferum quid, & lethale trahunt, quia Sol iuſtitiæ Chriſtus in te animo Leonino, & forti cœlitus influxerat.

PRINCEPS præſtantiſsime, decus & deliciæ orbis Chriſtiani, ecce tibi ſiſtitur hodie vir rediuiuus, olim curiæ Romanæ notus, vtpote virtutum omnium ſumma clarus, & prædicationis dono famoſiſsimus. Hic eſt Pater Hieronymus Narnienſis Capucinus, adeo deuinctus Excellentiſsimæ familiæ tuæ, vt germanus tuus, Eminentiſsimus Cardinalis Ludouiſius, conſcius affectus, quo ſuam ille Pater familiam Ludouiſiam deperibat, pertæſus ſit vitam, arbitratus ſe duntaxat eſſe Patre Hieronymo mortuo ſemiuiuum. Namque Patre Hieronymo extincto, frater tuus morte velut conducta, licet vegeta ætate iubar præfulgidum eſſet, deſijt illucere. Vt germano tuo concolor es, ego, qui reducem facio Patrem Hieronymum, eum ſiſto tibi, ſub cuius auſpicijs eius geſta fiunt publici iuris, præfixo tuo nomine celebrato.

Obijciet fortè inuidus aliquis, cur Principi Ludouiſio nuncupare librum, quo ſeries eſt

contexta vitæ Patris Hieronymi? Huic malo nodo, valenti cuneo occurro dicens, conſulta ratione, & gratitudine vrgente, tuis auſpicijs prodire librum iſtum, qui ære tuo obſtetricante, lucis vſurâ dignatus eſt. Dauid Ionathæ obſtrictus, eo mortuo non potuit reciprocas exhibere vices illi ſuo prouido Mecœnati; ſed vt omnem animi ingrati notam abſtergeret, vnico Ionathæ filio reſiduo debitum cum fœnore exoluens, animum ſuum memorem acceptæ olim gratiæ commendauit. Hanc Dauidis induſtriam æmulor in nuncupatione libri huius: congero nimirum in te vnum ſuperſtitem ex præpotenti familia Ludouiſiorum, hoc ſpecimen gratiarum, quibus eſt deuincta Religio noſtra tuæ familiæ, ex qua nos tot poſſumus recenſere patres, & benefactores præcipuos, quot enumerare vales atauos, & proceres, quos præcipuæ orbis dignitatum infulæ decorarunt. Vltrò prætereo dona, quibus Bononiæ deuinxere ſibi Capucinos anteceſſores tui, & paucis ea perſtringam, quorum eſt conſcia Roma, mihi inſultatura ſanè, quia in recolendis beneficijs collatis in Religionem noſtram à patruo tuo

Gre-

Gregorio X V. Pontifice Maximo, & germano fratre tuo Cardinale Ludouiſio, exilis erit oratio, vt & ſtylus artifex inglorius. Sed vt gratiæ acceptæ publicatio pars eſt gratitudinis; ita profitendo memet imparem eſſe ad texendum ſeriem gratiarum, quas erogauere tui Maiores in nos Capucinos; animum noſtrum profectò prodam nuſquam immemorem, qui ſi alternas bonorum nequit referre vices, inde tibi animo addicto ſtrictior adhærebit.

Noſtris altè inſedit animis affectus ille tener, quo Gregorius X V. inſigne decus familiæ tuæ, noſtram congregationem amplexus eſt, quando mortuo Cardinale Montalto Protectore noſtro, ſuum nepotem germanum tuum Cardinalem Ludouiſium dedit nobis in amoris ſui indubij pignus, vt & in Religionis noſtræ tunc orphanæ Protectorem. Vtque ſuam indolem abundè nobis propitiam teſtaretur adhuc hic Pontifex de orbe toto Chriſtiano benè meritus, adſciuit ex Religione noſtra Patrem Hieronymum, vt Sacri Apoſtolici Palatij Prædicatorem ageret, ipſo Pontifice Opt. Max. ſtipato Sacro Cardinalium Collegio adſtante, cum ſe-

leƈta Dei eloquia Capucinus ille ſuo de pulpito reſonabat.

Dignus profeƈtò fuit Pontifice tanto nepos frater tuus Cardinalis Ludouiſius, in quem paternus amor, quo Capucinorum familiam dignatus eſt patruus ille tuus Gregorius, viſus eſt integer influxiſſe. Tanti quippe fecit titulum hunc Proteƈtoris Capucinorum, vt in comitijs noſtris generalibus habitis Romæ, quò ex orbe toto conueniunt præcipua Religionis noſtræ columina, ſic anno MDCXXV. Cardinalis ille Patres pendentes narrantis ab ore áffatus ſit: Deo moderante rerum omnium ſortes, Gregorius patruus meus eleƈtus eſt in ſummum apicem Eccleſiæ, magnique duco me nepotem eſſe Summi Pontificis, quo indulgente ſacra etiam purpura adauƈtus ſum, & eueƈtus ad primas Romanæ Curiæ Præfeƈturas. Sed eſto queant conciliare mihi inuidiam eximiæ illæ dotes, & infulæ; non inde tamen concipio tantam animi lætitiam, quantam percipio, me Proteƈtoris Capucinorum titulo recreante. Quippe ferax eſt bonorum animæ tale munus, & omnino vaçat periculo, in quod incurrunt

om-

omnes, quos delectat aura afflantis curiæ ventilari. Regulæ Fratrum Minorum inſtitutor Seraphicus Pater profeſſores ſui inſtituti obſtringit, vt Cardinalem habeant, qui ſit congregationis huius Gubernator, Protector, & Corrector. Tria munera ſunt hæc, gubernare, protegere, corrigere: vnum duntaxat vendicabo mihi, ſcilicet Protectoris officium, gubernare nolens homines haudquaquam indigos mei regiminis: dedignor & munus correctoris, vbi nihil eſt deuium, ſed omnia recto tramite incedunt, ipſa Capucinorum Religione tota compoſita ad amuſsim ei initio præſtitutam. Amplector ego has ſolùm partes, quæ Capucinos cordi meo inſinuant; morte tenus agam Protectorem veſtrum, aperto ſinu vos excipiam, & fouebo, nec potius quidquam veſtra Religione ducam, cuius emendico preces, vt vota mea cuncta cedant, ad gloriam Dei, & Religionis veſtræ maximum incrementum.

Sic perculit aſtantes omnes illa ſincero amore flagrans oratio, vt iubilum cordis emergentem inde fletus ſuauis exceperit, omnibus ſic affectis erga tuum hunc germanum Cardinalem,

vt

vt diffuſi Patres Capucini in omnes orbis oras eximiam pietatem Principis huius ore patulo propagarint. Argumentum & illuſtre fuit affectus eius, quòd mutato ſitu priſci cœnobij noſtri Romæ, nouum voluit inſtaurare, penu immenſo nobis exhibito, nec non & huic operi conſecrato.

Vt proſperè omnia ceſſere primo Imperatori, qui Antonini nomen ſortitus eſt, ita & alij, qui poſtea Imperij tenuere clauum, adſciuere ſibi nomen Antonini, illa nomenclatura rati ſe conciliare ſibi fortunam propitiam. Duo Cardinales ex familia Ludouiſiorum fuere nobis Capucinis benefici; habemus & in tertio Ludouiſio Cardinale tuo conſanguineo inſiti affectus proſapiæ tuæ in nos indicia vtique luculenta: ita vt eſſe Cardinalem Ludouiſium, perinde ſit atque ſidus eſſe nobis fauſtum, religione noſtra vigente fœta bonis operibus, in eam hoc benefico ſydere iugiter influente.

Hæc ſunt argumenta, quibus eſt Religio noſtra tuis in nominibus. Nam vt es auitæ virtutis hæres, vt & familiæ, quæ in te ſolo viget; ita ſuum te agnoſcunt, & prædicant Capucini om-

nes creditorem beneuolum,ſuamque fidem oppignerant fore tibi,tuiſque gratos ſe, quia apud eos eſt beneficiorum gratia ſempiterna.

Vt æris alieni profeſsio debitori conciliat creditorem, cui plerumque ſolo chirographo ære deficiente ſatisfit; ita rerum omnium copia deficiente tibi obſtrictos Capucinos, habe gratam hanc chartam indicem animi noſtri, & præconem gloriæ eius,quam præclaram magna tibi meritorum ſerie comparaſti. Non eſt verecunda confeſsio debitori,quando ſtipat ingens gloria creditorem. Idcirco conſulturus ego verecundiæ noſtræ,volo qualis ſis creditor oſtendere,ex compendio rerum à te geſtarum, curſim vitæ tuæ ſumma capita delibando. Suſtine quæſo ſciri orbe toto, ſicut es & in Vrbe notus. Ludouiſiorum familia præclara ſatus, optimis ſupra ætatem literis tinctus, Gregorio XV. Papa, nepos Summi Pontificis iuuenis extitiſti. Impotens eſt fortunæ ſpecies, illudit illa ſuis amaſijs, qui naturam dediſcunt, aura populari leniter aſpirante. Attamen nihil inde tibi diſcriminis obrepſit, quin imò gloriam non à parentela Pontificia, ſed à virtute præcoqua

ma-

maturaſti. Ætatis enim floridæ varios æſtus compeſcere inter obſequia fortunæ, res rara; quia contra eius blandientis inſidias, non eſt cauta ſatis indoles humana malis omnibus opportuna. Sub Innocentio X. Pontifice Opt. Max. demum ſecundò nepos, eandem fortunam reducem moderatè foues, nec tantillùm de tot & tantis vtriuſque ſortis æquioris dotibus inſoleſcis.

Itaque ſicut Sol medius inter planetas Martis, & Veneris rutilus influit, ita duos inter Pontifices vtriuſque nepos irradias. Gregorio VNO AVVLSO, Innocentius X. æquè Papa NON DEFICIT ALTER. A Gregorio Papa tuæ familiæ venuſtati multum adiectum eſt: ab Innocentio verò tibi Martis inſignia collata ſunt, cùm triremium ditionis Eccleſiæ nobili præfectura, ſicque tuæ fidei, & tutelæ mare fuit commiſſum, dicente tibi Roma velut altera Troia.

Sacra ſuoſque tibi commendat Troia Penates.

Natura Papæ Gregorio te conceſſit, ſed Innocentius X. non attendit ad naturam, cuius in te ſingulares coaluere dotes; ſed virtutis momenta librans, neptem ſuam, non fortunæ tuæ, ſed

me-

merito collocauit. His virtutum ſcalis eò euectus es, vnde micas, & emines; ita tibi conciliando vota omnium, vt mente præſaga dicat vnuſquiſque, claſſem Eccleſiæ te Præfecto fore victricem ſemper, quaſi Poëta tibi ſic iubilans occiniſſet:

O nimium dilecte Deo, cui militat æther,
Et coniurati veniunt ad claſſica venti.

Non in hoc æuo ſolùm degentibus es beneficus, ſed etiam & ſublatis è medio: quippe tuis ſumptibus prælò commiſſa vita Patris Hieronymi Narnienſis, eum cogit ex loculo plumbeo, quem confecit ei frater tuus Cardinalis, has tibi referre grates. PER TE RESVRGO. Vt Sole irradiante, Regis Memnonis ſtatua marmorea vocalis erat, & miros edebat ſonos, & concentus: ita te affulgente toti Eccleſiæ, ecce vitæ redditur homo, qui ceſſerat fatis, & qui patrui tui Gregorij XV. Summi Pontificis prædicator extitit, lucis huius vſura fruens, deſunctus me conduxit, vt tua facta eius nomine celebrarem. Quem ſæpe deoſculata manu eius coluiſti iuuenis, hunc vir effectus amplectere effectum, pietatis tuæ gratia rediuiuum. Æqui

etiam

etiam boniqueconſule qualeſcunque niſus, & conatus, quos in gratiam tui exerit encomiaſtes. Romæ Kalend. Nouemb. 1646.

Illuſtriſsimæ Excellentiæ Tuæ

Addictiſsimus, & obſequentiſsimus

Fr. Marcellinus De Piſe Matiſconenſis
Prædicator Capucinus.

APPRO-

Reuerendiſſimo Magiſtro Sacri Palati Apoſtolici.

VIta piæ memoriæ P.F.Hieronymi Narnienſis Capucini ab Adm. R.P. Marcellino De Piſe Matiſconenſi eiuſdem Ordinis Prædicatore conſcripta, & à me authoritate Reuerendiſſimæ Paternitatis Tuæ cognita, probatur & ſpecimine rari argumenti, & appoſita Scriptoris elegantia. Et cùm nihil habeat in ſanam doctrinam, & bonos mores pugnans, imò contrà, inſtituto Chriſtiano, & religioſæ diſciplinæ maximum additura videtur momentum: Ea gratia, ſi Reuerendiſſimæ Paternitati Tuæ Iubeat, cenſeo publico iure, & luce dignam, & quæ ad exemplum poſterorum tranſmittatur. Romæ ann. 1641. 15. Auguſti.

Melchior Inchoffer Societatis Ieſu.

ADM. R. P. GENERALI MINISTRO
Ordinis Capucinorùm.

TVis acceptis epiſtolis Adm.R.P. iuſſis vt obtemperarem, prout meæ partes erant, vitam R. P. Fratris Hieronymi Narnienſis, à P. F.Marcellino De Piſe Concionatore Capucino literis exaratam attentè perlegi, diligenterque perpendi: & reuera triplicem illam, ac vulgatam boni rationem, honeſti ſcilicet, vtilis, ac delectabilis, in hanc vnam hiſtoriam oratorio genere perſcriptam coaluiſſe comperi. Primò namque præclaræ dicti P.Hieronymi virtutes, quæ honeſti, bonique ſibi vendicant nomen, illic emicant, quæ cùm graphicè, ea-

que

que tradantur methodo, vt legentium animos ſibi facilè alliciant; vtilitatis quamplurimum conducere neceſſum eſt. Cultior verò ſcribendi elegantia, ac vndequaque ſelecti veterum recentiorumque hiſtoriarum flores, atque congruentiſſimæ Sanctorum Patrum ſententiæ hinc inde appoſitæ, vniuſcuiuſque animum oblectabunt. Cùm igitur ea ſit boni indita natura, quòd alijs communicetur; dignum ſanè cenſeo, vt opus huiuſmodi typis quantocyus demandetur: vt qui viuam è ſuggeſto Hieronymi vocem penduli audierunt, vel quorum animis ſuperſtites eiuſdem conciones prælectæ quaſi tonitrua intonuerint, hinc eorumdem affectus quot virtutum exemplis, tot quaſi fulminum ictibus perciti cælitus inardeſcant. Pater optime, Vale. Datum Romæ, Pridie Kalendas Decembris 1641.

Humilis filius, ac ſeruus in Domino
Fr. Chryſoſtomus Romanus Sacræ Theologiæ profeſſor immeritus.

FIdem facio ego Fr. Ioannes Maria Vtinenſis, Ordinis S. Franciſci Capucinorum Concionator, & Sacræ Theologiæ olim profeſſor, me iuſſu, & commiſſione Adm. R. P. Ioannis à Monte Calerio eiuſdem Ordinis Generalis Miniſtri perlegiſſe elucubrationes R. P. Marcellini De Piſe eiuſdem Inſtituti concionatoris in vitam Adm. R. P. Hieronymi Narnienſis eiuſdem Religionis Vicarij Generalis, & Sacri Palatij Concionatoris Apoſtolici, rhetorico more, & ſtylo verbi Dei præconibus accommodato, piè, ac eruditè conſcriptas, plurimiſque ſubinde digreſſionibus pro varia rerum, ac temporum occaſione, & opportunitate, ad optimam morum inſtitu-

tu-

tutionem, & regularis cumprimis diſciplinæ informationem apprimè conducentibus, vberrimè locupletatas, & nihil in illis offendiſſe vel orthodoxæ fidei aduerſum, vel à Chriſtiana pietate abſonum, & diſſentaneum, quod vlli iure ac merito eſſe queat impedimento, ne typis mandentur: ſed eas quidem ita concinnatas deprehendiſſe, vt ob magnam quam præferunt pietatem, ac eruditionem, in lucem quamprimum prodire promereantur. Ita ſentio, & affirmo. Dat. Romæ in loco noſtro Conceptionis Deiparæ. Pridie Nonas Ianuarij 1641.

Fr. Ioannes Maria Vtinenſis Concionator Capucinus, & Sacræ Theologiæ olim profeſſor.

EGo Fr. Claudius Antonius Dolanus, Ordinis Capucinorum Concionator, Philoſophiæ, & Sacræ Theologiæ Lector, fidem facio, opus R. P. Marcellini De Piſe Matiſconenſis, quod inſcribit, VITA ET GESTA R. P. HIERONYMI NARNIENSIS, &c. à me in Conuentu noſtro huius almæ Vrbis, de ordine, & mandato Adm. R. P. Simpliciani Mediolanenſis, eiuſdem Ordinis Procuratoris, & Commiſſarij Generalis, perlectum fuiſſe, nihilque in eo repertum Catholicæ Fidei, Eccleſiaſticis decretis, aut ſanæ doctrinę repugnans: ſed omnia ad pietatis ſtudium, virtutis amorem, ſtatus religioſi commendationem plurimum conducere poſſe viſa ſunt. Quare tale opus dignum iudico, quod ad fidelium ædificationem, in lucem prodire, ac typis mandari poſſit, ac debeat. In quorum fidem, ſubſcribo qui ſupra. Datum Romæ in Conuentu noſtro. Die vndecima Nouemb. 1646.

Fr. Claudius Antonius Dolanus Capucinus.

FACVLTAS R. ADMODVM P. GENERALIS Totius Ordinis F. Minorum Capucinorum.

NOs Fr. Simplicianus à Mediolano Ordinis Minorum S. Franciſci Capucinorum, in Romana Curia Procurator,& Commiſſarius Generalis,poteſtate ad id nobis facta ab Adm. R. P. Innocentio à Calatagerone,eiuſdem Ordinis Miniſtro Generali,facultatem facimus, vt Liber, cui titulus eſt, VITA ET GESTA ADM. R. P. HIERONYMI NARNIENSIS, Auctore R.P.Marcellino De Piſe Concionatore Capucino,ab aliquibus noſtræ congregationis Theologis recognitus, & approbatus, ſeruatis ſeruandis, typis mandetur. In quorum fidem has literas manu propria ſubſcriptas, & ſigillo noſtro munitas,dedimus. Romæ die 12. Nouembris 1646.

Fr. Simplicianus à Mediolano Procurator, & Commiſſarius Generalis.

Imprimatur, ſi videbitur Reuerendiſs. P. Magiſtro Sacri Palatij Apoſtolici.

A. Victricius Epiſc. Alatrinus Viceſg.

Imprimatur. Fr. Vincentius Candidus Sacri Palatij Apoſtolici Magiſter, Ord. Præd.

INDEX

INDEX CAPITVM.

VNde Hieronymus fuerit oriundus. Caput I. pag. 1
Quibuſnam parētibus editus eſt Hieronymus. Cap. II. 7
De natiuitate Hieronymi. Cap. III. 12
Qua pietate fuerit Hieronymus ab vtroque parente educatus. Cap. IV. 15
Quantum profecerint parentes Hieronymi præſtito ei virtutum omnium exemplo. Cap. V. 24
Quæ argumenta pietatis effulſerint in Hieronymo adhuc impubere. Cap. VI. 35
Quæ humilitatis ſpecimina, puer Hieronymus ediderit. Cap. VII. 44
In puero Hieronymo, quantus candor caſtitatis enituit. Cap. VIII. 55
Puer Hieronymus ſæpe ſodalibus ſuis è pulpito prædicabat. Cap. IX. 65
Qua induſtria puer Hieronymus ſtudiū orationis excoleret. Cap. X. 73

Hieronymus annorum duodecim, Capucinos ſolicitat, vt inter nouitios adſcribatur. Cap. XI. 84
Hieronymus quindecim annos natus inter Capucinos adſcribitur. Cap. XII. 94
Hieronymum parentes importunè ſolicitāt, vt depoſito religionis habitu redeat in ſæculum. Cap. XIII. 99
Hieronymum nouitium denuo pater ſolicitat ad egreſſum, duorum Præſulum ad hoc ope mendicata. Cap. XIV. 109
Magus quidam ſuis incantationibus Hieronymũ infeſtat, ne perſeueret. Cap. XV. 122
Quid ſingulare acciderit in profeſsione, id eſt in voto ſolenni religionis emiſſo à Hieronymo Narnienſi. Cap. XVI. 129
Hieronymus impetrat vt redeat Ameriã, denuo cũ nouitijs exercẽdus. Cap. XVII. 138
Hieronymus interuentu Epiſcopi Narniæ reconciliatur patri ſuo. Cap. XVIII. 144
Hieronymus ſuperiorum iuſſu vacat ſtudijs Philoſophię, ac Theologię. Cap. XIX. 154
Hieronymus nondum ſacerdotio initiatus in lectorem præficitur, ſuos diſcipulos ad virtutes,

tutes, & ſcientias nouis artibus inſtituens. Cap. XX. 159

Hieronymus in omnium virtutũ praxi exercitus, magno hominum concurſu verbum Dei diſſeminat. Cap. XXI. 163

Paulus Quintus Pontifex in prædicatorẽ eligit Hieronymum, & hũc ſacro Cardinaliũ Collegio perquamgratũ. Cap. XXII. 171

Paulo Quinto mortuo, ſucceſſor eius Gregorius XV. eundem Hieronymum cõfirmat in pulpito ſacri Palatij. Cap. XXIII. 181

Gregorio XV. mortuo, Vrbanus VIII. omnẽ mouet lapidem, vt Hieronymus nõ dimittat pulpitũ ſacri Palatij. Cap. XXIV. 188

Hieronymus inuitus in religione ſummos honorum titulos adeptus eſt. Cap. XXV. 195

Hieronymi Narnienſis induſtria, & zelus in procurãda ſalute animarũ, dũ geſsit ſũmas in ordine præfecturas. Cap. XXVI. 204

Humilitas Hieronymi nulla honorum pompa potuit temerari. Cap. XXVII. 212

Amore Dei Hieronymus totus incanduit. Cap. XXVIII. 227

Puritas animæ mira fuit in Hieronymo, vt-

pote nullis vnquam vitijs inumbrata. Cap. XXIX. 238
Miſſæ ſacrum, qua pietate faciebat Hieronymus, illi myſterio valde affectus. Cap. XXX. 250
Diuinis officijs, quo pietatis affectu Hieronymus Narniẽſis aſsiſtebat. Cap. XXXI. 261
Orationis aſsiduæ cultor eximius fuit Hieronymus Narnienſis. Cap. XXXII. 271
Genuflexionibus ſtato numero repetitis Hieronymus die & nocte Deum adorabat. Cap. XXXIII. 285
Beatam Mariam Virginem, & Sanctos pietate ſingulari Hieronymus excolebat. Cap. XXXIV. 294
Flagellationibus quotidianis lacerum corpus habuit Hieronymus Narnienſis. Cap. XXXV. 305
Patientia ſingulari tulit diuturnas infirmitates ſuas Hieronymus. Cap. XXXVI. 315
Abſtinentia ſingulari Hieronymus excelluit. Cap. XXXVII. 328
Solitudinis amãs Hieronymus omniũ hominũ colloquia cautè fugit. Cap. XXXVIII. 338

Caſti-

Caſtitatis candor in Hieronymo ſingularis enituit. Cap. XXXIX. 350
Paupertatis altiſsimæ Hieronymus extitit rigidus obſeruator. Cap. XL. 359
Obedientiæ exquiſitæ ſpecimina quanta ediderit Hieronymus. Cap. XLI. 366
Charitate in proximum Hieronymus ſemper efferbuit. Cap. XLII. 372
Morte inſtante, quomodo Hieronymus ſe aptarit ad hunc agonem extremum. Cap. XLIII. 379
Mortuo Hieronymo Narnienſi, quantus honor ſit habitus. Cap. XLIV. 389

PRAE-

PRAEFATIO
APERIENS RATIONEM, & fidem huius hiſtoriæ.

SINGVLIS quibuſque ſæculis, querula vox plurium hominum inſonuit, qui carpſere ſuos anteceſſores, eò quòd egregiè facta virorum illuſtrium ſuæ ætatis, inglorio ſilentio turpiter inumbrarint. Et reuera Reipublicæ intereſt, præclara quæque facinora hominum inſignium ſciri, vt ſic vernacula fiat virtus, & exculta. Illa nimirum vis eſt actionis ingenuæ, vt eius obiectu animus æſtimator ſui protinus accendatur. Eo ſolo nomine Poëtis indulſere Lacones, omne voluptatis ſpecimen exoſi; vt carmine grandiloquo, & ſonoro, ciuium pro patria extinctorum bella, triumphos, & vulnera decantarent. Proceres hi Græciæ perſpicacis ingenij, maximè conſcij quantùm poſſint in animos Heroum egregiè facta, vt iuuenes excitarent ad ardua, voluere in faſtos, atque panegyres illa componere: imò & Spartæ ſancitum eſt, ad modulos occinere verſus illos heroicos, vt ad magna ſeſe accingerent, etiam impuberes, hiſce laudum ſtimulis excitati. Roma illa vetus, cui ab incunabulis ſemper inſedit, ſeſe totam ad Græciæ inſtituta componere, magni fecit titulos omnes aſſertores meritorum, quibus effulſere viri inſignes,

vt fidem priſca facit hiſtoria, crebro recenſens annulos, torques, coronas, ſtatuas, triumphos, & cætera id genus ſtemmata dignitatis. Quæ omnia argumenta virtutis emeritæ, quantùm potuerint in homines, Scipio ſuomet exemplo teſtatus eſt, profeſſus ingenuè, ſtatuas in foro poſitas heroibus, fuiſſe ſtimulos vtique validos, qui animum hactenus incurium ad ardua perurgebant. Et vt ſanctiore tono occinat oratio: nonne ipſa ſacroſancta Eccleſia cœlitus afflata, ſonat ardua beatorum facta, vt ad æmulationem eorum accendat omnes, qui cenſentur nomine Chriſtiano?

Plutarc. in Scipio.

Exempla virorum illuſtrium nos excitant.

Hoc fuiſſe intẽtum Eccleſiæ, Baſilio aſſertore liquet. *Beatorum*, inquit, *hominum vitæ, memoriæ prodita, tanquam ſimulachra quædam animata propoſita ſunt vitæ ad normam diuinam*. Vnde, quia exemplis, quædam virtus eſt inſita ſolicitans animos ad ſimiles impetus; omnibus artibus inolitum eſt, ad principes eius, quam profitentur induſtriæ prouocare. Eo argumento ſe ſuoſque Hieronymus excitabat, ita fatus. *Habet vnumquodque propoſitum principes ſuos, Romani duces imitentur Camillos, Fabricios, Scipiones. Philoſophi proponant ſibi Pythagoram, Socratem, Platonem, Ariſtotelem. Poëtæ æmulentur Homerum, Virgilium, Menandrum, Terentium. Hiſtorici Salluſtium, Herodotum, Liuium. Oratores Lyſiam, Demoſthenem, Tullium. Et vt ad noſtra veniamus, Epiſcopi, & presbyteri habeant in exemplum Apoſtolos, & Apoſtolicos viros, quorum honorem poſſidentes, habere nitantur & meritum. Nos autem habeamus propoſiti noſtri principes, Paulos, & Antonios, Iulianos, Hilariones, Macarios. Noſter princeps Elias, noſter Eliſæus, noſtri duces, filij Prophetarum, & qui habitabant in agris, & ſolitudinibus, & faciebant ſibi tabernacula iuxta fluenta Iordanis*. Hæc ille, luculenter adſtruens; expedire viros in aliqua profeſſione claros, ætati poſteræ commendari. Cùm igitur Hie-

Baſil. ep. 1. ad Gregoriũ Theologũ.

Hieron. ep. 19. ad Paulinũ de inſtitut. monachi.

Hieronymus Narniẽſis inſignis fuerit inter Capucinos, vtpote Vicarius Generalis,& duorum Pontificum prædicator adeo ſingularis, vt curiam totam ſibi arcto fœdere deuinciret; ſtatim atque ceſſit ille fatis, Reuerendiſſimus Pater Ricardius Magiſter Sacri Palatij luculenta epiſtola ad noſtros miſſa præmonuit edi in lucem ea, quæ pertinebant ad Hieronymum, quem ſuperſtitem tanti faciebat, quanti videre eſt ex eius reſcripto typis ſanè digno, & huic hiſtoriæ adiecto, quia magni huius viri encomio noſter Hieronymus in pręclara hominum illuſtrium eſt ſerie recenſendus.

Reuerendus Admodum Pater Felicianus Procurator, & Commiſſarius Generalis, conſcius meritorum huius magni profectò viri, hoc indixit pẽſum R.P. Prouinciali Vmbriæ, vnde erat R. P. Hieronymus oriundus. Hæc præcepti ſumma fuit: vt iuridico examine, & præuio iureiurando teſtium, colligeret ea, quæ ſpectabant ad vitam R.P. Hieronymi. Præſtò morem geſſit præfectus illi Prouinciæ, ſerioque manum admouens huic operi, ſcripta excepit viginti & trium Capucinorum, qui oppignerata fide ſua, retulere ſibi cognita de viro hoc, cuius acta potiora ſedulò poſcebantur. Adiecit & Prouincialis ille fidem ſuam ſcripto, vnde vitæ Hieronymi ſeries eſt confecta, vt hæc hiſtoria maioris eſſet ponderis, & momenti. Vt virtus emerita mori neſcia, eſt etiam poſt fata ſuperſtes, Excellentiſſimus Princeps Ludouiſius, in quem Eccleſiæ domus inclinata ſuas refundit curas, & negotia præcipua. Nepos, inquam, ille duorum Pontificum, nihil niſi magna verſans eo animo, quem maximum ſortitus eſt, arbitratus non eſſe rem imparem ſuæ dignitati, procurare vitam edi Hieronymi Narnienſis vrgere cœpit prima religionis noſtræ columina, vt idiomate Latino vita viri huius magni compacta proſtaret. Congruum quippe ratus eſt vir ille

le Excellentiſſimus, promulgare vitam illam ſermone, qui orbe toto queat Hieronymi merita propagare.

Eo nomine Romam adſcitus ſum, vt illi negotio incumbam,& ex chartulis Italico ſermone recenſitis indigeſta mole, promam hiſtoriam muſæo lepore gratam, & congruo ordine concinnatam. In me præcipuus cardo vertitur hiſtoriæ, quæ reuera rite commiſſa eſt mihi homini peregrino: periculum namque fuit, ne indigena gratijs obſtrictus à Patre Hieronymo, luxuriante ſtylo veritati detraheret, vt ſic adijceret fœnori gratiarum. Secus etiam fieri potuit, vt rigidiore diſciplina offenſus Vicarij huius Generalis, parcior eſſet in texendis eius encomijs, vt ſic acerbitate effuſa, bilis amplior exudaret. Sicuti ſincerus oculus debet eſſe coloris expers, ne diſcolor ſit aſpectus, ſpecies ab obiecto referens penitus alienas: Sic & hiſtoricus omnem propemodum debet perſonam exuere; ne dum deuijs indulget affectibus, veritas ſit odij, vel amoris, tegmine perſonata. Eum me præſtabo, quem decent indictæ vices hiſtorici: quippe fero animum, nec deuinctum, neque læſum à viro, cuius acta recenſeo. Iuxta ſchedas, & chartulas teſtium oppignerata fide graues, texam hiſtoriam, equidem ſinceram,& ſpreta cuiuſque rei peregrinæ acceſſione nudam; eſto viri precelebris, quem tinxerunt omnes ſcientiæ, facta ſcitu digna mereantur habere ancillantes omnes eius funeri diſciplinas.

Præfatus ſum Hieronymum tria habuiſſe, in quibus excelluit. Fuit namque Capucinus regulæ ſuæ ſequax inoffenſo pede. Ad præaltas religionis curas, atque dignitates euectus, cenſor acer extitit vitiorum, ſicut & virtutis prouidus ampliandæ. Quales, & quantas habuerit in prædicando dotes, ſatis ſuperque clamat calculus ille concors duorum Pontificum, qui eum adſciuere ſibi in præconem verbi Dei, magno applauſu curiæ purpuratæ.

ratæ. Hæc itaque contextura vitæ Hieronymi, ad plurium hominum commoda conducet, quandoquidem ille vices plurium hominum geſſit. Etenim ex Valeria-
S.Valerian. homil. 17. no: *Citò ſedet animis, quod docetur exemplis*. Et præcipuè, quando facta fluunt ab homine omnibus accepto. In eam ego ſpem aſſurgo, ſcilicet Hieronymum, in quem benè boni omnes fuere affecti, habiturum pleroſque ſequaces vitæ ſuæ, & cultioris æmulos inſtituti. Vnde libet concludere præambulum iſtud, hac Sym-
Symmach. lib. 4. ep. 7. machi ſententia. *Orationis huius edendæ fauor ciuium dedit: nam ſpes alitur exemplis, & placiturum eſſe præſumimus, quod alijs iam placuiſſe gaudemus.*

Vnde



P. HIERON. NARN. CAP.

Vnde Hieronymus fuerit oriundus. Caput I.

SANCTIORIS Scripturæ ritus eſt, percenſere tribus, & parentes hominum illuſtrium, & præſertim cùm agitur de contextura rerum, quas memorati codice ſacro viri fortiter exantlarũt. Inde Dauid dicitur Bethlehemites à patria; vt & Ieſus, Nazarenus à ciuitate, quæ prima Deum excepit hominibus appoſitum, in ergaſtulo virginis illibatæ. Et hunc induère morem Scriptores Gentilium, valde ſoliciti inueſtigare genus, & patriam eius, quem deſcribunt, ne incurrant in diſcrimen eius hiſtorici, qui prætereundo patriam Homeri, toti Græciæ inuiſus fuit, quippe totam diſſecuit iurgijs inteſtinis. Septem namque ciuitates, & hæ prænobiles, dum vendicare ſibi voluere cunas, & natale decus Homeri Poetarum omnium facilè Principis, mutuis eam ob rem odijs exarſerunt. Hæc diſcordiarũ ſemina Cicero commemorat ita fatus [Homerum Colophonij ciuem dicunt eſſe ſuum, Chij ſuum vendicant, Salaminij repetunt, Smyrnæi verò ſuum eſſe confirmant: multi præterea pugnant inter ſe, atque contendunt] Gellius litem illam totam egregio diſtycho complectitur.

1. Reg. 16.

C... pro Arch.

Gell. lib. 3. cap. 11.

Ἑπτὰ ἐριδμαίνουσι πόλεις διὰ Ὁμήρου,
Κύμη, Σμύρνα, Χίος, Κολοφὼν, Πόλος, Ἀργὸς, Ἀθῆναι.

Ab hac iniuria fuère procul alij omnes, qui texuere vitam alicuius nominis: etenim auſpicati ſunt ſemper à patria viri, quem celebrant, ſuam hiſtoriam. Imò & inoleuit, cognomen ex patria deductum adijcere nomini hominum, quorum memoriam volunt in ſæcula

propagare. Hinc Hippocrates dicitur Cous, Ariſtoteles Stagyrita, & Apollonius Tyanæus; petitis à patria titulis,quibus ab alijs eiuſdem nominis hominibus congruè diſpeſcuntur. Ne igitur hiulca foret hiſtoria vitæ Hieronymi noſtri, ſi tacita patria decurreret; hinc vt à carceribus exordiar.

Hieronymus Narniæ primùm huiuſce lucis vſuram accepit. Narnia ciuitas eſt Vmbriæ procul ab vrbe Roma quadraginta milliaria, qua Spoletum itur. Vrbs ſanè quondam maioris, quàm ſit hodie nominis, vtpote chara T. Flaminio, qui ad Thraſimenum lacum cum Hannibale congreſſus, ſorte cecidit infœlici. Vir ille clarus viam Flaminiam ſtrauit, à Roma Ariminum vſque; Narniamque illa via ſitam in delicijs habuit, vt egomet vidi ſtupens argumenta amoris eius, inter rudera ciuitatis. Nempe labore importuno terebrauit mõtes Narniæ conterminos, vt alueo lapideo deduceret aquas in vrbem ſine hac induſtria ſitibundam. Conſulis huius ope deſudat & hodie ciuitas illa ferax aquarum; quarum vt eſt prodiga,ita eſt & indiga vini,quod parcè illuc aduehitur,frigidæ potioni ab vnguiculis,ciuibus aſſuetis. Narnia colli inſidet, ad quem ſcopulis inciſis aſcenditur. Vrbs eſt aperta Soli orienti, vt eidem dum occidit inaſpecta. Nam verſus occaſum mons imminet vrbi, quam ſubiectam modico ſupercilio deſpicit, & inumbrat. Quà deorſum collis inclinat, exudat amnis, cui nomen Nar: eius influentibus aquis,Tyberis ingraueſcit. Vt omnia tempore fatiſcunt, ita & crediderim olim fluuium hunc maiorem aquarum vim in Tyberim inuexiſſe. Nar enim priſcis agnitus auctoribus nomen hinc inde ſibi fecit grande; ſed hoc hodie tenuis vnda premit. Virgilius & Lucanus meminere Naris, Ita Poetarum apex:

Virgil. 7. Aeneid. ———*Sulphurea Nar albus aqua*

Sic

Sic occinit & Lucanus:

——————*Nar Tyberino illabitur amni* *Lucan. lib. 1.*

Trans fluuium obiecta Narniæ planicies, ad tria millia-ria excurrit, & hæc compoſita in modum circi, quia montibus in orbem ductis cingitur vndequaque. Campus ille in anguſto poſitus, cultores habet ſedulos indigenas, quorum ſolertiæ impigræ terra refert fruges, quarum eſt valde parca tellus arenoſa. Vbi pinguior gleba viret, terra in gramina luxuriat paſcuis idonea; potiſsima tamen portio loci huius tritico mancipatur. Ad ima collis, cui Narnia inſedit, prata rident, vbi directi in quincuncem ordines arborum, pendulas Italico more vites habent, eos qui illic genio indulgent alto ſole, ſuis officioſis pampinis opacantes. Montes ferè omnes, qui ex margine campi aſſurgunt, nouercante natura ſoli inculti ſunt, & hiantes nihil niſi ſcopulos obijciunt. Vbi verò tellus arens incubat ſaxis, illic omnia dumetis & ſaltibus inhorreſcunt. Alicubi, quà mons ex radice campo committitur, ſubactus à colonis induſtrijs opima patitur olíueta. Cæterùm illa plaga vt eſt impar annonæ, quã Narnia & oppida vicina ſuis vſibus expoſtulant, ideoque raró delicijs indulgetur illic, vbi rara ſunt omnia, quæ conducunt ad opiparas epulas, & eſt ferè Narnia neſcia voluptatis. Hic præcipuè, vt in toto ſinu Italiæ, homines ſunt quàmmaximè ſobrij: virtus illa nimirum altè commendat Italos, qui parco rerum omnium vſu, rebus ſuis conſulunt opportunè.

Quòd Narnia ſit ferè voluptatibus inuia, vrgente loci inopia, quæ contribules omnes vitæ auſteræ ſubijcit anguſtijs; hoc conducit, & quammaximè, ad ſtudium omnigenæ pietatis. Etenim ſic comparatum eſt à Deo moderante vices noſtras: vt vbi eſt iniquior natura ſoli, illic æquiore cœli influxu homines affluant, & prodiga Dei manus animis impertiat bona, quæ tellus auara

negat corpori defraudato. Hinc Narniæ pietati indulgetur, quia græcari, & compotare, loci natura vetat; pluresque patent illic Eccleſiæ ad orandum, quàm diuerſoria ad lautas epulas inſtruendas. Erga Beatum Seraphicumque Patrem Franciſcum benè affecta eſt illa ciuitas, vtpote ſufficiens quinque cœnobijs Fratrum, qui ſe ſe totos aſperæ Franciſci regulæ mancipaꝛunt.

Operæpretium fuit hæc præfari de Narnia, quia conferunt ad aliqualem ideam indolis Hieronymi Narnienſis, mentibus ingerendam. Etenim ſingulæ quæque plagæ orbis huius, ſuos alumnos afficiunt virtutibus, & vitijs, quibus loci influentis in animos concors natura litat: quippe videre eſt homines ſemper aſſuetos patriæ ſuæ ſpiritus ebibentes. Cùm igitur accomoda ſit Narnia animo pœnitenti, deficiente penu, quo mediante voluptas excolitur, habuit Hieronymus à patria ſua ſatos impetus, ad aſperæ vitæ genus, quod ſubinde profeſſus eſt, magnum virtutum omnium apparatum adijciens influente Deo, ad hæc, quæ natura dedit congrua rudimenta. Namque viri huius inſignis vita, ferè fuit compoſita in modum Narniæ ciuitatis: quæ vt eſt ditionis Eccleſiæ, id eſt, Pontificis; ita & Hieronymum ſummi Pontifices dum aſſumpſere ſibi in præconem verbi Dei, tum fecere ſui iuris, & arcto fœdere deuinxerunt. Quantumuis illa ciuitas emineat incubans colli, infra tamen eſt apicem hunc virtutis, in quem Hieronymus alumnus eius inclytus aſſurrexit. Eſto rerum caritas Narniam egere cogat; attamen longè maior egeſtas illa fuit, in quã ſe ſe Hieronymus vltrò compoſuit, inuito etiam Pontifice, qui leuare volens inediam huiuſce Capucini, & alias egeni ſtatus anguſtias; nulla ratione quiuit eum inflectere, vt lautiore vita detraheret Narniæ parcitati.

Patriæ huius ad omnem omnium virtutum praxim idoneæ,

idoneæ, atque adeo procul à lubrico vitiorum, magno affectu percitus eſt Hieronymus, qui adnumeratus ſummis viris inter Capucinos, & curiæ purpuratæ dilectus; ſacri Collegij applauſum declinans, ſæpe Romam faſtidijt, vt degeret in Conuentu paupere Narnienſi. Vt merito ſingulari eminebat ille, penes eum fuit adoptari in locum, qui ipſius congrueret arbitrio: ſed vbi ſe ſe Roma expedire potuit, pergratum habuit ſuæ virtutis incunabula reuiſere, auſteritate loci illectus, vt benè ſuada patria ſuſciperet pietas incrementum. Non muliebris ille amor patriæ affecit Hieronymum, qui ſingulos quoſque homines ſolicitat, ad concordi parentum voto Lares patrios excolendos. Damnauit ille ſuperfluum hunc affectum, quo animus futurus aliquando ciuis paradiſi, velut immemor altæ ſuæ ſtirpis, dum patriam plus æquo colit, vni terrarum angulo deuincitur. Non humano intuitu deperijt ille ſuam Narniam, aliàs ſemota pietate qua pollet, minimè placituram. Cui enim, vt Baſilio Magno, totus mundus erat exilium, nulla planè patria fuit, quæ animum deduceret ex cœleſti Hieruſalem, qua, vt ciuitate donatur homo, ſuis illic meritis adſcribendus.

Eſto natura inflectat animos ad illam terræ plagam, quæ mox editos ſuo ſinu excepit, ſuſpectus ille amor patriæ diſcutitur à gratia Dei, ſuggerente loca eſſe omnia amanda, quibus nos charitas addixerit occupatos æternæ Dei gloriæ propagandæ.

Itaque nemo patriæ ſuæ amori ſuperfluo gratis indulgeat, allegans Hieronymum habuiſſe gratum aliquando degere in cœnobio Narniæ erecto. auſtera loci facies, tenuis vſquequaque cibus, aliaque multa acerba demunt ſuſpicionem omnem affectus cenſuræ obnoxij, quo tenentur etiam multi reuera indigni eo nomine cœnobitæ. Non idcirco patriam amauit Hieronymus,

quòd illic editus ſit ciuis Narniæ, ſed quia collactanea pietate ſciuit ibi, ſe eſſe exulem mundi. Vnde ſi Plato Deo gratias agere ſolitus eſt, quia Græcus erat, & ex Græcia Athenas deſtinaſſet ſuis incunabulis, vt illic Philoſophiæ operam daret; maiora ſanè gratiarum Hieronymus habuit argumenta. Quippe natus in Italia terræ plaga feraci hominum inſignium, nam egregia ibi indoles perpolit ingenia, quæ dignata propitio cœli influxu, ſunt prorſus idonea ad omnia ardua capeſſenda. Italum ergo naſci dos fuit aliqualis. Præfatæ doti acceſſit, quòd fuit ille Narnienſis, terra videlicet Eccleſiæ ſacra, ideoque magis tincta coloribus, vnde pietas illuſtratur. Sed trium gratiarum ſumma fuit, tædio mundi affici, & prædiuites auri gazas habere velut quiſquilias, & vilia crepundia, vt annumeratus Capucinis, ſe totum aptaret ad eorum rigidum inſtitutum.

Hieronymus animo verſans inter Capucinos, ea vitæ defæcatæ à vitijs exempla, quæ iuuenis ebiberat in patria exoſa voluptatum etiam nomen, habuit illa ſola Narniæ idea, monitorem fidum, quo ſuaſore, & vrgente, pietati omnimodæ ſedulus inhiaret. Vita Hieronymi reſcita Narniæ mutuas huic etiam rependet vrbi vices, ſi deuians à priſca pietate ſua, ſe effingat ad amuſſim virtutum, quas hæc hiſtoria meminit in hoc cœnobita paupere refulſiſſe. Sic patria Hieronymi maiorem ab alumno ſuo gratiam recipiet, ea quam retulit Gadara vrbs Syriæ prope Aſcalonem. Demetrius Pompeij Magni Libertus, illam vrbem patriam ſuam ſciens ſæuiente Iudæorum ira ſolo adæquatam eſſe, adeo importunus patrono fuit, in gratiam patriæ, vt Pompeius Gadaram euerſam denuo reformarit. Vt eſt indoles humana nimis in vitium prona, nulla virtus vſquequaque poteſt conſtare ſibi, & eſſe diuturna. Itaque dehiſcente aliquando pietate Narniæ, poterit illa vergens in occiduum,

Egeſippus lib.1,c.17. de excidio Hieroſol.

ciduum, ſui Hieronymi vita recenſita reſurgere, fieriq. vegetior, illius exemplis atque ſtudio reparata.

Quibuſnam parentibus editus eſt Hieronymus. Caput II.

POTEST nobilitas biſariam eos, quos afficit, illuſtrare præ alijs. Primò, ſi ſpreto generis hoc ſplendore pluris faciunt in ſeruire Deo humilibus obſequijs à ſæculo procul, quàm aſpirante Regum aura, plures habere famulos obſequentes. Eo genere laudis excelluit apud Hieronymum Paula Romana, vale dicens mundo; & profeſſa vitam humilem, immemor gloriæ, & ſtemmatum, quibus accincta fere Romanis omnibus eminebat. Eo intuitu nobiliſſimę fortunæ genus, Hieronymus deducit ab atauis orbe toto notis, ſubijcitque, ſe idcirco meminiſſe parentes hos illuſtres, quia in gratiam Chriſti Paula eſt omnes gloriæ humanæ titulos aſpernata.

Rurſus incongrua vocantur encomia nobiles illi, qui idcirco ſuæ ſtirpis meminere, vt omnium virtutum praxi ſe componant ad amuſſim procerum, qui ſtrenuis actibus, vt clauo trabali meritas infulas affixerunt. Nobilitas ſic animo verſata prodeſt, quippe nequaquam auræ inani velificata tumet, imò timet, ne ſit oneri, non honori, niſi arduis actibus excolatur. Hoc argumento petito à nobilitate Beatus Hieronymus Demetriadem hortatur, & ei magnos impetus ingerit ad virtutem. *Hieron.*

Hæc præfari æquum parque fuit, antequam nobilia Hieronymi noſtri natalia deſcriberem, ne quis inauſpicato legens iſtam vitæ Hieronymi contexturam, damnet exquiſitam à me ſeriem procerum, quos ille ha-

buit illuſtres, vtpote præcipuis Eccleſiæ & ſæculi titulis inſignitos. Vt nempe liuor ſuſpicatur in omni titulo eminenti typhum, & hunc ſuperbiæ, ne quis me litare credat ventis, quando recenſeo ſingulare genus Hieronymi, quo animo id faciam præmiſi ex Patribus, quos vt conſultores ſempèr adhibebo, citra periculum erroris erit quidquid ego promam, nuſquam hiſce Ducibus inconſultis. Cùm ergo virorum illuſtrium texendo vitam, Sancti Patres non omnino aſpernati ſint naturæ dotes, quæ à nobilibus atauis influunt in ſobolem, & nobilitatis hominum inſignium fecerint mentionem, vtiquè luculentam: non erit abs re ſequi Patres, mihi in hac alea præeuntes. Prodit Hieronymus in gratiam Paulæ, quam deducit à Scipione, & Gracchis. Ecce Magiſtrum eius Nazianzenum, cui & concors ille fuit. Ita Theologus exorditur commendare volens Baſilium Magnum, cuius encomijs ſtylum ſuum deuouerat. [Si (inquit) Baſilij maiores arbitratu noſtro commemorare liceat, nihil eſſent Pelopidæ, nec Cecropidæ, Alcmæones, nec Aeacidæ, nec alij quibus nihil eſt ſublimius]. Hiſce inſiſto veſtigijs.

Nazianz. orat. 20. in funere Baſilij.

Petro Mautino patre ſatus eſt Hieronymus noſter. Narniæ Mautinorum genus eſt præclarum, quodque magis ad nobile nomen facit, Petrus virtute magis illuſtre genus ſuum auxit, quàm opibus. Vt nempe literatus erat, apprime ſciuit, prima rudimenta nobilium fuiſſe virtutem, penes quam tantùm eſt diploma, quo ſincera nobilitas adſtruitur. Idcirco totus fuit Petrus in virtutum praxi, incurius ferè rei domeſticæ, curis anxijs ampliandæ. Eſto nobilitas feruidos patiatur æſtus, qui inclinant ad tentanda belli diſcrimina, tamen credidit Petrus, ſe tutiùs conſulturum ſibi ſtudio literarum. Illæ nimirum non obſtant, quin vrgente claſſico nobiles docti arma capeſſant, & prodeant in arenam,

re-

reſcito Principis arbitrio cataphracti. Vt erat indole virtuti propitia, vtrique Iuri nomen dedit, adeoque luculenter egit, in comparandis hiſce ſacris atque ciuilibus inſtitutis, vt in virum euaſerit tota Vmbria celeberrimum. Dixiſſes Petrum indixiſſe ſibi ſuo ſæculo reddere Iuonem illum ſanctum, quem cauſidici omnes inuocant ad tutamen. Illa nimirum integritate fuit, vt concordi Italiæ ſuffragio nuncupatus ſit DOCTOR VERITATIS. Magnum ſane decus Petro huic Mautino, veritatem quam inumbrare ſolent lites, ex obducta iuris, vt plurimum ancipitis, nebula ſubduxiſſe.

Vt præſente parente ſuo Philippo, iuuenis Alexander ferociam equi indomiti coërcuit, Pater filiò ſuo benè ominatus ait: Fili quære tibi alia regna: nam Macedonia te non capit. Sic, vt increbreſcente fama Petri componentis ad amuſsim legum omnes ferè lites, quæ Narniæ emergebant, ciuitas illa malè ſibi ominata, credidit hunc ſuum contribulem, ad maiora natum, quàm vt ſoli patriæ iugiter incubaret. Non defuit omini cita fides, etenim Eminentiſſimus Cardinalis Ceſis maximè conſcius meritorum Petri, illum Narniæ eripuit, vt circumacta ſecum tota prouincia Flaminia, ſeu Romandiola, præfecti iuſtitiæ partes integras exerceret. Huic Eccleſiæ Principi aſſenſus eſt Petrus, eum ſe præſtans in illa præfectura, quem optarat præfatus ille Dominus eminentiſſimus, quo procurante, Petrus ad alias infulas aſſurrexit. Illa Petri peritia in dicendo iure, nihil omnino detraxit nobilitati, ſed hæc potius ſeſe in ampliora effudit medijs literis incrementa.

Cùm igitur dixi Petrum Mautinum multis in vrbibus Italiæ egiſſe Senatorem, & præfectum iuſtitiæ, nihil inde detractum eſt nobilitati, qua inter ſuos municipes hic refulſit: nempe liquet literas, & generis illuſtris ſtemmata concordare. Si Hieronymus noſter paterno no-

nomine clarus, & nobilis extitit, reuera mater & ipſa claris orta natalibus auxit genus, quod & prænobile eſt, luſtrata & inſpecta linea fœminina. Matris nomen fuit Antea Alberti, illa ſuam deduxit originem à Lancillotto Cardolo, qui ante ducentos annos nominatiſſimus præclaris titulis eminebat. Huius coniunx amantiſſima fuit Elizabeth, nata Patre Gattamelata, qui à Venetis in Generalem exercitus eſt præfectus. Hiſce parentibus editus eſt Antoninus Cardolus pater Ioannis Baptiſtæ Cardoli, qui filium habuit Balduinum, patrem Artemiſiæ matronæ inſignis, & matris Anteæ Alberti, quæ Hieronymum Narnienſem Capucinum enixa eſt. Vt nuptiæ contractæ in ſuppari ſorte beant vtrſique coniugem, ita fœlix fuit coniugium Petri Mautini, & Anteæ Alberti, quia vterque fuit ſurculus emergens ex ſtipite præfati Lancellotti Cardoli, nuptias nequaquam remorante gradu conſanguineo, quia is fuit extra metas ſacro Canone præſtitutas.

Vt liquidior fiat illa Hieronymi proſapia, ab vtroque parente fluens à Cardolis, en ſeriem maiorum, quos recenſet Mautina familia. Lancillottus Cardolus, & Elizabeth Gattamelata, præter Antoninum filium, ſuo ſuſcepere coniugio filiam nomine Franciſchinam, qua matre ſati ſunt tres filij illuſtres, Paulus, Federicus, & Ioannes Iacobus, qui Ceſis eſt nuncupatus: horum ſoror fuit Brigitta. Ioanne Iacobo Ceſis patre emerſit Angelus ille Ceſis, qui Pio Quinto Pontifice miſſus in Gallias generoſo agone fatis ceſſit. Huic ſoror extitit nomine Aemilia. Angelo mortuo fuere duo filij, Paulus ſcilicet Ceſis, & Fredericus Dux Aquæ Spartæ, pater Angeli Ceſis Epiſcopi Ariminenſis. Recenſitæ Aemiliæ filius fuit Valerius à Colleueteri, ſicut, & Brigitta matre nati ſunt Conſtantinus & Paulus à Montorio. Conſtantinus filium habuit Petrum Franciſcum à Montorio

torio Epiſcopum Nicaſtrenſem, & ab his ſuam ſtirpem trahit Marchio ille inſignis, & clarus, à Montorio nuncupatus.

Rurſus eodem Lancillotto Cardolo ſemel & iterum recenſito, creta eſt filia alia, ſcilicet Antonilla mater Lauſtæ, cui filia fuit Agnes, parens Diodeæ, quæ fuit auia Hieronymi noſtri. Nam illa Diodea enixa eſt Petrum Mautinum patrem Hieronymi, qui ex præfatis audire poteſt encomium, quo dignatus eſt Raphaelem grandæuus Tobias, vbi audijt eum eſſe filium Magni Azariæ, illi congratulans ait [Ex magno genere es tu] *Tob.5.* Nempe poteſt illa perantiqua Mautini familia recenſere Epiſcopos, Duces, Marchiones, & pręfectos Generales exercitus, vt ſurculos ex nobili ſtipite frondeſcentes. Hæc memini, ne deeſſem primis partibus hiſtorici, cui incumbit recenſere genus, & patriam hominum, quos deſcribit. Hanc eſſe legem Hieronymus inſinuat hoc tenore [Pręcepta ſunt Rhetorum, vt maiores *Hieronym. Epiſt. 3. ad Heliodor.* eius, qui laudandus eſt, & eorum geſta altius repetantur, ſicque ad ipſum per gradus ſermo perueniat, quo videlicet auitis, paterniſque virtutibus illuſtrior fiat, aut non degeneraſſe à bonis, aut mediocres ipſe ornaſſe videatur.]

Si Hieronymi Narnienſis nobilitas hac ętate tenus cepiſſet aſſurgere, hanc vt tenellam pręterijſſem tacitus illaudatam. Sed vt vino annoſo ſuum pretium eſt, vtique ſancitum tempore diuturno; ita & nobilitas peruetuſta meret ſtipendijs, quæ ditiore manu pendunt retroacta ſęcula recenſita. Illa maieſtate Petrus Mautinus eminuit perantiqua ſtirpe genus habens clariſſimum, quod totum influxit in Hieronymum, eo maximè nomine laudabilem, quòd tot nomina contempſerit, vt ſe in Chriſti pauperrimam familiam, pauper & ipſe effectus, iuuenis adoptaret. Et illa ſuę ſtirpis in-

ouria

curia Hieronymo inſita, Chriſti cauſa nobilitat hominem hunc, & alijs anteponit. Nempe verax eſt illa Beati Hieronymi ſententia: [Intelligimus, non laudis eſſe, poſſidere diuitias, ſed pro Chriſto eas contemnere; non tumere ad honores, ſed pro Dei fide eos parui pendere.]

Hieronym. epiſt. 27. ad Euſtoch.

De Natiuitate Hieronymi. Cap. III.

CHRISTVS Dominus omniſcius, atque adeo benè conſcius humanæ indolis, ait, homines eſſe coniectores, & inferre totam diem ex cœli facie matutina. Sic ille rerum omnium æquus ęſtimator: [Facto veſpere dicitis: Serenum erit, rubicundum eſt enim cœlum. Et manè: Hodie tempeſtas, rutilat enim triſte cœlum. Faciem ergo cœli diiudicare noſtis.] Non erit igitur incongruum, & extra aleam hominum, inquirere ex natiuitate Hieronymi, quid illa portenderit, petito prę ſagio à rebus prę cipuis, vnde puelluli natalia maximè recoluntur.

Math. 16.

Auſpicemur. Natus eſt Hieronymus anno ſalutis à Chriſto Domino ſancitę, milleſimo quingenteſimo ſexageſimo tertio, die decima ſexta Februarij poſt meridiem, feria tertia, ſeu die Martis. Ex ſacro baptiſmi fonte tenellum hunc puerum ſuſcepit Eminentiſſimus Cardinalis Petrus Donatus Ceſis, qui illi ſuo filiolo, & clienti, Octauij nomen impoſuit: fortè quia frater eius maior natu Septimius vocabatur, ſeptenario numero ſubdidit illum, qui ſuccedit, ſcilicet octonarium, Octauij nomine deſignatum. Duobus his maſculis eſt adiecta ſoror nomine Cynthia, minor longè natu Hieronymo, qui ſic medium locum obtinuit, vno fratre Septi-

mio

mio præeunte, & ſorore Cynthia ſubſequente. Res ſingularis omnino fuit; quòd in recèns editi infantis capite, pili quidam albi, ab vtero allati refulſerint. Neſcio ſi Latinè queo nuncupare canos hoſce puelli pilos, cùm vox illa tantùm pertineat ad capillos, longa annorum ſerie candicantes. Indulgente tamen Scriptura ſacra licet appellare canos, illam pueri lanuginem, ſpectata pubeſcentis indole, & grauitate morum, qui præcoci bonitate præfatum hunc iuuenem exornarunt. Ita codex ſacer eloquitur. *Senectus venerabilis eſt, non diuturna, neque annorum numero computata: cani autem ſunt ſenſus hominis, & ætas ſenectutis vita immaculata.* Sap. 4. Cùm ergo puer ille totum ſe ſe modo ſenis effinxerit, nihil obſtat appellari canos, hoſce pilos, qui candore ſuo induxere ſodales Octauij, vt eum ſeniculum, congruo profectò nomine nuncuparent. Cùm dico Octauium, recolo nomen à patrino indictum: ſed & hoc exuit cum cæteris mundi crepundijs, quando dedit manus Chriſto, adſcriptus Capucinis: qui vt initiando ſuos tyrones, nouum nomen adijciunt, veteri amoto; ita reiecto nomine Octauij, Hieronymum hunc iuuenem appellarunt.

Natus eſt Hieronymus anno, & menſe, quo Concilium Tridentinum, à Pio Quarto approbatum, inſonuit orbe toto. Vt circa tempora primi Concilij Nicæni nati ſunt Gregorius Nazianzenus, Baſilius, Athanaſius, & alij aſſertores fidei, tunc ſancitæ: Ita & exortus Hieronymi eodem anno & menſe, quo promulgari cœpit Concilium Tridentinum, videtur inſinuaſſe natum eſſe præconem idoneum, qui ad Concilij obſequium omnes acriter excitaret. Et reuera nemo validius inſtitit, vt ſtaretur illi Concilio. Vt namque diu Romæ adſtante ſacro Collegio conciones habuit, impigram ſemper nauauit operam, vt ſarti tectique canones eſſent, ne Sy-

nodi

nodi Tridentinæ decreta forent irrita vitio tranſgreſſorum.

Circa canos ex matris ergaſtulo allatos, vna omnium hominum coniectura fuit: eos videlicet portendere, fore grauem hunc hominem, & maturum, nec puerorum vnquam nugis, aut nænijs adſtiturum. Quàm fuerit illa verax prædictio, liquebit ex recenſione morum, quibus ille ſuos impuberes annos excoluit. Etenim citra metum deuij oraculi potuit illi affingi infra pubertatatem locuples hoc Poetæ effatum

Virgil. lib. Aeneid. *Ante annos animumque gerens, curamque virilem.*

Vt nihil omnino natura facit fruſtra, non inconſultò canos addidit infanti nondum conſcio grauitatis eius, quam dixere omnes hac præfata teſſera lineari. Natura ſagax indulgere volens alicui, & ditiore manu dotes aliquas effundere, aliquando ſolet ex vtero pueris appingere earum, quas impertit, ſtemmata gratiarum. *Ex vita Caſtriot.* Huiuſce naturæ locuples eſt teſtis Gregorius Caſtriotus, quem Turcæ Scandarbegum vocant. Is gladii exerti figuram brachio inuſtam attulit ex vtero. Non fuit res operoſa vatem conſulere, vt ſingularis huius notæ tricas alijs explicaret. In eo argumento fuit concolor omnium hominum ſenſus: ſcilicet, hunc infantem fore ducem bello clarum. Quàm fuerit illa verax prædictio, teſtantur innumera ferè de Turcis ſpolia reportata.

Cani, quos Hieronymus ab vtero materno tulit, vero præſagio, vt præfatus ſum, ſignauere ſenem vtique moribus futurum hunc puellum, etiam à teneris vnguiculis. Itaque multi potuere detondere caput hoc Deo, & naturæ charum, vt canos apud ſe detonſos reconderent, velut ſigna indubia grauitatis. Sed eſto potuit conceſſiſſe puer illos indulgentis naturæ pilos indices virtutis ingenitæ; attamen ille, caput penes ſe ſemper habuit alijs inconceſſum.

Qua pietate fuerit Hieronymus, ab vtroque parente educatus. Caput IV.

TObias iunior, quem extollit etiam Scriptura ſacra, adoleſcens inquam ille virtutis emeritæ, memor exemplorum, quæ ab vtroque parente iuuenis ebiberat, illa ſuo verſabat animo, vt ad magna audenda ſe ſe fortiter accingeret: vnde ſuam adhortatus eſt coniugem prima nocte nuptiarum, vt concordi voto triduum inſumerent iugi orationi ſacrum, & corpore neſcio voluptatis. Ingenuus ille ſponſus, vt puellæ ſibi deuinctæ conſenſum obſtringeret ad triduanas illas inducias, recenſuit ſanctitatem, quæ in vtriuſque parentis Laribus enitebat. Ecce benè ſuadæ orationis argumentum à Tobia propoſitum: *Filij ſanctorum ſumus, & non poſſumus ita coniungi ſicut Gentes, quæ Deum ignorant.* Tob. 8. Ipſo etiam intuitu probitatis, quæ maxima affulſit Tobiæ ſeniori, filius eius à Gabelo fuit maximè celebratus. Vt enim ille Medus ruit in amplexus adoleſcentis probo parente ſati, omnia fauſta precatus ait: *Benedicat te Deus Iſrael, quia filius es optimi veri, & iuſti, & timentis Deum, & eleemoſynas facientis.* Tob. 9. Cùm ergo commendare queant prolem præclara parentum facta domi exercita, mearum eſt partium recolere exempla virtutis obiecta Hieronymo paternis in ædibus, quibus vt congruo paſtu enutritus ille iuuenis adoleuit. Memini ſupra patrem Hieronymi fuiſſe meriti adeo excelſi, vt non ſolùm vrbibus, ſed & prouincijs præfectus ſit, ad iuſta omnia decernenda. Inde ſatis ſuperque liquet hominis virtus, cuius ſuaui odore ſi captæ ſunt vrbes, atque plagæ Narniæ conterminæ; quantam putas eius fuiſſe domi fragrantiam,

grantiam, qua afflante, prolis abundè fuit anima virtutum ſtudijs adaptata?

Sed quia Prætoris partes, quas frequens obibat ille pater Hieronymi, ſæpe procul à Narnia diſtrahebant hominem, non vni tantùm vrbi, ſed etiam toti orbi natum, præcipuum negotium educationis filiorum Petri Mautini, penes matrem fuit: quippe ſolent patres matri committere filiorum annos impuberes, & equidem opportunè. Aetas namque tenella prolis nouæ, ferre nequit duriora patris inſtituta, pubertati aptiora, quàm annis adhuc materno lacte madẽtibus, ideoque procul à patris rigida diſciplina. Nonne Deo Dauid afflatus præcipuam Salomonis curã voluit eſſe penes matrem, quæ reuera ſuis non defuit partibus, vtpote tota bonis filij ſui moribus excolendis. Præſtita ſibi obſequia à matre memor Salomon, ſic recenſet: *Ego filius fui patris mei, tenellus, & vnigenitus coram matre mea; & docebat me, atque dicebat: Suſcipiat verba mea cor tuum, cuſtodi præcepta mea, & viues.* Extat & decretalis epiſtola, quæ meminit illum morem refundendi in matres curam prolis impuberis; & reuera proles inexperta magis afficitur exemplo matris, cui ſiſtitur aſſiduò, quàm paternis moribus, in quos adhuc illa nequit ætas ſe ſe componere, videlicet impos maſculam hanc virtutem factis congruis adipiſci. Ideoque benè à Deo conſultum eſt hominibus; cùm namque petant à matre prima rudimenta morum, maiora pietatis ſemina ſata corde premit ſexus ille imbellis, quàm viri, vt alibi fortes, ita ad deuota obſequia ſæpius imbecilli. Illa fœminis inſita propenſio ad virtutem Eccleſiam obſtrinxit, vt oraret pro deuoto fœmineo ſexu, inconceſſo tamen viris, & eorum ſexui, præfato hoc titulo pietatis.

Prou. 4.

Capite, ex literis, de conuerſione infidelium.

Singularis huiuſce pietatis tot & tanta argumenta ditant matrem Hieronymi, vt piaculi loco ducam hæc

tacita

tacita præterire. Nempe recenſita opera illuſtria fœminæ huius claræ litant gloriæ Hieronymi, qui pubeſcente ætate memor exemplorum almæ ſuæ matris, hoc ſibi indixit penſum, ſcilicet obiectas ab ea virtutis omnimodæ ſpecies æmulari. Dignus ſanè filius hac parente, cuius opes atque peculium flocci quidem fecit; ſed præcipuas animæ gazas in virtute ſitas, Deo aſpirante, eſt æmulis actibus aſſecutus. Virtutum Anteę Alberti matris Hieronymi catalogum texam, vt in ea matres exemplum ſibi parent, in gratiam prolis educandę, boniſque moribus informandę. Contextum virtutum eius auſpicabor ab ea, quę alijs ſubijcitur, vt fundamen. Hęc eſt Humilitas, concordi omnium Sanctorum ſuffragio.

Quia humilitati multum gratiæ, & decoris adijcit alta conditio hominis, quem virtus illa beat, expedit meminiſſe Anteam Alberti fuiſſe claris natalibus: namque fuit patre Ioanne Iacobo Alberti, cui genitor extitit Sebaſtianus Alberti, de Republica Venetorum benè meritus, vt pote ab ea prępoſitus in Ducem generalem pedeſtris exercitus. Ea ſtirpe nata Antea, exoſa ſuperbiam omnem, & oblita genus ſuum, humilem omnino vitam eſt profeſſa, nuſquam marito datis titulis intumeſcens. Eſto plerique nobiles, eam ſuſpicerent, vt inſignem, illa dedignata decus omne, quod influit ex frequentata corona nobilium, egenorum ędes pauperes inuiſebat. Reſque fuit potior huic matronæ, infimæ ſortis ęgris obſequi, quàm excipere nobiles in eius ædes honoris gratia confluentes. Rarò coire gloriam, & humilitatem, Bernardus ait, ſtupens in Beata Virgine conſortium vtriuſque rei diſcoloris. *Non magnum eſt eſſe humilem in abiectione: magna prorſus, & rara virtus, humilitas honorata.* Extat & hodie anus perantiqua memor humilis obſequij, quod Antea ęgrotis ſedula freque nſ-

Bernard. homil. 4. ſup. miſſus eſt.

quenſque ſuis manibus expendebat. Sileo, veſtibus vſam fuiſſe matronam hanc fortaſſis infra decorum ſuæ ſortis, quam ſpernebat, vt & ipſa induta vili tegmine videretur indigna honore, quem ipſius alta proſapia, & meritæ coniugis infulæ depoſcebant.

Humili amictu ſæpe ſuperbia deliteſcens illudit oculis, factura fucos: ideoque parum eſt ementito deforis apparatu humilitatis ſpeciem prætendere, ſi deſint actus idonei ad faciendam fidem, virtutem illam noſtris animis inſidere. Antea procul omnino fuit ab hac perſonata ſuperbia, quæ dum ſe ſimulat humilem, vſurpato ſtemmate ſpurio virtutis, altius intumeſcit. Quia fœminæ incurrunt ſæpius in diſcrimen hoc præfatum, quando veris falſa ſubſtituunt; idcirco Beatus Hieronymus Demetriadem virginem initians, ne in has impingeret cautes ſedulus admonebat. *Summa* (inquit) *tibi ſcientia ſit, notitia ſumma, vitia, virtuteſque diſtinguere*. Mater Hieronymi noſtri nacta veram humilitatem, digna fuit encomijs, quæ ſincera manent cultores impigros, virtutis huius adeo celebratæ. Præcipua humilitatis argumenta, quæ Antea Alberti edidit, fuere hæc tria. Humilis amictus, frequentatio pauperum, & patientia in aduerſis. Quàm æquo animo ingruentes tulerit anguſtias, inferre licebit vno exemplo, ne faſtidio tenus oratio ſpatietur. Inexplicato caſu pes Anteæ totus aduſtus eſt: vt pars illa plures habet neruulos implexos, ita & exquiſitè dolet, ſi quando malè afficitur. Haudquaquam ægrè tulit mulier hæc inuicta mali ſpicula lancinantis. Admirantibus animi ſui conſtantiam, patiens hæc matrona, ſæpius hæc ſubiecit: Mali huius acerbitas, non eſt tanta, quanta foret illa, quam Chriſti amore lubens exciperem. Eſt hæc tortura leuis animo efficto ad Dei arbitrium, & parato ad tormina duriora.

Arbi-

Arbitror ego patientiam in ærumnis eſſe ſurculum ingenuum, qui emergit ex humilitatis ſtipite. Quiſquis enim ſui nihili conſcius eſt, nuſquam ægrè feret, ſe affici moleſtijs: illas namque putat eſſe ſuæ congruas egeſtati. Ita Auguſtinus cenſuit hoc ſermone. *In preſſuris, & anguſtijs nequaquam poſſent iuſti ſubſiſtere, & quod bis maius eſt gaudere; niſi veraciter in conſpectu Dei, & hominum humiles eſſent.* Vt humilitas in virtutum choro, ſeorſum non incedit, ſed alijs eſt ſtipata, ſuis vtique ſodalibus, quæ indiuiduo nexu confluunt in humiles: Ita mater Hieronymi, non hac tantùm virtute diues, ſed & aliarum etiam virtutum ditior incremento. Sic factura fidem Sanctis, qui affirmant conciliari Dei gratias hac virtute. In his ita fatur ſuo experimento fidus teſtis Bernardus. *Semper ſolet eſſe gratiæ diuinæ familiaris virtus humilitas. Deus enim ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam.* Eſto tota virtutum corona ditet humiles; duas attamen præcipuè Bernardus inſinuat hoc effato. *Vt charitas, ſeu caſtitas detur, humilitas meretur. Seruat acceptas, quia non requieſcit Spiritus Domini, niſi ſuper quietum, & humilem. Seruatas conſummat, nam virtus in infirmitate perficitur, ideſt, in humilitate.* Illa ſanè verax eſt Bernardi ſententia, indubiam ſortita fidem in Antea Alberti, in quam præfatæ hæ virtutes, caſtitas ſcilicet, & charitas, copioſè cœlitus influxerunt.

Auguſt. Serm. 35. de Sanctis.

Bernard. ferm. 4. ſup. Miſſus eſt.

Idem Epiſt. 42. ad Henric. Senonenſẽ

In caſtitatis eius gratiam ſatis erit hoc vnum omnibus enitere, quos ſuperſtes matronæ huius memoria recreat, & afficit: videlicet hanc Hieronymi matrem, hoc habuiſſe ſuos inter ciues elogium, quo Iudith maximè commendatur. Ecce encomium Iudith: *Erat hæc in omnibus famoſiſsima, quoniam timebat Dominum valde, nec erat, qui loqueretur de illa verbum malum.* Nempe ſuſurrones, & æmuli gloriæ, in quam ſurrexerat

Iudit. 8.

Petrus, Anteæ Alberti coniunx, nunquam auſi ſunt temerare famam fœminæ, quam caſtitas ſarta tecta fecerat illibatam. Quamuis in opaco libido luxuriet, nulla tamen eſt adeo cautela ſecura, vt lubricos homines omnino tegat. & præſertim in ciuitate numeroſa ſatis, vbi tot oculi vigiles excubant gratia caſtitatis. Cùm ergo liuor, qui & virtute obiecta virus ſuum euomit, non auſus ſit, nec muſſitare quidem, contra decus, & pudorem fœminæ huius caſtiſſimæ; illa argumento potiore nequaquam indiget, vt hæc eius intemerata caſtitas adſtruatur.

Mulier illa, quæ nullius omnino viri, coniuge excepto, amore incanduit, profectò fuit apta, vt igne ſacro amoris Dei tota corpore, & animo conflagraret. Hæc amoris diuini fornax in corde eius accenſa, ſua præcipua ſparſit incendia, cùm amans hæc anima, ſe ſanctis ſiſtebat altaribus, dignanda ſacris amplexibus ſponſi, caſtos hymenæos cum hac fœmina celebrantis. Frequens vſus Euchariſtiæ fuit index reuera fidus charitatis eius, quæ ſingularis in Antea extitit, & ardore iugi cordis intima depaſcebat. Et quia acceſſus ad Euchariſtiam, multa ſibi præuia depoſcit examina, & pleraque virtutis ſpecimina; Antea fuit ſolita congregare ſibi ingentes optimarum cumulos actionum. Ideoque libet illi aptare locum iſtum Salomonis, in gratiam fœminæ fortis.

Prouerb. 31. *Panem* (inquit) *otioſa non comedit*. Illa nimirum ſemper intenta bonis operibus, hiſce præambulis ad Angelorum panem excipiendum bene accincta, otij neſcia paſcebatur. Sic ſuo exemplo fidem faciens commentario Beati Hieronymi, qui decurrens textum illum, eum

Hieronym. lib. 3. in c. 31. Prouerb. ſit expendit. *Panem otioſa non comedit anima, cùm ſacrificium Domini corporis percipiens, ſtudet imitari actu, quod in myſterio celebrat, multum ſolicita, ne indignè panem Domini comedendo, & calicem bibendo, iudicium ſibi*

man-

manducet, *& bibat*. Hactenus ille Beatus, inſinuans, panem ſanctum rite dari tantùm animæ, quæ eſt neſcia feriarum.

Quibus autem actibus inuium ſibi fecerit otium Antea Alberti, recenſere placet, ex ſerie actionum vtique potiorum, quibus abigebat omnem animi, & corporis inertiam hæc mulier indefeſſa. Ex ſcriptura ſacra, bonorum omnium operum ſumma reducitur ad tria capita, quæ ſunt, oratio, ieiunium, & eleemoſyna. Raphael Archangelus Tobiam ſolicitans ad bonorum operum praxim, meminit hæc præfata, & velut implexa indiuiduo nexu tria hæc opera ſociauit.* Ecce Raphaëlis oraculum. *Bona eſt oratio cum ieiunio, & eleemoſyna magis, quàm theſauros recondere*. Illa triplex partitio petitur ab obiecto pietatis, quod etiam ternario numero concluditur. Quippe pius omnis, ſua Deo debet obſequia, quorum partem exhibet oratio. Rurſus, vnuſquiſque debet ſeipſum attendere, ſibique rependere congrua pietatis officia; ne, dum alijs intendit, incurius ſui, præſtituto deſit ordini charitatis. Hæ ſunt ieiunij partes. Nempe ſicut gula totum hominem rapit in præceps, & abruptum vitiorum; ita & ieiunio vſurpato corpora defæcantur. Denique bipartita charitas etiam Deo exculto, in proximum fertur, cui conſulitur eleemoſyna. Vt namque ſumus alijs iniurij & moleſti, detrahendo bonis, & famæ ipſorum; ita & hæc damna ſtipis erogatæ munere reſarcimus. *Tob. 12.*

In illa trium bonorum operum palæſtra, ſeſe iugiter exercuit Antea Alberti, otij refuga, ſi quæ matrona fuit. Illa nimirum factura ſacras cuiuſque diei primitias, adibat ædes ſacras; vbi Deo aduoluta ſupplex, indictum ſibi precum penſum, attento animo perſoluebat. In contextu orationum, quas erat ſolita Deo rependere, maximè cordi fuit ei. Beatæ Virginis Mariæ

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Officium, quod genibus inflexis ſemper abſoluit. Etenim de Deipara conceptus adeo excelſus animum Anteæ ſubierat, vt fuſura preces ad Virginem, proſtrato corpore ſupplicaret. Quodque magis animum Anteæ prodit, ad orationem pronum, æquè redux in domum ſuam, vt curaret ea, quæ coniugis, & filiorum erant, ſe reuocatam à ſuaui conſortio Dei querula ſuſpirabat. In argumentum pietatis in Mariam, cui dedicatum eſt Sabbatum, Antea pridie Sabbathi, ideſt, feria ſexta, referta pane ſolo, & aqua, ſe accingebat ad diem illum ſanctiùs excolendum. Credo Deiparam eius annuiſſe votis, & gratiæ ſingularis fuiſſe argumentum, quòd mulier illa Virgini tam deuota, diem extremum clauſerit in Sabbatho, præuio etiam ieiunio in frigida & pane, ſicut hactenus obſeruato. Sicque pia fide dies ille natalis in cœlo fuit Anteæ Alberti, quem maximè coluit, vt primiceriæ omnium Virgini conſecratum.

Qualis ergo erga Anteam Alberti Virgo beata fuit, quæ vitam egit virtutum omnium choro ſpectabilem! Illa ſanè matrona eſt experta, veram fuiſſe Bernardi ſententiam iſtam. *Agnoſcit Virgo, & diligit diligentes ſe, & prope eſt in veritate inuocantibus ſe, præſertim his, quos videt ſibi conformes factos in caſtitate, & humilitate, & totam ſpem ſuam (poſt filium ſuum) in ea poſuerint, & toto corde quæſierint.*

Bern. Sermone in Salue Regina.

In gratijs à Deo acceptis Mariæ ſuffragio, Antea Alberti, hanc habuit, vt incuria ferè ſui corporis eſſet, cui neceſſarios prope cibos ſubtrahens, longa inedia ſæpius affligebat. Alternis quibuſque diebus extra Aduentum & Quadrageſimam ieiunabat hæc mulier, exoſa gulæ cupedias omnes; ſicque dies tres ſingulis quibuſque hebdomadis ieiunijs impendebat, vt & dies omnes Aduentus, eodem ieiunij inſtituto, pia hæc fœmina conſecrabat. Ieiunijs ab Eccleſia indictis, adeo rigidum

præ-

præſtabat obſequium, vt nihil omnino ſerotino tempore delibaret. Quem ex tanta inedia fructum exceperit, conijcio ex Sancto Ambroſio recolente finem ieiunij. *Abſtinentiam* (inquit) *indicimus corpori, vt à vitijs magis abſtineat anima. Frænum enim quoddam eſt luxuriantis animæ, corpus exhauſtum. Quiſquis enim ieiunat, & peccat, lucrum eſcarum feciſſe videtur, non ſalutis.* Hactenus Ambroſius: qui ſic inſinuat ieiunum corpus perſuadere etiam animæ, vt ieiunet à vitijs, quibus vt porcorum ſiliquis noxiorum hominum anima ſaginatur. Hoc ieiunio magno magis eſt laudabilis Antea Alberti, quàm ſola inedia corporis, quæ ſine laude premit inuitos, etiam multos carceri mancipatos.

Ambroſ. ſerm. 33. de Quadrageſima

Quia mulier hæc ieiunijs aſſueta duos habuit filios, & filiam vnam, omnes ſuperſtites, quando parens illa ſuum corpus arcta inedia macerabat; obtrectator aliquis fortè ſiniſtrum omen inde conijciet, ſuſpicatus Anteam Alberti, cibos ſubtraxiſſe ſibi, vt corpore exangui loculos adaugeret. Sed falsò inuſtam hanc auaritiæ notam detergent pauperes, & hi ferè omnes, qui Narniæ tunc degebant, in quos prodiga certè manu ſtipem, vt pauperum etiam hæc Antea mater ſæpius erogabat. Intuita Deum in paupere, non egenos tantùm ægros inuiſebat, ſed de ſuo penu conferebat quidquid arbitrata decens, & congruum reduci ſanitati. Ipſa impaſta leuabat inediam pauperum, ſuo ieiunio, ſic eorum conſulens egeſtati. Magnum reuera fuit, neſcijſſe gulæ cupedias, amore ieiunij: ſed res fortaſſe fuit Deo acceptior, ne pauperes ieiuni nimis eſſent, erogata ſtipe congrua prouidiſſe.

Ex præfatis Antea Alberti, aſſidua praxi orationis, ieiunij, & eleemoſynæ clara fuit, & proinde digna fine, quo de medio ſublata eſt. Namque defecit hæc mulier, morte conſona vitæ, quam egerat moribus illiba-

tis. Vtque pia fide credimus illam eſſe corona dignatam à Deo, congrua bonis operibus, quibus ſe iugiter exercuit.

Recenſitæ virtutes matronæ huius fuere cibi, quibus familiam ſuam hæc alma parens enutrijt. Quantùm verò profecerit illo paſtu ſacro ſoboles Anteæ Alberti, penſum erit capitis imminentis.

Quantùm profecerint parentes Hieronymi præſtito ei, virtutum omnium exemplo. Caput V.

HIſtoria ſacra verax meminit induſtriæ, cuius obſequio Patriarcha Iacob induxit oues, vt diſcolores agnos conciperent. Ex codice ſacro, arcani ſumma fuit iſta: *Tollens Iacob virgas populeas virides, & amygdalinas, & ex platanis, ex parte decorticauit eas, detractiſque corticibus, in his, quæ ſpoliata fuerant, candor apparuit: illa verò quæ integra fuerant, viridia permanſerunt: atque in hunc modum color effectus eſt varius. Poſuitque eas in canalibus, vbi effundebatur aqua; vt cum veniſſent greges ad bibendum, ante oculos haberent virgas, & in aſpectu earum conciperent. Factumque eſt vt in ipſo calore coitus, oues intuerentur virgas, & parerent maculoſa, & diuerſo colore reſperſa.* Hac profectò ratione parentes Hieronymi Narnienſis ſtuduere prolem ornare veris, & varijs virtutum coloribus. Namque proli obiecere boni omnimodi ſincera exempla, vitam ſic agentes pietatis omnigenæ cõſciam, & velut opere polymito.

Gen. 30.

Proximo capite recenſui ſynopſim operum, quibus intertexta fuit vita patris, & almæ parentis Hieronymi noſtri: mearũ eſt iam partium recolere, an fuerit reſperſa pro-

ſa proles ijſdem coloribus, quos induſtrij parentes tenellis adhuc filijs obiecerunt. Vt liquidior veritas eluceat, operæpretium eſt reuocare, quæ præmiſi: ſcilicet, Petrum Mautinum, & Anteam Alberti, ex caſtis ſuis hymenæis, ſuſcepiſſe duos filios, & filiam, ſicque genus ſuum ad tria tantùm capita propagaſſe. Itaque tribus filiis excolendis præcipua parentis vtriuſque cura fuit. Vt ſe aptarent ad impuberos annos, non vrgebant infirmam hanc ætatem inſtitutis aſperis, ſed ad congrua rudimenta virtutis conſonæ ætati filiorum, informes eorum animos inflectebant. Inſinuauere primò Dei cultum ſoboli, ſuggerendo preces illas, quibus initiari ſolent pueri; quonam verò ritu, & corporis habitu, vellent fundi preces à prole memori, mater præcipuè ſuo exemplo docuit; vtpote frequens in Eccleſia, vbi compoſita in ſimulacrum pietatis, erat Crucifixi pedibus aduoluta. Matris hunc ſpiritum anhelum in preces, quomodo Hieronymus ebiberit, proximo capite recolam vberius. hic admonere ſatis erit, Septimium fratrem Hieronymi, & Cynthiam ſororē, matris intuitu didiciſſe modum, Chriſtum vti par eſt precibus obſtringendi. Antea Alberti ſæpius in oratione defixa, tota vocalis erat: Id eſt, ora, manus, oculi, & curua corporis habitudo Deum tacitè compellabant. Hoc ſpecimine exhibito, proli, illa Deum poſtea demeruit precibus fuſis, ad inſtar earum, quibus pia mater intenta ſuis filijs illucebat.

Res haudquaquam operoſa fuit matri, ſuos initiare filios, debita formula deprecandi Deum. Nimirum hæc vna cupido ſolet vrgere etiam infantes, quos & natura benè ſuada docet conciliare Deum precibus opportunis. Præcipuus inſtitutionis filiorū cardo vertebatur in ſuggerēdo horrore libidinis, quæ fomite quibuſque inſito ſolicitat etiam homines impuberes, vitio præcoci,

luxu-

luxuriæ inepta corpora laceſſente. Vterque parens Hieronymi credidit eſſe è re ſua, ſuadere proli odium in omnia obſcœna: vt autem albas radices ageret auerſio hæc præfata, parentes quoque ſibi indixere æterna ſtudia puritatis. Omnia illic caſta: etiam ſeruulis quidpiam inhoneſtum muſſitare nefas: veſtium luxus, chorea, crapula, aliæque faces Veneris iniquæ, procul erant ab ædibus caſtitatis Domino conſecratæ. Petrus Mautinus vir vſquequaque doctus, familiæ ſuæ conſuluit obſequutus conſilio Beati Hieronymi, cuius hæc ſunt pia monumenta valde propitia proli caſtis moribus informandæ. Sic ille matrem alloquitur, in gratiam filiæ adhuc impuberis: *Te habeat magiſtram, te rudis miretur infantia. Nibil in te, & in patre ſuo videat, quod ſi fecerit peccet. Mementote vos parentes virginis, magis eam exemplis doceri poſſe, quàm voce. Citò flores pereunt: citò violas, & lilium, & crocum, peſtilens aura corrumpit. Nuſquam abſque te procedat in publicum, baſilicas Martyrum & eccleſias, ſine matre non adeat. Nullus ei iuuenis, nullus cincinnatus arrideat.*

Hieronym. epiſt. 7. ad Lætam.

Diceres ex præſcripto ſibi ritum illum indixiſſe parentes Hieronymi, in filijs educandis. Namque domus illa, velut ædes ſacra, nihil niſi virtutis fragrantiam afflabat. Eam ob rem iuxtà Vatis oraculum: Filij eorum erant compoſiti in ſimilitudinem templi. Namque Dei templum eſt anima, quam largo influxu gratia conſecrauit. Et quia parentibus Hieronymi inſederat illa ſolertia præcipuè, quæ ad adſtruendam pudicitiam pertinet; ideo quàmmaximè, in gratiam tuendi floris huius vigiles excubabant. Tantumque profecere pater, & mater ſuo exemplo, vt Septimius maior natu filius, qui adhuc eſt ſuperſtes, & grandæuus, egerit vitam cœlibem; ſic hodie Narniæ ſuæ exhibens ſpeciem ingenuam, religioſi hominis habitu ſæculari. Soror eius

Cynthia

Cynthia æmulata parem gloriam,aſpernata vanas mundi illecebras, caſtitati iniurias, virginale decus Chriſto Domino conſecrauit. Hieronymus ad maiora natus,tutius ſibi,& pudori conſuluit,quippe dedit nomen Capucinis,vbi vt in caſtris valde tutis,ſartus tectuſque pudor eſt, obſequio rigidæ diſciplinæ. Quo fuerit ille pudore dicam,vbi virtutes ſingulas, in ſuos quoſque feram cancellos: ea namque puritate effulſit,etiam pubertatis annos auſpicatus, quo tempore libido ſua ſpargit incendia,vt in exemplum ſit eius caſtitas exponenda. Dignus profectò filius vtroque parente ſuo, & digna ſanè parentum cura prole, propoſita pietatis, atque puritatis egregia ſpecimina graphicè referente.

Niſi ego fidam texerem hiſtoriam viri illuſtris, inueherem, in parentes, qui ſuo exemplo prolem in Venerem aptant, eam impuberem ſacrificando Moloch, in perniciem filiorum accenſis luxuriæ facibus importunis. Et ſerpit hic error: nempe parentes, in libidinem fracti, dum prope nihil niſi obſcœna ſonant, magna ſui nominis infamia filios proſtituunt, eos ad fœda prouocãdo ſuis moribus inhoneſtis. Vt huic olim diſcrimini Cato Cenſor occurreret, Manlium Senatu mouit, eò quod interdiu præſente filia coniugem oſculis affeciſſet. Credidit eſſe labem Reipublicæ filios inhoneſtos,& hos præcipuè, in quos libido patrum influxit, exemplo luxuriæ eis præſtito virulento. Ita & benè affectus erga pudorem Hieron, acriter excepit Epicharmũ poëtam, quia vir ille ſalax, petulco genio ſuo indulgens, filia ſua coram adſtante, obſcœna carmina recitarat. Aetas illa priſca mores hominum inueſtigans, & excolens, hoc cauebat, & ſolerter, ſcilicet vt pueriles annos, nulla prorſus vitij obiecti ſpecies offenderet, ne hæc idea mali rudes adhuc animos inclinaret. Vnde fuit vna parentibus cura præcipua, prouidere proli magiſtros, qui

Plutarc. in vita Catonis. Idem in Apophth. Imperial.

concordi

concordi morum, & ſcientiæ ſuffragio, ad præſtandum virtuti, & patriæ debitum obſequium filios informarent. Meminit huiuſce ritus Cicero. *Ijdem* (inquit) *erant viuendi præceptores, atque dicendi; vt ille apud Homerum Phœnix; quiſe à Peleo patre Achilli iuueni comitem eſſe datum dicit ad bellum, vt illum efficeret oratorem verborum, actoremque rerum.*

Cicero lib. 3. de oratore.

Ageſilaus ſortitus à natura bonam indolem, oblatum ſibi magiſtrum vitijs obnoxium faſtidijt, dicens, ſe in eorum tantùm regimen conceſſurum, qui ſeſe patres illibatis moribus exhiberent. Meminit ille patres, quia cùm paterna cura prolem inſtituit, vti par eſt, totius diſciplinæ ſumma eſt, in exhibendis virtutum exemplis idoneis ad filiorum animos elimandos. Coire magiſtri, & patris officium, probè liquet in Auguſto, qui nepotes ſuos Caium, & Lucium, quos adoptarat in filios, nulli voluit magiſtro committere: ſed vt Tacitus eſt author, ſeipſo præceptore inſtituit, vitam ſuam eis obijciens, multis meritorum cumulis eminentem. Fortè Catonis exemplo cautior effectus eſt Auguſtus: vt namque Cato rite ſuo filio conſuleret, voluit eum habere diſcipulum, & ſui auſteri conſcium inſtituti. Parentum Hieronymi vita fuit magiſterium induſtrium ſoboli, & totius familiæ mores benè compoſiti, puerulis obuij paſſim contulerunt multùm, ad eorum annos etiam puberes elimandos. Denique in inſtitutione prolis, Petrus Mautinus, & Antea Alberti geſſere morem, huncque fidelem, Beato Hieronymo ſuggerenti, quibuſnam ſint pueri formulis educandi. *Sic* (inquit) *erudienda eſt anima, quæ futura eſt templum Dei. Nihil aliud diſcat audire, nihil loqui, niſi, quod ad timorem Dei pertinet. Turpia verba non intelligat, cantica mundi ignoret, adhuc tenera lingua pſalmis dulcibus imbuatur. Procul ſit ætas laſciua puerorum.*

Suidas, & Quintilian lib. 3. c. 1. Dion Nycæus in Auguſto. Suetonius in Auguſto. Idem in Nerone Tacitus lib. 1. Plutarch. in Catone.

Hieronym. Epiſt. 7. ad Letam.

Cùm

Cùm itaque familia tota probos parentum Hieronymi mores fuerit aſſecuta, pro virili parte ſua, Septimius Hieronymi frater, & Cynthia ſoror initiati eiſdem exẽplis, fraternæ etiam fuerunt ſocij puritatis. Quam vt illibatam ſeruarent, nullos vnquam ſciuere hymenæos. Non eſt hic prætereunda Cynthiæ ſolertia, in tutando flore pudoris, quem fecerat illa Deo ſacrum. Virgo hæc præfata memor matrem ſuam feciſſe parum veſtes ſplendidas, & congruas dignitati, in quam vir eius erat adoptatus; filia non degener æmulata matris modeſtiã, voluit & hoc ipſum adijcere: ſcilicet, omnem mundum muliebrem procul abigere, repudio æterno dato gemmis, auro, & argento, quæ ſunt vſitata cuiuſque virginis ornamenta. Adeoque fuit propoſiti tenax virgo hæc ſuſpicienda ſanè, vt Anno Sancto Romam profectura, nullo planè modo potuerit adduci, vt veſtimenta inſitę nobilitati propria compararet. Hoc iter & eundo, reduxque totum confecit induta ſimpliciter, & infra decus, quod poſcebat illuſtre genus, quo humilis hæc puella ſata fuit. Cùm autem illi eſſent importuni familiares, & propinqui, vrgentes eam, vt congrua ſorti ſuæ ſumeret indumenta; illa ſubridens ait. Veſtium pompa puellas ſolicitat, vt aliquale decus, & gratiam inde concipiant. Potior verò mihi eſt grata Deo veſtium ſimplicitas, magiſque placet, quàm alijs arrideant veſtes auro, & gemmulis intertextæ. Hunc animum in puella procul à ſplendido amictu, magni facit Beatus Hieronymus ſuadens Lætæ matronæ nobili, vt filiam ſuam ſic componat. *Spernat* (inquit) *bombycum telas, Secum vellera, & aurum in fila lenteſcens. Talia veſtimenta paret, quibus pellatur frigus, non quibus veſtita corpora nudentur.* *Hieronym epiſt. 7. ad Latam.*

Ille idem Sanctus, vitiorum oſor acerrimus, ait, Deum ſeuerè plectere homines, qui puellas ornant ſuperfluè,

& eo

& eo ferè habitu, quo videmus hodie obſcœna fœminarum agmina laſciuire. Sic ille matrem alloquitur, in gratiam filiæ, quæ impubes adhuc erat. *Ipſe habitus, & veſtitus doceat eam, cui promiſſa ſit. Caue ne aures eius perfores: ne ceruſſa, & purpuriſſo conſecrata Chriſto ora depingas, nec collum auro & margaritis premas, nec caput gemmis oneres, nec capillum irruſes, & ei aliquid de gehennæ ignibus auſpiceris. Habeat alias margaritas, quibus poſtea venditis, emptura eſt pretioſiſſimum margaritum.*

Ibidem.

Certè fuit index gratiæ vberrimæ neglectus ille veſtium, quem abundè teſtata eſt Cynthia florente ætate: quippe ſolet ſexus ille imbellis, ſuæ formæ præſidium petere à veſtibus, quæ quo magis auro, & bombycum ſpuma nitent, inde decori muliebri accedere creditur incrementum. Et hinc fœminis anſa fuit texendi tot formulas atque modos habituum, vt illis veſtibus affixa nomina, faceſſant negotium legentibus, Varronem, Horatium, Solinum, Martialem, Suidam, Plautum, Sextum Pompeium, Cieronem, Valerium Maximum, & Iulium Capitolinum, cùm meminere veſtes ſuo tempore fœminis vſitatas. In his recenſentur, cyclades, pallæ, ricini, crocotæ, ſyrmata. Cyclas veſtis ampla fuit, qua Alexander Romanus Imperator dignatus eſt matronas nobili genere inſignes, vt author eſt Lampridius. Ad hanc veſtium pompam pertinebant, & ornamenta dicata quibuſdam partibus, vt reticulus, mitra, faſciola ſtrophium, vitta, & faſciæ pectorales. Cùm itaque dico, ſororem Hieronymi Narnienſis Capucini, communi habitu ſibi feciſſe ſatis, licet alia ſuppeterent ornamenta congrua ſorti eius; perinde eſt, ac ſi pro trophæo virginis heroinæ appenderem palo veſtes illas omnes antea recenſitas. Vt feretrum ſerico ornatum clamat ſubeſſe cadauer olidum, ita & corpora

Varro lib. 1. de vita populi Romani. Horat. in arte poetica. Solin. c. 66. Martialis lib. 4 Epigr. Suidas verbo κρόκωτος

Plautus in Aulularia Sext. Pomp. lib. 17. Cic. orat. de aruſpic. Val. Max. lib. 6. c. 2. Iul. Capitol in vita Claud. Albini Lamprid. in vita Alex. Imp.

pora caris ornata notant, vt plurimum, animam lethali crimine ſauciatam. Omnis namque ſuperfluus ille amictus, quo criſpati ſequaces mundi nitent, aucupantes his veluti retibus auram popularem, velificatur ſuperbiæ; cùm verò illudit oculis mulierum, tunc eſt facula luxuriæ. Aliàs eſt imprudens dilapidatio cenſus, ac proinde nimius veſtium luxus, eſt plurium vtique latentium teſſera vitiorum. Quorum agmen totum Cynthia noſtra vicit, more Dauidis, qui vt proſterneret hoſtem gigantea mole terribilem, reſpuit aurea indumenta Regis, ſimplicem arbitratus habitum eſſe magis idoneum, ad frangendos huiuſce gigant is impetus homicidas. Ita puella benè edocta ſibi conſuluit, humili amictu cauens noxios mundi ſuſurros, & declinans inſidias, quas libido tegit ſplendidis indumentis. His igitur exuta crepundijs, non habuit vnde teneretur, in ſupremo illo agone, quem moritura ſacris initiata confecit cum dæmone. Vegeta ætate decubuit virgo, quam vt Hieronymus frater inuiſens, ore fatidico ſic eſt alloquutus: Aequo animo eſto ſoror: inſtat illa dies, quam nox nulla ſuis vnquam tenebris inumbrabit. Deus pro foribus adſtąt, omnes deterſurus anguſtias, quas vltro ſubijſti decurrendo vitæ aleam, ad cuius metam fauſtè Deo comite perueniſti. Accinge te ſacris, quibus ſuos pugiles armat Eccleſia, veluti panoplia, in ſupremo hoc agone, quem ptopitio influxu gratiæ Dei fortiter exantlabis. Virgo decumbens, & ægra, ſonos hos, & verba fratris excepit, vt claſſicum, credidit eſſe tubam, ad bellum acerbum cum dęmone prouocantem. Eam ob rem virgo animoſa bello aſſueta, ſe aptauit extremo certamini, arbitrata fratrem ſuum Hieronymum Dei flamine percitum pręſenſiſſe morbum hunc, tantùm funere finiturum. Itaque fidem prudenter adhibens illi fraterno pręſagio, ſacris procurata finem ſortita eſt concolo-

1. Reg. 17.

colorem vitæ, quam florente ętate interrupit, multa virtutum ſerie decoratam.

Si Hieronymi noſtri mater, in omnem pietatis ſpeciem compoſita, nacta eſt filiam ſuarum virtutum æmulam; longè beatior fuit in filio, vt toto vitæ eius cõtextu videre eſt. Is etenim haudquaquam degener, ab vtroque parente ſuo, ſemina virtutis inſita ab eis adeo ferventer excoluit, vt hac hiſtoria probaturus ſim, virtutes, quæ perfunctoriè coluntur ab alijs, fuiſſe prorſus in hoc etiam iuuene ſingulares. Idcirco infantis huius educatio, tot ſtipata virtutum exemplis, & cautelis ad vitia extirpanda, eſt præferenda ſanè illi curæ, quam priſcæ gentes adhibuere ſuis filijs educandis. Diodorus Siculus magni facit Thurios, quorum legiſlator Charondas cauere volens pueris prudenter inſtituit, vt publica impenſa præficerentur eis magiſtri doctiſſimi. Plutarchus ait Sertorium Iberos iiſdem ferè legibus obſtrinxiſſe. Idem commemorans Alexandri induſtriam, vt Perſarum animos imbelles rebus arduis adaptaret, ſcribit, Alexandrum triginta mille pueros Perſas ſelegiſſe; quos adſcitis è Macedonia magiſtris peritis tradidit imbuendos. Veſpaſianus æmulatus Alexandri ſolertiam, de ſuo penu ſtipendium fecit ludi magiſtris. Habuit & ſequaces ille Imperator, hos ſcilicet, Antoninum Pium, & Traianum, qui intereſſe rati Reipublicæ, prima rudimenta iuuentutis, in puerorũ gratiam magiſtros ſponte ſuis erogatis opibus adſciuerunt. Perſæ meo arbitrio, cautiùs prouiderunt hominibus, quos adhuc impuberes edocebant, diſcernere iuſtum ab iniuſto, propoſitis præmijs virtuti congruis, obiectis item pœnis idoneis, vt vitia compeſcantur. Ad hos proximè acceſſit Lycurgus. Vt enim Sparta futura caput Græciæ, non armis modò, ſed & moribus excelleret, prudens ille Legiſlator ſanxit, vt is, qui præficeretur in magiſtrum pue-

Diod. Sic. lib. 12. Plutarc. in Sertorio. Idem in Alex. Sueton. in Veſpa. Iulius cap. in Antonino Dion. in Traiano Alex ab Al. l. 2. c. 35. Plutar. in Lycurgo.

pueris, haudquaquam eſſet infimæ ſortis homo, ſed vir clarus, ad hoc puerorum obſequium, ex ſupremis etiam inſulis accerſitus. Vt magiſtratus erant virtutis emeritæ, credidit ille Laconum inſtitutor, cautè prouideri informi ætati, ſi incidat in magiſtrum, cuius vita vocalis ſit, & ſonora, non verborum ſtrepitu, ſed toto virtutum agmine concrepante.

Hiſce bonis auſpicijs educatus eſt Hieronymus, vtroque parente magiſtro vſus, proprijs in ædibus, vbi domeſtica virtus erat, & vnde procul vitiorum omnium ſordida colluuies penitus arcebatur. Hi namque potlores ſunt atque præcipui magiſtri, qui factis ſua dicta probant, ad inſtar Iulij Genitoris, quem Plinius iunior ita recenſuit, filiolo amici ſui ſuggerens in magiſtrum: *Pro Genitore*, inquit, *me ſponſorem accipe: nihil filius tuus audiet ex hoc niſi profuturum. Trade eum illi, à quo mores primùm, mox eloquentiam diſcat, quæ malè ſine moribus addiſcitur.* Plin.lib.3. epiſt.3. Hieronymus Narnienſis profectò fuit eloquentia vtraque potens, vt liquebit ex dicēdis: namque manus, & lingua concordes fuere patris exemplo, quem, vt præmiſi, Doctorem veritatis Itali, congruo nomine nuncuparunt. Vnde quadrat Hieronymo Capucino vetus elogium à Plinio affictum cuidam homini minimè degeneri, vtpote patris ingenium graphicè referenti: *Pertinet*, inquit, *ad profectum tuum, à patre diſertiſsimo viro diſcere, quid laudandum, quid reprehendendum: ſimul ita inſtitui, vt verum dicere aſsueſcas. Vides quem ſequi, cuius adimplere debeas veſtigia. O te beatum, cui contigit vnum atque idem coniunctiſsimum exemplar, qui denique eum potiſſimum imitandum habes, cui natura eſse te ſimilem voluit.* Idem lib. 8. ep. 13. Hactenus ille.

Profectò fuit illa reciproca beatitudo patris, & filij. Nempe Petrus Mautinus virtutis affectum ſibi inſitum, ſuis etiam filijs inſerüit, qui ſic egregiam patris indolem,

concolori vita, & gratia Dei comite propagarunt. Inde libet patrem Hieronymi cõpellare præconio, quod in gratiam præceptoris eximij texuit Ennodius, ſic eloquentiæ ſuæ vela pandens, doctori optimo litaturus: *Salue*, inquit, *nutritor profectuum, fax, & ſplendor ingenuitatis; qui nobilia germina laborioſis purgando ſurculis, in fructibus facis agnoſci: qui in cano flore nouellæ poſteritatis, quantùm horreis paretur oſtendis.*

Ennodius Diction. 7.

Ita Ennodius, quem ex compoſito diceres effinxiſſe patrem Hieronymi, quem & nos cauſidicum diximus, & præfectum iuſtitiæ, obſeruantiſsimum æqui, & venuſtate morum omnibus illucentem. Vnde ſicut illi, qui directos Solis radios excipiunt, colligunt è ſua terra fruges, inaſpectas vbi Sol obliquus irradiat: Ita & Hieronymus vtriuſque pij parentis intuitu, propitio velut influxu ſatos habuit impetus, & hos prævalidos, ad obiectas ſibi virtutum ſpecies inſerendas. Et hæc ſancta æmulatio, quæ deduxit Hieronymum Narnienſem. in virtutum omnium chorum, fuit vt præmium, quo Deus dignatus eſt parentes eius, qui ambo videre prolem hãc ſuam Capucino ritu Chriſto Domino mancipatam. Tale profectò ſtipendium decuit illam diſciplinam facto proditam, & quæ ſortitur effectus, quos recolit iſta ſententia Chryſologi: *Magiſterium*, inquit, *ſtat de ſcientia, ſed magiſterij authoritas conſtat ex vita. Docenda faciens obedientem perficit auditorem*. Docere factis, ſola eſt norma doctrinæ: doctrina in dictis ſcientia eſt, in factis virtus. Scientia ergo illa vera eſt, quæ fuerit miſta virtuti.

Chryſol. ſerm. 167.

Quæ

Quæ argumenta pietatis effulſerint in Hieronymo, adhuc impubere. Caput VI.

SAlomonis diuino flamine perciti percrebruit oraculum, pueros vti par eſt afficiens congruis inſtitutis: *Audi*, inquit, *fili mi diſciplinam patris tui, & ne dimittas legem matris tuæ, vt addatur gratia capiti tuo, & torques collo tuo. Fili mi ſi te lactauerint peccatores, ne acquieſcas eis*. Præcepti huius ſumma eſt, vt non lacti peregrino, ſed domeſtico iuuenes aſſueſcant. Si ad trutinam naturæ perpenditur oraculum iſtud, ingerens mentionem lactis, abſque dubio propitium eſt puerulis, quos pendulos ex vbere mater alit. Propria namque parens lacte deſudat, indoli infantis affini magis, quàm ſit lac alterius fœminæ peregrinæ: Idcirco Dei prouidentiæ tribuitur, quòd Moyſes trimus è naufragio ereptus, & fœminæ Aegyptiæ gremio exceptus, non ebibit lac aliquod exoticum, ſed adſcita matre ſua, fuit eius lacte ſibi conſono ſaginatus. Illa materni lactis opinio tanta fuit, vt Germanis aliquando nefas fuerit infantes alijs committere nutricibus; vt pueri eſſent, & lacti ſimul & maternis moribus aſſueti. Romani etiam ſuſpicati in lacte delitere vires præcipuas, quæ ſe ſe inſinuant toti membrorum compagini, conduxere nutrices Laconicas, arbitrati heroinas mulieres maſculo lacte ſuo, tenella corpora roborare. Eſto præcipuum infantium edulium ſit in materno lacte ſitum; nolo tamen intelligi Salomonem hoc loco, velut præconem lactis eius, quod in nutricis vbere concocto ſanguine dealbatur. Alia longè fuit mens Spiritus ſancti, quo afflatus ille ſua fudit oracula. Salomon quippe totus eſt illic in aſtruendis moribus infantium,

Prou. 1.

Exod. 2.

Tacitus lib. de moribus German.

Plutarc. in Lycurgo.

& non in carne opimis paſtibus impinguanda. Vnde ſagaci mentis indagine rimanti intentum Salomonis in præfata illa vſurpatione lactis, ſtatim ſuſpicio iſta occurret: ſcilicet, hoc verſu nomine lactis agi de primo rudimento diſciplinæ, quæ neſcijs animis ingeritur, vt ſic tincti leuibus initijs, adoptentur inter ſcientiæ huius abditæ candidatos.

Hæc oportuit præmittere, vt conſtaret de pietate, quæ illuxit in Hieronymi Narnienſis infantia. Cùm namque puer lacte ſolo parentum vſus fuerit, & vterque parens emeritæ virtutis extiterit; procul dubio ad infantis indolem propenſam ad ea, quæ Dei ſunt, illa domeſtica monita contulerunt. Vtque madent corpora noſtra humore, quem ſuxerunt: ita puer Hieronymus ſuam infantiam auſpicatus eſt, iuxta pietatis exempla domi ebibita. Vnde ſi fortè deforis quidpiam impium, aut obſcœnum irrumperet in mores eius, ille non acquieſcens his impuris, lac illud peccatorum ſedulus abſtergebat. Diceres hunc infantem fuiſſe inſtitutum ad mentem, & ad nutum Beati Hieronymi, qui hanc præſcripſit formulam Gaudentio, in gratiam filiolæ eius Pacatulæ: *Neſciat*, inquit, *imò timeat cum pueris ludere. Nullum impudicum verbum nouerit; &, ſi fortè in tumultu familiæ diſcurrentis aliquid audiat, non intelligat. Matris nutum pro verbis, ac monitis, & pro imperio habeat. Amet vt parentem, ſubijciatur vt dominæ, timeat vt magiſtram.* Prima lactis infuſio, quæ reſperſit hunc infantem, fuit diſtincta nominum Ieſu, & Mariæ prolatio. Balbutiens nempe puer, in nomenclatura rerum aliarum, præcoci tamen peritia diſtinctè ſacra nomina proferebat. Quodque bonum omen ingerebat, vtraque coeunte manu, orantis habitu Ieſum, & Mariam, infans ille tener è materno ſinu pendulus inuocabat. Gregorius ait, puerum quinquennem à patre blaſphemo

Hieronym. epiſt. 12. ad Gaud.

Gregor. lib. Dialog.

mo

mo enutritum in eius amplexu fuiſſe ſuffocatum à diabolo, quia vitiorum patris æmulus infans, verba Deo iniuria ſæpius eructabat. At ſecus omnino effectum eſt in noſtro infante: quippe parentes eius aſſueti referre nomina Ieſu, & Mariæ, hunc erga voces ſacras affectum puero ſuggeſſerant, vt ad nomina tantùm Ieſu, & Mariæ lingua tyrunculi erudita minimè balbutiret. Quòd verò manus iunctas ſpecie orantis haberet, ore reſonante Ieſum, & Mariam, hoc prodit mellitum quidpiam, cœlitus illapſum in corculum huius iuuenis exultantis.

Toto vitæ decurſu memor Hieronymus, quàm ſuaue nomen Ieſu ſibi fuerit infantulo, contra acerba omnia, quæ faceſſunt corpori vel animæ moleſtiam, non habuit potiores hoc ſacro nomine medicinas. Multiſcium enim hominem non latebat illa verax Bernardi ſententia, affirmans nomen Ieſu poſſe in omnes anguſtias. ſic ille: *Nec tantùm lux eſt nomen Ieſu, ſed eſt & cibus. An non toties confortaris, quoties recordaris?* Hæc Bernardus, & quaſi mente præſaga rerum, quæ fecere fidem elogijs antea recenſitis. Nempe puer Hieronymus, enuntiato nomine Ieſu, ſuas omnes tergebat anguſtias; & grandior factus, inde velut è pharetra telis inſtructa ſumens ſpicula, hæc in hoſtes animæ ſuæ fortiter intorquebat. *Bernard. ſerm. 15. in Cant.*

Nec fuit inanis obſeruatio de vtraque coëunte manu, inſtar orantis ad prolationem nominis Ieſu: præter enim ſenſum gratiæ influentis in infantem, hoc notabat, aliquando manus, & linguam Hieronymi fore concolores, & maiora obſequia Chriſto Domino præſtituras. Quia iuuenis Alexander equum Bucephalum hactenus indomitum, illi inſidens edomuit, vt ſecundo capite præfatus ſum; pater hinc intulit eum fore domitorem orbis: & reuera domitrix illa virtus Alexandri iunioris, cum eo fortiter adoleuit. Ita Hieronymus infans, pelle

tenus ambas nomini Ieſu manus obtulit implexas, inſinuans, ſe fore impigrum cultorem Chriſti, illi congruis actibus obſequendo. Patet ex loquela iuniore infantis huius, quàm prudentes debeant eſſe parentes filijs adſtantibus: quidquid enim audit infantia, illud ſubinde repetit, velut echo loquax, vocis refractæ ſonos auribus inſuſurrans. Idcirco Beatus Hieronymus conſulens infanti Pacatulæ, patrem eius Gaudentium ita præmonuit: *Vocis dulcedines per aurem animam vulnerantes, puellarumq. laſciuia repellantur, quæ quantò licentius adeunt, tantò difficilius euitantur. Flexibilis eſt, & quocunque duxeris trahitur*. Hactenus ille Sanctus, nactus in vtroque parente Hieronymi noſtri famulos obſequentes. Siquidem illi puerulum educantes, ad amuſsim regularum, quas præſcripſere Sancti, filium ſortiti ſunt, earum ſuffragio talem, vt vita eius innoxia cedat in exemplum poſteris omnibus excolendum.

Hieron. epiſt. 12. ad Gaudentium.

Ne deuia extra metas erret oratio, eò redit vnde parum exceſſerat. Vt infans Hieronymus corpore benè compacto fuit, ita ſenſim excreſcens prætulit indolem literis idoneam; quibus vt ſe aptaret, iuſſu patris adibat ædes hominis, ad quem alij infantes vndique confluebant. Didicit itaque puellulus, & literas noſſe, & ſtylo compingere. Res profectò mira, & ſine exemplo! vbi tyro ſuum penſum abſoluerat, tincto calamo Crucis, & Crucifixi in charta ſpecies effingebat. Res eſt vernacula, videre infantes pronos ad pingendum: ſed puerulum hanc ſibi indixiſſe curam, vt Cruces, & crucifixum tantùm linearet, res credo fuit hactenus inaſpecta. Non fuere iocantis animi fœtus illæ Cruces, vt ferè accidit illis, qui in condendis Crucibus excellunt. Sed puer ille deſuper actus, illas imagines à ſe lineatas affigebat illi parieti, cui ſuus lectulus incumbebat. Tantaque fuit copia chartularum, quas cruce efficta pius illic appoſuit,

vt

vt aulæi ſiue tapetis inſtar, totum ferè murum obduxerint. Diceres, voluiſſe infantem conſecrare locum illum, vt fieret in Sacellum. Etenim frequens ante Cruces has orabat, Crucifixi intuitu factus & ipſe Crucis amaſius; quam & Chryſoſtomus, vt ſalutare obiectum domi in parietibus,& feneſtris vult apponi, ad affectum eius omnibus ingerendum. Sic ille: *Veluti coronam, ſic læto animo crucem Chriſti circũferamus. omnia enim, quæ ad ſalutem noſtram conducunt, per ipſam conſummantur: nam cùm regeneramur, crux Domini adeſt: cùm ſacratiſsimo alimur cibo, cùm in ordine conſecrandi ſtatuimur; vbique ac ſemper id victoriæ inſigne nobis aſſiſtit. Quapropter, & in penetralibus, & in parietibus, & in feneſtris, & in fronte quoque, & mente, magno ſtudio crucem inferamus: id enim ſalutis noſtræ, id communis libertatis, id manſuetudinis, atque humilitatis Domini ſignum eſt.* Quam benè morem geſſit Chryſoſtomo puer Hieronymus, parietem lectulo vicinum crucibus ornans, vt contra libidinis æſtus, illa ſalutis noſtræ teſſera muniretur. *Chryſoſt. homil. 55. in Matt.*

Tunc temporis erat Hieronymus annorum fere duodecim, vegeto corpore, & in venis ſanguine ferueſcente. Procul dubio dæmon fomite ætatis vſus, in obſcœna anhelus incendia, faces admouit huic iuueni, quibus & tentauit olim Hilarionem vrere pubeſcentem. Accipe ex Beato Hieronymo diaboli verſutiam, vt quindecim annorum homo, ſcilicet Hilarion eremi cultor occumberet, ictus ardenti ſpiculo Veneris æſtuantis. *Diabolus cernebat ſe vinci à puero, & prius ab eo calcatum fuiſse, quàm per ætatem calcare potuiſset. Titillabat itaque ſenſus eius, & pubeſcenti corpori ſolita voluptatum incendia ſuggerebat. Cogebatur tyrunculus Chriſti cogitare quod neſciebat, & eius rei animo pompam voluere, cuius experimenta non nouerat. Iratus itaque ſibi, & pectus pugnis verberans, quaſi cogitationes cæde manus poſſet excludere.* Hactenus *Hieronym. in vita Hilar.*

ille ſcriba fortium agonum nobilis eremitæ. Vt diabolus eſt hoſtis, cui nomina mille, mille nocendi artes; ita & crux eſt valida armatura, quæ occurrit dæmonum inſidijs. Hoc itaque crucis obiecto familiari, puer Hieronymus caſſa fecit omnia conamina dæmonis irrumpentis. Si namque virus inſtillatum ab igneis ſerpentibus, hebes, & innoxium omnino fuit illis, qui direxere ſuos oculos in ſerpentem æneum pendulum è ligno; nullus planè locus eſt inficiandi, Crucifixum fuiſſe ſuo cultori tyrunculo, contra virulenta luxuriæ ſpicula ſalutarem. Fauet Ambroſius hoc diſcurſu: *Si affixus ſerpens ligno filijs Iſrael contulit ſanitatem; quantò magis ſalutem præſtat Dominus in patibulo crucifixus? & ſi figura tantùm profuit, quantùm prodeſſe credimus veritatem?* Hæc ille, velut vates gratiæ, quæ affulſit tyroni, & puero Hieronymo ex viſa frequenter imagine Chriſti Domini crucifixi.

Ambroſ. ſerm. 55. de Cruce.

Ex actis S. Procopij Gazæ Epiſc.

Non coire Crucem, & Venerem, luculenta liquet hiſtoria. Porphyrius Gazæ Epiſcopus nulla ratione potuit Gazenſes inducere, vt obſcœnam Veneris ſtatuam in foro poſitam euerterent: ſed irritas preces Epiſcopi in gratiam caſtitatis, ſua præſentia Crux Chriſti Domini vindicauit. In publica namque ſupplicatione clerus præeunte cruce, ciuitatem luſtrans, vt ſtetit in foro, Venus non potuit ferre crucem: nempe repente ruit, & confracta eſt ſolo crucis intuitu, ſpecies hæc Veneris impudicæ. Ita ſibi conſuluit puer Hieronymus, contra libidinis importunos æſtus, illis opponens crucem; eaque tyro caſtitate præfulſit, quam ſecundo ab hinc capite recenſebo. Salomon fracturus inertiam hominum, qui otio diffluunt, mittit eos ad formicam: *Vade* (inquit) *ad formicam ò piger, & conſidera vias eius, & diſce ſapientiam: quæ cùm non habeat ducem, nec præceptorem, nec principem, parat in æſtate cibum ſibi, & congregat*

Prou. 6.

gregat

gregat in meſſe, quod comedat. Vſquequo piger dormies? quando conſurges è ſomno tuo? Sic ille Dei pręco ignauos homines prouocat ad laborem. Exempli potioris obſequio ſuggeram ego modum diluendi technas hoſtium omnium vaferrimi. Nempe puer Hieronymus ſufficit ad ideam congruam certaminis, cum iniquis animæ noſtræ hoſtibus obeundi. Eſto dæmon conducta natura fœdis etiam vitijs obnoxia, mentem exagitet, vt ſic naufraga diſpereat, conſenſu in peccatum elicito. Crucis obiectu puer impubes, ſaluis mercibus, ad gratiæ portum applicuit, ſedatis dæmonis, & naturæ æſtibus importunis.

Ita maris exundantis vndas excurrentes olim cohibuit Hilarion: facto nempe crucis ſigno, pelagus infremuit, & quaſi inuitum redijt eò, vnde ſuas ſpumas inuexerat, inſtantem perniciem minitans Epidauro. Rem quaſi oculis ſubijcit Beatus Hieronymus: *Poſuerunt eum in littore. Qui cùm tria crucis ſigna pinxiſſet in ſabulo, manuſque contra tenderet; incredibile dictu eſt, in quantam altitudinem mare intumeſcens ante eum ſteterit: ac diu fremens, & quaſi ad obicem indignans, paulatim in ſemetipſum relapſum ſit.* Hæc ille in gratiam ſigni crucis; cuius & vim expertus eſt adoleſcens Thomas clariſſimi Ordinis Prædicatorum nitidum iubar, & Theologorum apex. Iuuenem illum in cubiculo adorſæ ſunt duæ puellæ Veneris aſſeclæ, vt eum totum luxuriæ facibus accenderent. ille pudoris ſui propugnator acerrimus, titione ex vicino foco arrepto fugat fœminas impudicas. Et ne inſultus obſcœni reliquiæ faceſſerent negotium, ſuperſtite motu luxuriæ, qui inuitos etiam laceſsit Sanctos, induſtrius adoleſcens, eodem titione vt penicillo, crucem in pariete delineat, & coram in genua prouolutus, opem Crucifixi anxio animo deprecatur. O quàm præſtò ſuas ſuppetias exhibet crux cultoribus

Hieron. in vita Hilar.

Ex vita S. Thom. Aquinatis.

ſuis!

ſuis! Eodem ferè temporis articulo ſopor irruit in Thomam, quem procul abacto ſenſu libidinis, Angeli æterno caſtitatis baltheo ſuccinxerunt.

Singularem crucis opem in his anguſtijs, quas patitur anima laceſſita, experietur ille, qui ſua cruci deferet obſequia, crucifixum etiam congruis actibus æmulatus. Profectò eo cultu puer Hieronymus, in cruces affectus eſt. Cordi nempe ſuo impreſſit illud ſignum, quod illic altas radices agens, ſuo tempore congruos edidit fructus; cùm ſcilicet nomine dato Capucinis, ſæculi ſeſe nexibus expediuit. Arbitror ego nouellum hunc diſcipulum Chriſti, in frequenti intuitu Crucifixi ſenſiſſe ſuſurrum, quo Bernardus ſolicitat animas ad ſequelam eius, qui ſanxit eſſe penes crucem, rite baiulatam, præcipuas gratiarum gazas, & pretium animarum. Ecce ſuaue melos, quo Bernardus præco Crucifixi pias animas ſolicitat. *Sequere* (inquit) *Dominum aſcendentem crucem, exaltatum à terra; vt non ſolùm ſuper te, ſed & ſuper omnem quoque mundum, mentis faſtigio colloceris.* Sic Bernardus, in puero Hieronymo nactus congruum auditorem. Vt enim iure canonico cautum eſt, ne quis erigat Eccleſiam, quin Epiſcopus illic fixerit crucem: ita priuſquam Hieronymus, ſe aptaret in templum Deo conſecratum, beneficio religionis, lectulum ſuum, & huic vicina loca ſalutari crucis teſſera conſignauit.

Bernard. ſerm. 4. Aſcenſion.

Canone Nemo, de conſecrat. diſt. 1.

Deuotionem pueri in crucem auxit beneficentia Cardinalis Eminentiſſimi Cæſis, qui puerum ex ſacro baptiſmi fonte ſuſceperat. Is filiolum hunc ſuum ſpiritualem, fortè reducem ex ſcholis, vt aduertit elegantem, & benè compoſitum, paterno affectu propenſus in iuuenem tam venuſtum, cui & ſanguine iunctus erat, vt ſupra recenſui in ſerie proſapiæ nobilis, vnde ſatus eſt puer, cui hoc codice deſudamus. Præſul inquam ille, volens aliquo donatiuo tyronis animum acuere,

hunc

hunc accerſit, & ſuauiter amplexatum ornat aurea cruce, quæ ex catena aurea defluebat. Torquem collo imponit, mente velut præſaga notans, Hieronymum fore crucigerum equitem, eius ſcilicet Ordinis, vbi Anteſignanus nomine Franciſcus, crucis amator eximius, inuſta refert ſtigmata Crucifixi. Profectò cruce aurea dignus erat infans, qui venerabundus etiam in chartulis crucem excoluit. Ita Tyberius ille Imperator Chriſtianus, dum in lapide marmoreo veneratus eſt crucem, iubens tolli marmor ex humili loco, ne cruci fieret iniuria, ingentem vim auri inuenit, ſub hoc marmore delitentem. Crux honorata ſuos cultores magno honore recreat, & afficit.

Hiſtoria Imperialis in vita Tyberij.

Sed quia egregia quæque facinora eſſe debent ſtipata ſuis partibus, & cautelis; valdè parum eſt ferre crucem, ſi gratiæ Dei expers eſt anima moleſtijs oppreſſa duris: non etenim homo Deo ingratus, ſe gloriæ æternæ aptat, etſi importuno crucis pondere prægrauatus. Reprobo latroni, crux nequaquam profuit ad ſalutem, namque crucis virtus eſt obtuſa, ſi ponatur obex; & caſſæ ſunt anguſtiæ laceſſentes animam, gratiæ Dei latices lethali aliquo crimine remorante. Huic diſcrimini cautè occurrit Hieronymus adhuc puer: ſiquidem eſto tenellus à vitio procul eſſet, ſæpe conueniebat ſacerdotem à confeſſionibus, vt aptior eſſet deferendæ cruci anima cœlitus expiata. Res illa fuit ſingularis ea tempeſtate, qua rarior vſus erat eius ſacramenti. Arbitror Anteam Alberti, quæ ſpecies erat omnigenæ pietatis, ſuo exemplo filium ad hunc ritum vſurpandum tacitè coëgiſſe. Itaque confeſſione crebra præeunte Hieronymus puer ſua cruci pendebat obſequia, eò magis grata Deo, quò purior erat ille crucis amaſius, à Deo deſuper eruditus. Ideoque procul fuit ab indole eius, quem deflet Auguſtinus, vt malè ſibi conſulentem in ærumnis. *Cùm*

(in-

Auguſtin. epiſt. 38. ad Lætum Tomo 2.

(inquit) *te præſens animaduerterem domeſticis curis à diuino ſtudio retardari, ferri te potius ac duci à cruce tua, non eam te ferre, ac ducere ſentiebam. Crucem enim noſtram Dominus, quam portari iubet à nobis, vt eum expeditiſsimi ſequamur, quid aliud quàm mortalitatẽ carnis huius ſignificat?* Huius mentẽ puer Hieronymus eſt appoſitis actibus aſſecutus. Namque repetitæ confeſsionis ſuffragio, ſe aptauit cruci; vt quam albo parieti impubes affixerat, hanc adoleſcens illibato animo, necnon & mundo corpore linearet.

Quæ humilitatis ſpecimina puer Hieronymus ediderit. Caput VII.

CELEBRATVR codice ſacro conſilium Ieſu Syracidæ valde proficuum nobilibus, in quos ſcilicet fœcunda natura dotes præcipuas contulit; quando delineans homines illos, præ alijs claros tinxit ſanguine terſiore. Sic ille opportunus monitor occinit. *Quantò magnus es, humilia te in omnibus, & coram Deo inuenies gratiam: quoniam magna potentia Dei ſolius, & ab humilibus honoratur.* Ita Ieſus ille Syracides occurrit diſcrimini ſuperbiæ, cui ferè facit obnoxios homines inſita nobilitas,

Eccleſiaſt. cap. 3.

Queis meliore luto finxit præcordia Titan.

Nimirum in confeſſo eſt apud omnes, illuſtre genus etiam pueros afficere typho quodam, quo ſuaſore deſpectui habent ignobiles, ſibi adiectos in ſodales; & vix balbutire queunt, dum garriunt de nobilitate ſua, quam creduli nimis putant aſſerere, ſi ſuperbis actibus inſoleſcunt. Præiudicio ætatis aliquid eſt indulgendum pueris, qui ad arbitrium auræ gyrant. Sed reuera piacu-

lum

lum eſt, & præſertim apud initiatos Chriſti diſciplina, ingraueſcente ætate homines nobiles intumere. Fas ſit Gentilibus ſuperbire, quos dæmone afflatos ſcimus. Chriſti diſcipuli, & ſequaces Angeli refugæ, non concordant. Chriſtus quippe ſuos ſymmyſtas ad humilia inflexit: at ſecus idololatræ, nobiles à plebe, aliqua eis inuſta ſuperbiæ teſſera diſtinxerunt. Ex Plutarcho, Romæ Numa ſanxit, vt nobiles lunulas calceis aſſuerent, vt Arcadum more genus ſuum iactarent eſſe antiquius Luna. ita Statius. *Plutarch. probl. cap. 76.* *Stat. lib. 4. Thebaid.*

Arcades huic veteres, aſtris Lunaque priores
Agmina fida ſatis.

His nobiles dicti ſunt Proſeleni, id eſt geniti ante Lunam: imò & ante Iouem editos, ſe dixere turpiter ementiti. Hanc ſic meminit inſaniam Ouidius: *Ouid. lib. 1. Faſtor.*

Ante Iouem genitum terras habuiſſe feruntur
Arcades, & Luna gens prior illa fuit.

Ille ritus lunulas calceis affigendi, vigebat adhuc æuo Iuuenalis, quem accipe. *Iuuenal. Satyr. 7.*

——————*Et nobilis, & generoſus*
Appoſitam nigræ Lunam ſubtexit alutæ.

Aetas hæc priſca tota compoſita in faſtum, aliud tumoris argumentum ſubdidit infantibus, editis nobili proſapia. Etenim Macrobio auctore, pueris claro parente ſatis cor aureum collo in pectus defluens appendebant. Hac ſpecie cordis obiecta oculis infantium, acuebant animos ad grandia audenda: ſicque tenellis adhuc infantibus, dum credidere nobiles, certè ſuperbos ſpiritus ingeſſerunt. Similis propè tumor, & Parthos, & Perſas egit in diſtinctione nobilium: nempe pedes ibat ignobilis, ſuam ſic prodens humilem ſortem; at ſecus in argumentum claræ proſapiæ, nobiles equitabant. Hunc morem Iuſtinus, & Strabo commemorant. Indi ſanguine claro ſati byſſo induuntur, vt auctor *Macrob. lib. 1. Sat. cap. 6.* *Iuſtin. lib. 14.* *Strab. lib. 15.* *Philoſtrat. in vita Apol. lib. 2. cap. 9.*

Apul. lib. 1. de dogm. Plat. Herodot. lib. 5. Herodian. lib. 3. Solin. lib. 25. Virgil. lib. 2. Georgicon, lib. 4. Aeneid.

ctor eſt Philoſtratus. Athenis aurum inſertum auribus, illuſtris proſapiæ ſignum eſt, apud Apuleium. Britanni, Geloni, Agathyrſi ſuos proceres ab ingloria plebe diſtinguunt, ex facie obducta colore cœruleo; refert namque color ille cœlum, ſupra quod etiam quando tument nobiles efferuntur. Vultus hos inducto colore infectos recolunt Herodotus, Herodianus, Solinus, & Virgilius ſic ſua modulatus auena:

Eoaſque domos Arabum, pictoſque Gelonos
Creteſque, Dryopeſque fremunt, pictique Agathyrſi.

Series illa tota rituum antiquorum prodit olim Gentilibus nobilitatem, atque ſuperbiam, fuiſſe res concolores. Et, proh dolor, à Chriſto Domino ſoporatum hocce virus ſuperbiæ recruduit vitio nobilium. Namque plures ſe ſe putant in ſpurios abire mores, quando præſtituta ſibi humilitatis dogmata profitentur. In ipſis Eccleſiæ incunabulis rara fuit concordia nobilitatis, & Chriſtianæ diſciplinæ. Potior fidelium numerus erat hominum, quos ſors iniquior in ordinem redegerat. Si qui nobiles initiati ſacris fidei myſterijs Chriſto dedere manus, hi non agmine facto, ſed ferè ſingulari numero confluxerunt. Eò ſpectat illa Pauli Apoſtoli obſeruatio: *Videte*, inquit, *vocationem veſtram fratres: quia non multi ſapientes ſecundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles: ſed quæ ſunt ſtulta mundi elegit Deus, vt confundat fortia; & ignobilia mundi, & contemptibilia elegit Deus, & ea quæ non ſunt, vt ea quæ ſunt deſtrueret.* *1. Cor. 1.*

Hæc præfata cedunt ad gloriam Hieronymi: ſi quidem ille ſanguine claro cretus, impubes adhuc omne ſupercilium depoſuit, quod etiam in ſingulis quibuſque ſalit nobilibus infantibus, qui aſſurgunt in cothurnos, ſui nominis ſtemmate recenſito. Habuit multa argumenta typhi puer iſte, videns patrem ſuum præfici varijs vrbibus, vt iuſta cuique decerneret. Erat Petro Do-

nato Cardinali patrino ſuo, & affini chariſsimus: matrem habebat Anteam Alberti nobiliſsimam, ſummo honori apud omnes. Attamen inde tyro noſter, non aliqua vanitatis aura percitus aſſurrexit. Ne dixiſſe gratis exiſtimer aliquid, in gratiam eius aliqua promam exempla, quibus humilitas Hieronymi impuberis certior apparebit. In comperto eſt apud omnes, aliqualem gloriæ cupidinem laceſſere infantes, quos & magiſtri prouocare ſolent ad ſtudia aucupanda, propoſitis gloriæ, & honoris leuibus argumentis. Verbi gratia, decernitur in claſſe locus Imperatori, & is ſecretus ab alijs. Donatiua proſtant ijs, quorum ſtylus phraſi terſiore nitet: demum, vt honos alit artes, ita & ad ſtudia literarum, pueri adſcitis gloriæ & honoris aliquibus ſtimulis excitantur. Hanc gloriolæ pruriginem in infante probat Beatus Hieronymus, etſi aliàs vitiorum inſectator acerrimus. Sic ille affatur Lætam, cui præſcribit normam benè educandi filiam, quæ Sanctæ Paulæ neptis erat, ab incunabilis Chriſto Domino mancipata: *Syllabas*, inquit, *iungat ad præmium, & quibus illa ætas deliniri poteſt, munuſculis inuitetur. Habeat & in diſcendo ſocias, quibus inuideat, quarum laudibus mordeatur. Non obiurganda eſt, ſi tardior ſit: ſed laudibus excitandum eſt ingenium, vt & viciſſe gaudeat, & victa doleat.* Ita Sanctus ille teneræ Virginis inſtitutor. *Hieron. epiſt. 7. ad Lætã.*

Nonne igitur admiranda præcox humilitas tyrunculi noſtri Hieronymi Narnienſis, qui vt erat facilis ingenij, ita & præſtò capiebat ſenſum textus à magiſtro expenſi, nullum planè negotium aliqua difficultatis remora faceſſente? Ne tamen indolis ad ſtudia benè compoſitæ ſplendor eniteret, & foret argumentum gloriæ, & honoris; puer ſimulans ſe neſcire, adibat patrem, & fingebat eſſe ſibi textum inuium lectionis expoſitæ, ſicque rei benè intellectæ ſenſum puer humilis expetebat.

Cum-

Cumque crebrò conſuleret patrem, ille homo auſterus ſuſpicatus, hunc tyronem eſſe tardioris ingenij, quia in vado hærebat, eum increpans ſæpe verbis hiſce aſperis obiurgauit: Importune fili, quid mihi moleſtus es quæſtione nuſquam factura finem? Imitare fratrem tuum Septimium, qui & in eadem ſchola condiſcipulus, me non adhibet in cõcepto aliquo dubio conſultorem. Ad hæc puer ſibi ſimilis ſemper ait: Pater indulge mihi rudiori, nec me metire fratris ad amuſſim. vt ætate, ita mihi præſtat & ingenio, cuius acumine penetrat intima difficultatum, quas hebes mens mea nequit, ſine te Theſeo reſerare. Deferebat ita primas fratri ſuo puer Hieronymus, ne quis poſſet temerare liuor charitatem, quæ vegeta ſemper incanduit inter vtrumque fratrem. ſicque iactura debitæ gloriæ, & victa cupidine honoris, quæ mordet, & lancinat infantulos, fraterna fuit charitas illibata.

O ſtupendum in puero virtutis inſigne! Mentita nugax Gentilitas, quondam garriens in honorem Herculis infantuli: dixit eum Iunoni infenſum fuiſſe, laceſſitum à duobus anguibus immiſsis ab æmula, quos tenello corpori innexos, fortiter euellens, vtraque manu valida lacerauit. Sed hoc commento maius eſt facinus egregium editum ab impubere diſcipulo, cùm gloriam, quæ ſerpentis inſtar, ſeſe latenter inſinuat, lethale ſuum effuſura virus, virtute ſupra ætatem maſcula iugulauit. Præſtitit tyro rem, cui & impares ſunt illi, qui cenſentur eſſe magiſtri in agone virtutis. Etenim quotus quiſque eſt, qui gloriæ obuiæ non occurrat, & præſertim ſi gloria illa ſit congruum ſtipendium virtutis exercitæ? rarus erit, quem non perflat aura lenis gloriolæ, cùm ſanctiſſimi mortalium timuerint ipſi rapi turbine vanitatis. Sanctus Hilarion prouectæ ætatis deſpumantis pelagi typhum non horruit, ſed incunctante veſtigio, *Hieron. in vita Hilarion.*

ad

ad exundans mare acceſſit, imperans vndis, ne altius intumerent. Præſtò morem geſſit mare: ſed eo compoſito, populus vndequaque fluens excitus illo miraculo, procellam induxit ſuſpectam Sancto, qui timens applauſum vulgi, latenter auſugit impar gloriæ tempeſtati. Ita liquet æſtum auræ popularis eſſe maioris longè diſcriminis, quàm ſit pelagus vndoſum procellarum ferax, indubia morte fœtum, vtpote lethalibus vſquequaque fluctibus intumeſcens.

Serpentem illum gloriæ inanis, qui ſuis ſpiris implectit etiam ſummos homines, homo impubes edomuit; qui præiudicio ætatis erat diſcipulus, & prima rudimenta linguæ Latinæ ſedulus addiſcebat. Sicque puer Hieronymus in ſchola virtutis, antè magiſter extitit, quàm diſcipulus, ea ætate coronatus, quæ certaminis impos, victoriam iſtam prodigium facit poſteris admirandum. Hominem multo virtutum cumulo prędiuitem, ſuas diſſimulare gazas, & repudiare decus ſuo merito annexum; rem planè credo ipſo etiam virtutum agmine potiorem. Bernardus in eandem mecum ſententiam conſpirat, ita fatus. *Mirabilem te apparere, & contemptibilem reputare, hoc ego ipſis virtutibus mirabilius iudico. Fidelis reuera famulus es, ſi de multa gloria Domini tui, etſi non exeunte ex te, tamen tranſeunte per te, nil tuis manibus adhærere contingat.* Hæc ille, ratus eſſe ſatius edomare ſuperbiam, quæ naſcitur ex inſerto ſibi choro virtutum, quàm gloriari turpiter de virtutum omnium comitatu. Tantùm abeſt, vt puero Hieronymo arriſerit aura, quæ aſpirat eis, qui fœlici ingenio pollent, quinimò cauit, ne ſerpentis gloriolæ gyris, & voluulis implicitus, malè haberet infeſto vulnere ſauciatus. Cautelæ sũma fuit, vt memini, ementita rudi indole, fingere ſe ſtupidum, & ingenij hebetis, deferendo fratri ſuo palmã, quam iuris ipſius natura fecerat obſecũdans.

Bernard. ſerm. 13. in Cantic.

Gregorius ille Magnus, qui in ſtudio virtutis inſenuit, ingemuit aliquando ſibi, quod eò virtutis nondum acceſſerit, bonorum ſuorum operum meſſem adblandientis & cæcæ vanitatis tinea depaſcente. Ecce lugentis accentus, lacrymis interruptos. *Ad me* (inquit) *intrinſecus rediens poſtpoſitis verborum ſolijs, poſtpoſitis ſententiarum ramis; dum ipſam ſubtiliter radicem meæ intentionis inſpicio, Deò quidem ex eâ me ſummopere placere voluiſse cognoſco: ſed eidem intentioni, qua Deo placere ſtudeo, furtim ſe, neſcio quomodo, intentio humana laudis interſerit.*

Gregor. lib. 35. Moral. cap. 16.

Arbitror ego plures, cùm legerint eliſum ſuperbiæ caput à tyrone Hieronymo, fore eiuſdem animi, quo Cæſar olim, cùm decurrit vitam Alexandri: quem vt legit imberbem feciſſe ſui iuris magnam mundi partem, eiulans ait, Heu ego quinquagenarius homo, & Romanus armis aſſuetus, procul abſum à virtute iuuenis Alexandri. Proculdubio multis inſidebit ille lugendi affectus, & præſertim illis, qui initiati ſacris, alicui ſanctiorum ordinum dedere nomen ſuum. Cùm recolent puerum nauſeaſſe ad gloriam, & finxiſſe idiotam, vt ſic haberetur deſpectui; ſuam miſeri ſortem flebunt, quòd ſcilicet, in ſenio expertes ſint humilitatis eius, quam eſt puer impubes aſſecutus.

In argumentum humilitatis inſitæ Hieronymo, à teneris vnguiculis, ille licet alijs nobilitate excelleret, nemini ſuorum ſodalium tumidus inſultabat. Sed ea ſuauitate morum erat, vt nihil niſi mite, & humile puer oculis ingereret; ita vt omnium obuiorum hominum animos ſibi affectu tenero deuinciret. Pueris nobilibus frequens eſt iactantia: quippe recenſere ſuorum titulos, atque præfecturas, præcipuus eſt ſermo. Aſſurgere in cothurnos, & incedere in modum ferculi pompatici, communis eſt habitus, vt & ignobiles in ſchola ſocios aſper-

aſpernari. Illa labe nequaquam infectus eſt Hieronymus, qui beati Hieronymi ſpiritum æmulatus, vni ſtuduit humilitati, ante auſpicata ſtudia literarum. Ecce propoſitum Sancti Hieronymi. *Quamuis* (inquit) *mihi multorum ſim conſcius peccatorum, & quotidie in oratione flexis genibus loquar: Delicta iuuentutis meæ, & ignorantias meas ne memineris: tamen ſciens ſcriptum eſſe ab Apoſtolo, Ne inflatus ſuperbia incidat in iudicium diaboli. Et alio loco ſcriptum: Superbis Deus reſiſtit, humilibus autem dat gratiam: nihil ita à pueritia conatus ſum vitare, quàm tumentem animum, & ceruicem erectam, Dei contra ſe odium prouocantem. Noui enim magiſtrum & Dominum, & Deum meum, in carnis humilitate dixiſſe:* Diſcite à me, *quia mitis ſum & humilis corde.* Hæc grandæuus homo commemorans prima ætatis teneræ rudimenta. Hierony. epiſt. 32. ad Abigaū

Præfata tyronis noſtri humilitas ſæpe fuit pulſata machinis idoneis, ad corrumpendum humile propoſitum eius. Nimirum pater vir auſterus, ſuſpicatus obtuſum eſſe ingenium pueri, qui celabat aſtutè ſuam indolem literis aptam, eum ſæpe moleſtis virgis inflictis acrius obiurgabat. Quid putas feciſſe tyrunculum vocatum ad examen acerbum? fortè dices eum relaxaſſe parum de ſua conſtantia, vt ſic ſeſe plagis ſubduceret, quia omnino alius ab induſtria ſua procul indole credebatur. Minimè profectò puer ille tenax ſeipſum deſerüit, ſed nouo humilitatis incremento flagris cæſus, ſemper in genua procubuit, & iunctis manibus excepit ictus patris, qui credulus ſupra modum putabat hunc filium ſuum eſſe ingenio opaco, quia totum ſpiritus ſui acumen humilitatis tegmine recondebat. Huiuſce rei teſtem indubiæ fidei, & prouectæ ætatis ſuperſtitem, Deus præſtitit hactenus incolumem, ne poſteris excideret facinus illud egregium, à tyrone fortiter exantlatum. In

colophonem virtuti exercitæ, puer malè exceptus, nullam planè fecit ſuſpicionem ingenij peruicacis, cuius plerumque truces, atque feri homines ante pubertatem cæſi præbere ſolent multiplex argumentum. Eius ſunt generis oculi lacrymis inuij, caput more nutantium inclinans in partem vtramque minax, inconditus clamor, tremula pedum veſtigia, pudore extincto facies ſubpallida, & demum lacera ſegmina capillorum. Illa procul abfuit a noſtro tyrone ferocia: namque ſolutis in fletum oculis ictuum inflictorum ſenſum obortis lacrymis indicabat, nouaque ſponſione facta patri, vtroque genu flexo promittebat, ſe cautius acturum in poſterum, ne quid committeret cenſuræ obnoxium, vnde paterna bilis iterum exundaret.

Nouum ſanè genus virtutis aucupandæ, non cedere flagris, ne virtus excideret. Vt res eſt prope fidem excedens, ita laudis emeritæ ſubminiſtrat mihi hiſtorico locuples argumentum. Sed ne ieiuna ſuccumbat oratio, ſatius erit imparem ſe ſe confiteri, quàm humili eloquio tanta merita decurtare. Ad hanc etiam virtutem humilitatis pertinet ille habitus, in quem ſe componebat puer Hieronymus à confeſſione redux. Singulos quoſque domeſticos conueniebat, & deprecabatur veniam actionum, quas incautè illis conſcijs expreſſerat, idque ſatisfactionis ſpecimen edebat pudibunda facie, & ſeruulorum pedibus aduolutus. Talibus initijs, vt obſtetrice manu puer hic effectus, in eum virum euaſit, quem de Thoma magiſter eius olim prædixerat. Ille ſortitus ingenium acuminis ferè Angelici, omnes naturæ dotes diſſimulans, has omnes humilitati prouidè commendabat. Socij Thomæ neſcij, quantùm emineret ille candidatus Theologiæ, vocabant eum bouem, quia prægrandi capite ſolus, & tacitus ambulabat. Vt hoc ſcomma Thomę iniurium, magiſtro ſemel innotuit,

Ex vita S. Thom.

tuit, vaticinans ait: Bos iſte mugiet, & mugitus eius audietur orbe toto. Præſagio veridico fidem fecit illa Thomæ peritia, quæ peruaſit omnes mundi plagas. Etenim ſummos etiam magiſtros haudquaquam pudet, ſe ſe diſcipulos Thomæ Aquinatis ingenuè profiteri.

Puer Hieronymus fingens ſe eſſe indole ſpiſſa bouem credulis impoſuit: ſed bos iſte ſuo mugitu Romam ſæpius excitauit. Vt namque liquebit infra, conductus eſt à Paulo V. & Gregorio XV. vt illis præſentibus, & ſtipatis ſacro Collegio populis intonaret. Si quis ex præmiſſis hactenus exemplis eius humilitatis, quæ præfulſit in illo homine adhuc impubere, vellet conijcere, ad quem virtutum apicem ſurrexerit ingraueſcente ætate; fieret hic voti compos, ſecutus induſtriam eius, qui ex veſtigio Herculis pulueri impreſſo ſtatuam finxit congruam moli, corporis inaſpecti. Humilitas hominem humi figit: ſiquidem humilis, humi, litat ſe componens in abiectum ſitum Iob, qui ſterquilinio tacitus inſidebat; eo ſitu docens omne hominum genus deorſum inclinari, & nequaquam ad altiora ſe, ſuperbis niſibus anhelare. Audiendus eo loco Gregorius ita commentatus. *In ſterquilinio ſedere, eſt de ſe vilia quapiam, & abiecta ſentire. In ſterquilinio ſedet, qui infirmitatem ſuam ſolicitius reſpicit, & ſe ſe de bonis, quæ per gratiam perceperit, non extollit.* Gregor. in cap. 18. Iob.

Quia igitur prima Hieronymi veſtigia nitent in puluere, conducent opportunè, ad aucupandam molem, in quam coëunte plurium virtutum cumulo grandior aſſurrexit. Siquidem quantò quis humilior eſt, tantò etiam plus ei virtutis adijcitur, vberiore Dei gratia in ipſum cœlitus influente. Ita Gregorius. *Sciendum* (inquit) *magnopere eſt, quia tantò vnaquæque anima ſit pretioſior ante oculos Dei, quantò deſpectior fuerit ante oculos ſuos. Hinc ad Saul dicitur: Nonne cùm paruulus eſſes* Gregor. lib. 18. mor. cap. 20.

in oculis tuis, caput te conſtitui in tribubus Iſrael? Ac ſi diceret apertè: Magnus mihi fuiſti, quia deſpectus tibi: ſed nunc, quia magnus tibi es, factus es deſpectus mihi. Gregorius hoc diſcurſu fauet induſtriæ, quæ ſtaturam corporis concipit ex menſura pedum pulueri conſignata. Vt enim pes humili ſede gaudet; ita & humilitas, apta tamen indicare molem virtutis cuiuſque hominis: ab ea namque tota eſt virtutum ſeries auſpicanda. Ideoque reor eminentem fuiſſe ſtruem virtutum Hieronymi, quia ſingulari humilitate fuit, ea ætate, qua virtus eſt hominibus inuia, vt pote corpore imbecillo, neque ſatis vegeta ratione. Eſſe metiendas ex humilitate proceras animas, Auguſtinus ait, dum affirmat humiles ad Deum vſque efferri, & ſuperbos procul abeſſe ab illo ſupremo rerum omnium faſtigio. Sic ille. *Ad ſuperbum non accedit Deus, certè altus eſt, non eum attingit elatus. Omnia ſublimia vt contingamus, attollimus nos; & ſi attingere non poſſumus, machinamenta aliqua; vel ſcalas quærimus, vt ſublimati ſublimia contingamus. Contra Deus, & altus eſt, & ab humilibus contingitur.*

Auguſt. in Pſal. 74.

Priores anni, vitæ crepuſculum ſunt, ex quo totamorum contextura liquet. Namque natura ſuos enixa fœtus, ſingulis quibuſque notas inurit, vnde queas conijcere vitia, & virtutes hominum adultorum. Eo ætatis immaturæ fato, Cyrus regia ſtirpe ortus innotuit. Is infans expoſitus in prædam, à paſtore ereptus morti inſtanti, ruſtico more fuit enutritus. Impubes in paſtorum cœtu ludens, ab eis Rex eligitur. annuit ille, iocoſque ponens ius regium exercet in coæuos. Aliqui eorum offenſi eius indole compoſita in nimiam maieſtatem, obſtitere Regi: ſed ille contumaces flagris excepit, idque ſatis congrua maieſtate. Pueri ſententia fortè rigidior delata eſt ad Regem Aſtyagem, quem querulí parentes vrgebant ad vindictam verberum, quibus

Cy-

Cyrus paſtor impubes ipſorum filios afflixerat. Iubet Aſtyages ſiſti ſibi Cyrum: qui vt coram adſtitit, intrepido vultu, ait ſe electum in Regem à pueris; & ne quid indignum ea ſorte committeret, cauiſſe primò, ne deſpectus eſſet titulus hic ſublimis, ideoque in aliquos paſtores iniurios conceſſis infulis, vt in capita noxia ſæuijſſe. Credidit Aſtyages, hoc ruſtico habitu tegi animum regno natum, ideoque ſeria indagine ſciſcitatus, vnde Cyrus eſſet, omnibus innotuit eſſe nepotē Aſtyagis, ex filia eius Mandane, & Cambyſe ſatum. Herodotus, & Iuſtinus latè probant, ſtrenua eius initia fuiſſe omina fauſta rerum arduarum, quibus etiam Reges alios antecellit. Quidni & nobis fas ſit, aſſerere in puero Hieronymo humilitatem adultam, præſignaſſe gazas gratiarum, quas larga Dei manus impertijt illi toto vitæ tractu, quo vt miles veteranus inter Capucinos virtuti exercitæ in ſæculo, noua ſemper addidit incremēta. *Herodot. lib. 1. Iuſtin. lib. 1.*

In puero Hieronymo, quantus candor Caſtitatis enituit. Caput VIII.

ORIGINALIS culpæ labes, quæ ab Adamo in ſobolem eius turpiter influxit, eſto totum hominem infecerit; illa tamen principale virus ſuum inſtillauit appetitui ſenſitiuo; qui ſic infectus, eſt toti homini infeſtus, ratione paſſionum, quæ illic inſident, & magnas excitant tragœdias in perniciem animæ, quam laceſſunt æſtibus importunis. Eſt pars illa ſenſitiua bipartita in concupiſcibilem, & iraſcibilem, paſſionum omnium fontes. Inſcia ſæpe ratione motus inde inſurgunt, qui hominem raptant, & agunt in abruptum; vt videre eſt in ira, quando bile exundante calet. Sicut enim illa de-

let omne decus faciei, ita & præpedit omnem rationis vſum, ſic ad truces, atque feras beſtias homine relegato. Appetitus ille moleſtus hominibus, non eos afficit, neque quatit toto paſſionum agmine. Vno quippè mœrente, & marceſcente triſtitia, quam ſuggerit ater humor, alius ſanguine puriore tinctus inani gaudio diſſoluetur. Diſcolor vt eſt paſſionum indoles, ſic illæ & diſpari ferè modo homines exagitant. Non etenim omnes ira ferociunt, non omnibus impetus inſiti ſunt ad ardua audendum: denique natura ludens in homine, ſingulos quoſque ſuis diſcreuit notis, quas à paſſionum maculis emendicat. Vna tamen infirmitate iacet, vt languidum omne hominum genus ab Adamo ducens exordium, ijs exceptis vtique pauciſſimis, quos peccati fomes non aduſſit. Aegritudo hæc communis ab origine noſtra fluens, eſt concupiſcentia: de cuius ingenio vt conſtet, operæpretium erit deſcribere primam originis noſtræ labem, quæ eſt ſcaturigo mali omnigeni in Adami filios influentis.

Thom. 1. 2. qu. 82. art. 1. Sancti Thomæ obſequio memet expediam ab his tricis. Originale peccatum eſt habitus, ſeu inordinata naturæ diſpoſitio, proueniens ex diſſolutione illius harmoniæ, in qua erat ſita iuſtitia originalis: ſicut ægritudo corporalis, eſt quædam inordinata diſpoſitio corporis, qua ſoluitur illa temperies, ex qua exurgit ratio ſanitatis. ideoque peccatum originale, languor naturæ nuncupatur. *Aug. lib. de Bapt. paruul.* Fauet Auguſtinus dicens: *Paruulos eſſe concupiſcibiles, etſi non ſint actu concupiſcentes.*

Iacob. 1. Theologicus hic diſcurſus longè lateque probat, præcipuum animæ diſcrimen peti à concupiſcentia, qua malè ſuada perit homo, vt Iacobus Apoſtolus adſeruit ita fatus: *Vnuſquiſque tentatur, à concupiſcentia ſua abſtractus, & illectus. Deinde concupiſcentia cùm conceperit, parit peccatum: peccatum verò cùm conſūmatum fuerit, ge-*

nerat

nerat mortem. Concupiſcentia effrænis, hominem agit in varia obiecta: obuijs namque rebus afficitur, quas cùm auidè deſiderat, has plerumque vijs illicitis, ſibi nititur adaptare. Sed eſto faceſſat negotium illa anxietas, quæ hominem vrget ad plura ſibi comparanda: nulla tamen eſt moleſtia maior ea, quæ hominem totum vrit, quando concupiſcentiæ ſtimulis percitus incandeſcit. Hominis ita laceſſiti deflet anguſtias Ambroſius, hac querela: *Sæuus criminum ſtimulus eſt libido, quæ nuſquam quietum manere patitur affectum. Nocte feruet, die anhelat, de ſomno excitat, à negotio abducit, à ratione reuocat, aufert conſilium, amantes inquietat, lapſos inclinat, caſtis inſidiatur, potiendo inflammat, vſuque accenditur. Nullus peccandi modus, & inexplebilis ſcelerum, niſi morte amantis extingui non poteſt.* Hæc ille, ſatis inſinuans miſeram animæ ſortem, cùm obſcœnæ Veneri mancipatur.

Ambroſ. lib. 1. de Cain & Abel c. 5.

Vt non eſt concolor hominum ætas, ita variè diſtinguitur, in pueritiam, adoleſcentiam, virilitatem, atque ſenectutem. Nulla planè vacat vitijs, ſed vnaquæque ſuos patitur manes, & eſt maculis inglorijs tota vitæ noſtræ ſeries interpuncta. Iuuenes ob leuitatem malè audiunt. Ambitio in gyrum verſat viros: & auara ſenectus in cumulos agit opes, arbitrata ſibi gazas nullas ſufficere. Vna libido virus ſuum inſinuat toti vitæ, ſed præcipuè accendit prima luxuriæ facula pubertatem. Itaque miſerandus adoleſcens, incurius præcauere incendia, quorum fomitem occultum ætas feruida ſubminiſtrat. Illa pubertatis infirmitas, vt innotuit Egeſippo, ſic ab eo deſcribitur: *Patet iſta ætas fallaciæ, facilè decipitur, & fraudulentorum inſidijs circumuenitur; vix reſiſtit dolis ætas ſenilis: plerumque tamen ſenum prudentia circumſcribenti verſutis inſidijs irretitur. Ergo ſi maturior vſus ſæpe labefactatus eſt, quid mirum ſi ætas immatu-*

Egeſipp. lib. 1. Excidij Hieroſ. c. 40.

maturior adeſse non potuit ſibi, cùm inſidiantium caterius vrgeretur? Hæc ille, nutantis hominum æui lugens indolem inconſtantem.

Ambroſ. lib. 1. de viduis.
Idem lib. de prima interpell. Iob cap. 7.
Idem lib. 1. de Cain tom. 3.

Liquidiùs in eo argumento ſonat Ambroſius, hoc accentu: *Vicina lapſibus eſt adoleſcentia: quia variarum æſtus cupiditatum, feruorem calentis inflammat ætatis;* Rurſus inueſtigans hominum mores, ſic puberem ætatem commemorat: *Adoleſcentia magis ad vitium lubrica eſſe conſueuit. Habet enim pueritia innocentiam, ſenectus prudentiam. Ipſa vicina adoleſcentiæ iuuentus bonæ exiſtimationis intuitum, & verecundiam delinquendi. Adoleſcentia ſola eſt inualida viribus; infirma conſilijs, vitio calens, faſtidioſa monitoribus, illecebroſa delicijs.* Denique alibi memor antea dictorum, ita fatur: *Adoleſcentiam, & ipſam in exordijs iuuentutem, variarum illecebris paſſionum feruere, quis abnuat?* Profectò ſuperfluum eſt recenſere Patres in re, quæ ſingulos quoſque homines habet conſcios aſſertores. Quis etenim decennium prætergreſſus, inuius vnquam fuit aculeis, quos libido figit, vt prouocet ad peccata, quibus adhuc impar eſt hæc indoles immatura? Se quiſque conueniat, & querulus ingemet ætati, quæ præcocis luxuriæ facibus exarſit, conſenſu elicito in crimen, cuius impos erat: ſic concinet Ambroſio dicenti, petulcos, & ſalaces eſſe mores hominum ipſo initio pubertatis.

Si ergo liquet Hieronymum Narnienſem, eſto viuaci ſanguine tinctum, fuiſſe procul ab oſcœnis in ea ætate, quæ feruet inſito fomite luxuriæ; numquid erit facinus egregium caſtitatis encomio debito celebrãdum? Ita ſanè. ſicut enim Iob dicitur fuiſſe in terra Hus, innumeris ferè vitijs obnoxia, vt vegetior appareat eius virtus, in quam tot noxiorum hominũ impetus irrumpebant: ſic expedit & recolere caſtitatem pueri Hieronymi, & pubertatis munditiem, quàm tentauit audax demo-

dæmonum induſtria temerare. Si probauero libidinis inſcium fuiſſe Hieronymum, ab ea etiam ineunte ætate, qua ſua Venus incendia ſpargit, vrentia nouellos etiam homines, hinc abũde ſatis aperta fiet eius puritas illibata. Auſpicemur. Vt deliteſcens ignis inuito etiam ſeſe cinere operiente prodit; ita & cupidinis obſcœnæ focus præcordia cùm depaſcit, ſuas & ſcintillas habet, id eſt, quædam indicia, quibus fornax illa flagrans deforis innoteſcit. Vſitata luxuriæ præambula ſunt verba obſcœna, aſpectus in æmulo ſexu fixi, & tactus ad turpia titillantes. Ab his abhorruit Hieronymus, vt acerrimus caſtitatis integræ propugnator. Nemo iocantem inhoneſtè vidit cum puellis, quarum & conſortia prudenter ille cauit, iuxta conſilium Ambroſij ſic monentis: *Non miſceamus ſermonem aliquem cum fœminis, vnde exæſtuet ignis: adulterinus enim ſermo iuuenculæ, nodus adoleſcentium eſt: verba adoleſcentium, vincula ſunt amoris.* *Ambroſ. lib. pœnit. cap. 15.*

In argumentum indubium caſtitatis inſitæ Hieronymo, verba eius nihil vnquam, niſi ſanctum & pudicum auribus ingeſſerunt. Iuuenibus ſemper lingua prurit, multaque occurrunt huic ætati turpia, quæ loquatur, & præſertim ſi ſuada pietate repagula timoris ſacri, quę compeſcunt homines, abſint à pectore libidinis incendio conflagrante. Vnde, quia Dei timor rarò coërcere ſolet iuuenes, adhuc incurios ſalutis ſuæ; idcirco ætas illa garrula frequens loquitur impudicè. Imò venuſtatis partem plerique putant, etiam impuberes, dubio verborum ſenſu, & præſertim in conſeſſu puellarum, obſcœna turpiter eructare. Sic ab ineunte ætate rudimenta capit vſus turpiloquus, cui ferè omnes iuuenes aſſueſcunt. Et profectò rarus ille eſt, cui hæc impetigo malè loquendi non inſedit: etenim ita hodie comparatum eſt à reprobis, vt tanquam inurbanus rideatur ille,

ille,cuius aures exceptis impuris vocibus inhorreſcunt. Illa hominum praxis exoſa Hieronymo non obſtitit, quin propoſiti tenax caſtitatem ſedulus excoleret, & à verbis inhoneſtis iugiter abſtineret. Quod vt ſocijs innotuit, puduit eos deinde coram Hieronymo tractare fœda, venerantes in eo iam pubere ſtemmata caſtitatis.

Paruula philomela coruis, & gracculis aſſueta poteſt corrumpere ſuaue melos,in quod aptata eſt à natura,ad hos tonos, & accentus induſtrio gutture fabricato. Fœlicior ſanè fuit Hieronymus, qui ex audita ſæpe ſodalium laſciuia, nihil excepit, nec immemor fuit caſti colloquij,quod domi ſemper eius auribus inſonabat. Eſto ſalax iuuenum ætas, & verbis, & actibus vſquequaque luxuriet: plura tamen in ſocios præſtitit caſtitas Hieronymi pueri, quàm libido ſodalium potuerit in illum, ſruſtra fœdis vocibus impetitum. Etenim, ex ſchedulis fide dignis accepi, pudoris expertes adoleſcentulos, in turpia verba effuſos, accedente Hieronymo ſubito tacuiſſe. Sortitus erat virtutem agni caſti, qui frutex eſt, omnia impura exoſus, & inſpirans caſta conſilia hominibus, qui familiarem habent vſum ſtipitis, incendium Veneris extinguentis. Dixit aliquando Plato, virtutem conciliare ſibi amorem eius, qui eam, vt par eſt, excolit. Huic Philoſopho fidem fecit caſtus adoleſcens Hieronymus, qui vt nihil niſi caſtum ſpirabat, ita oris eius habitus, verba, & inceſſus, ſpectatores ſuos in vota paria conducebant.

Hæc caſtitas ſarta tecta, diabolum vſsit inuidia, vtpote ægrè ferentem in noua pube tanta virtutis inſignia, quãta poteſt vir grandæuus alijs exhibere. Vt ergo iuuenem inficeret aliqua libidinis aſpergine, alium iuuenem ſupparem Hieronymo induxit ad impurum facinus attentandum. Nactus opportunum tempus ille ſalax adoleſcens, Hieronymum impudicè deperiens, quia

elegan-

elegantis erat formæ, fidenter explicat ardorem, quo importuno lubricus æſtuabat. Vtque petulca Venus actu magis, quàm ſermone poteſt, iuuenis impurus vrget Hieronymum ad turpia perpetranda. Horruit adoleſcens, vt pote nouus ad hæc colloquia; non tamen obriguit torpore aliquo præpeditus. Sed ſupercilio ſaliente mutatus in leonem ſæuum, vt alius Dauid cucurrit ad lapides, vt eorum iactu conſuleret caſtitati turpiter impetitæ. Incendiarius ille ſuſurro, qui faces admouerat animo caſtiſſimo, videns Hieronymum ora mutaſſe, & in ferocem hominem compoſitum, cui res erat pro ſalute, confeſtim aufugit, & prudenter: namque petitus impudicè puer, ſe iam accinxerat, vt bilem ſuam, & lapides impudico capiti deuoueret. Infractus adoleſcentis animus eum terrorem incuſſit ſuaſori obſcœno, vt ſi quando Hieronymus occurreret, ſtatim ille memor ſceleris aufugeret, timens ne tentatum facinus, caſtus puer aliquo ictu latentis lapidis expiaret.

Deus bone, quot virtutum ſpecimina tyro nobis exhibuit, quot trophæa miles in procinctu erexit de hoſte petito tantùm, leui certamine velitando. Dicemus infra, ad quem apicem ſurrexerit hæc caſtitas fauſtis auſpicijs præludens in alea, vbi & triarij homines, etſi virtutis emeritæ, defecerunt. In his recoluntur Dauid, Salomon, & Samſon, famoſi caſu, & occaſu. Qam ardua res ſit ſeſe luxuriæ nexibus expedire, docet, ſuo diſcrimine cautior Auguſtinus. Sic ille: *Inter Chriſtianorum certamina, ſola dura ſunt prælia caſtitatis, vbi quotidiana pugna, rara victoria. Grauem namque caſtitas ſortita eſt inimicum, cui quotidie reſiſtitur, & timetur: & ideo ſicut dictum eſt, nemo ſe falſa ſecuritate decipiat.* Hæc ille recenſita difficultate domandi libidinem, ſcitè probans, quàm arduæ virtutis extiterit adoleſcens Hieronymus, qui ineunte pubertate caſtitatis gloria triumphauit. *Aug. lib. de honeſta te mulierum.*

Quàm

Quàm reliquo vitæ tractu rigidus obſeruator extiterit eorum, quæ conducunt ad puritatem, res eſt ſtupenda, ſuoque dicenda loco. Sed ſi facta grandæui hominis excidiſſent incuria teſtium, quiſquis audiret puerum Hieronymum voluiſſe ſodalis elidere ſaxo caput, quia prouocabat ad turpia; ille maiora conciperet de prouecto, facili vtique coniectura. Catonis Vticenſis auſterum ingenium intulit Roma, ſcito facinore edito ab impubere hoc ſuo alumno. Puer hic ſeptennis erat apud patruum ſuum Liuium Druſum, cùm eò deuenere Legati Latinorum, conciliaturi ſibi ſuffragium eius, in gratiam ſuæ gentis, quæ à Romanis ius ciuitatis ſupplex, & votis omnibus expoſcebat. Impubes ille puer præcoqua grauitate virum ſpirans placuit his Legatis, qui iocantes orant, vt ſuam non dedignetur opem conferre apud patruum ſuum Druſum, ne inglorij, & caſſo labore redeant indonati. Infans fortè ſuſpicatus aliquid grande in iure ciuitatis, quod petebant homines exteri, noluit eorum precibus annuere; immò elato ſupercilio dedignantis inſtar, eſt homines illos grauiter aſpernatus. Illi tentaturi, rigida ne indoles illa ſeſe minis, atque metu poſſet inflectere, puerum medio corpore arreptum efferunt extra altioris triclinij feneſtram, vnde librantes eum in gyrum aiunt, mortem ei inſtare, ni promittat ſe fore propitium voto, in quod ſupplices anhelabant. Conſtantiæ infractæ puer, non eſt mortem deprecatus, nec remiſit aliquid de priſtino rigore; immò in eos ſeuerè oculos intorquens, peius quoque ſupercilium finxit, & contraxit, velut in auſpicium rigidi animi, quo Cæſaris blanditias, atque minas tempſit homo auſteris moribus inhorreſcens.

Si Hieronymus noſter impubes offenſus fuit turpiloquio; ſi eo accedente ſodales puduit inhoneſta loqui; ſi noua pube ſuas admouente faces validè repulit ſocium

cium turpia ſuſurrantem. Profectò mihi fides adhibebitur, quando eius inter Capucinos facta ardua recenſebo. Iam credo ſatis ſuperque fore, ſi dixero iuuenem Hieronymum poſſe adoptari in claſſem illorum, qui nihil remorante pube, grauitate morum ſunt ſenium aſſecuti. Scintillante rationis vſu quæuis ætas eſt virtutibus idonea; ideoque nutare fides haudquaquam debet, quando pueri Hieronymi facta ardua recoluntur. Obſtetricatur Ambroſius, vt conſpirans in eadem vota mecum. *Omnis*, inquit, *ætas habilis eſt Deo, perfecta Chriſto. Denique non virtutem ætatis appendicem dicimus, ſed virtutis ætatem. Nec mireris in adoleſcentulis profeſſionem, cùm legeris in paruulis paſſionem. Scriptum eſt enim, Ex ore infantium, & lactentium perfeciſti laudem. An dubitamus, ſi eum vſque ad continentiam ſequatur adoleſcentia, quem vſque ad mortem confitetur infantia?* *Ambroſ. lib. 3. de ſancta virginitate.*

In pubeſcente Hieronymo coiere dotes infantium, & grauis hæc cultura morum, quæ grandæuos homines alijs anteponit. Puerum Hieronymum fuiſſe talem credo, quales erant pueri, quos Chriſtus Dominus dedit in exemplum, quorum in prouecta ætate puritas eſt rectæ rationis vſibus admiſcenda. Etenim ſimplicitas infantium inſcia ratione caret debito ſibi ſtipendio, nec eſt ad virtutum trutinam appendenda.

Ex præfatis eſt ſuſpicienda, & quàm maximè, caſtitas adoleſcentis Hieronymi, qui puritatem infantium exhibuit in ætate, quæ prima potens, & conſcia luxuriæ vehemẽs patitur incendium, & velut impos ſui prurit obſcœna Venere ſuſurrante. Caſtitatis inſignia præferre illibata pubeſcentes homines, priſca Gentium diſciplina credidit eſſe rem tanti ponderis, & momenti, vt ei minimè ſufficeret ætas illa ſalax, tot & tantis luxuriæ ſtimulis agitata. Vt ergo pudori conſulerent gentes indu-

duſtriæ; vt inquam innoxiè laſciuire ius fieret, & copia; in religionis partem, eamque ſingularem, luxuriam ſecere ſacrum, nudo & obſcœno ſimulacro Veneris inſtituto.

Illa luculenta mentio rituum antiquorum velificatur gloriæ pubeſcentis Hieronymi, qui nondum pugil inter Capucinos, ſed adhuc in ſæculo tyrunculus, multifariam de infami luxuriæ vitio triumphauit. Præſtitit adoleſcens arduum facinus, cui ſe imparem confitetur antiquitas, idcirco deuota Veneri, vt notaret eſſe raros homines, quibus hoc animo inſedit, ſcilicet viuere honeſtè, aſtuta Cupidinis ſpicula deuitando. Itaque non erit abs re facere Hieronymum participem ſymboli, cuius ideam refert Scipio Bargaglius, cum depingit ventilabrum purgans triticum à paleis, hoc titulo adiecto: SORDIDA PELLO. Nempe puer Hieronymus extitit totus inſtar ventilabri, eruditè, & cautè turpia repurgantis. Etenim, ſi quis interrogaſſet, quare demiſſis oculis incederet, ſubitò reſpondiſſet: SORDIDA PELLO. Nimirum oculis conſulo, dum cautè inuigilo, ne ſeſe foribus inſinuent ſpecies impuræ, & noxiæ caſtitati. Imò, nec oculis tantùm, ſed & auribus etiam SORDIDA PELLO: ſiquidem omnes ego turpiloquos abigo, ita meis prouidens auribus, quæ ſuſurronum, & petulcorum hominum inhoneſtis vocibus obſurdeſcunt. Manibus item & pedibus, SORDIDA PELLO, oſcula deuitans, & tactus eorum, quos malè afficit, & adurit elegans mea forma, item & recedens induſtriè à locis, vbi caſtitas in diſcrimen aliquod poteſt incurrere, petita telis Veneris inſtigantis. Qui igitur à ſordidis longè fuit, terſus, & honeſtus extitit indubiè, eoque decore ſemper enituit, quo quis vnquam. Ideoque paſſus æmulos graues, liuor, quem virulenta canum rabies exaſperat, non eſt auſus maledica lingua-

Scipio Bargagl. lib. Symb.

næ-

næuos illi ſuos aſpergere, vt hinc, vel minimum honeſtatis eius inſignia temeraret.

Puer Hieronymus ſæpe ſodalibus ſuis è pulpito prædicabat. Caput IX.

Lingua leuitate ſua pernix eſt, & facilis ad diſcurſum, neſcitura moras, niſi valido rationis fræno coercita. Eam ob rem magna opus eſt cautela, vt inquietum illud membrum, nihil committat morti obnoxium, vnde loquax homo meritò puniatur. Apoſtolus ait eſſe momenti vtique præcipui, imponere modum linguæ, quæ vt ſuapte natura nutat, & labilis eſt, ita & remoram non admittit, Iacobo Apoſtolo teſte, & conſcio malorum, quæ homines imprudentis linguæ vitio perſtrinxerunt. Sic ille: *Lingua ignis eſt, vniuerſitas iniquitatis. Lingua conſtituitur in membris noſtris, quæ maculat totum corpus, & inflammat rotam natiuitatis noſtræ, inflammata à gehenna.* Oraculum illud inſonuit, vt lethale virus linguæ omnibus innoteret. Ne ergo lingua procax impuberum hominum offenderet, Plato cauit, vt à teneris vnguiculis pueri bonis ſermonibus aſſueſcerent, vt pubeſcente ætate traducti in conſeſſum ſodalium, omnia virtuti congrua loquerentur. *Matth. 12* *Iacob. 3.*

Dixi ſupra capite quarto, qua pietate Hieronymi Narnienſis incunabula præfulſerint, & quàm procul ab eius familia exularint vitia, quæ aliàs omnes ferè domos ſolita ſunt turpiter inundare. Huc expedit reuocare, parentes infantis huius linguam erudijſſe, ad proferenda ſacra nomina, Ieſus, & Maria; quibus ſucceſſit poſtea formula ſingularis Deum congruè deprecandi. In eo præcipuè obſeruatum eſt, non ſumpſiſſe puellum

aliquem paſtum, ſine præuia benedictione cibi, quo poſtquam erat ſobriè refertus, ſurgebat à menſa, vt ſtans perſolueret penſum gratiarum, annonam Chriſto Domino largienti. Os igitur ab infantia conſecratum eloquijs merè cœleſtibus, non incidit in cenſuram, quam Bernardus acriter inuehitur in linguam, quæ vt plerumque prurit impatiens, ita & ſæpe prauis colloquijs garrula mancipatur. *Quis*, inquit, *numeret, quantas modicum linguæ membrum contrahat ſordes, quàm multiplex in labijs circumciſis immunditia copuletur, quàm ſit grauis pernicies oris incircunſpecti?*

Bern. Ser. De tripli-cis cuſtodia.

Puer Hieronymus vix infantiles faſcias exuerat, cùm idioma parentum induens, nihil aliud ferè loquutus eſt, quàm ſermones Dei, crebrò ſuis auribus inſtillatos. Ita vt anima eius eſto tenella potuerit aptè lineari tabulam, quam depingit Bargaglius, dum recenſet Pſyttacum è cauea phraſes humani eloquij congruè referentem. Picturæ titulus eſt hic. ALIENAE AEMVLA VOCIS. Id eſt, auis illa non occinit iuxta morem aliarum eiuſdem cum ea ſpeciei, ſed ab homine erudita vocem hominis æmulatur. Simili planè modo recens anima Hieronymi neſcia ſermonis impuri, & aſſueta voci patris & matris, vnde nihil niſi ſalutare affrictum eſt ei, non impegit in vitia linguæ, ſed ALIENAE AEMVLA VOCIS, oracula ſacra didicit eructare. Eò ſpectant teſtimonia fide digna, quæ deponunt, neſciſſe puerum hunc mentiri, nec indecora loqui, ſed ore ſemper innoxio compoſuiſſe linguam, hac cautela, vt ALIENAE AEMVLA VOCIS ſuaue melos vtriuſque parentis concordi modulo reſonaret.

Scipio Bargag. lib. Symb.

Omnem ferè fidem ſuperat illa relatio, quæ aſſerit, impuberem Hieronymum in Eccleſia ſtipatum ampla corona ſociorum, ſæpe ſuis ſodalibus è pulpito prædicaſſe. Obſtitit nemo, ſed ſtupere omnes, & pendere

nar-

narrantis ab ore. In eo genere principalis illa fuit actio, qua ſe mirabilem præſtitit in exequijs cuiuſdam Peruſini. Cùm namque funus proſequerentur ſcholaſtici omnes; vbi deuentum eſt in ædes ſacras, pulpitum aſcendit, & ſermone habito de morte, ſic mortuo parentauit. Vt tellus opima ferax eſt, etiam & inculta, ita viuax natura dotes cùm impertit, eas otiari non patitur: ſed illa ſagax homines vrget, vt edant gratiæ à natura acceptæ ſpecimina quædam, ad hoc animos occulto impetu percellente. Verbi gratia, deſperatis Reipublicæ rebus in clade Cannenſi, vbi Roma nutans tantum non occubuit; Scipio imberbis, quia natus erat ad triumphos, intrepidè clauum arripuit, cui alioquin impos erat, vtpote Conſulatum, eius immaturo tempore detrectante. Ille mœrenti patriæ adhuc adoleſcens adfuit, & omine fauſto induxit Romam, vt crederet ſe hoc Scipione niti, quo duce æmulus Hannibal verreret ſolum, & de Carthagine euerſa Roma vegeta triumpharet. Rurſus Papyrius Prætextatus, puer celare ſciens arcana Senatus, præoſtendit illam morum grauitatem, quam poſtea grandæuus exhibuit. Ita puer Hieronymus, futurus aliquando ſacri Palatij prædicator Apoſtolicus, & id duorum Pontificum æuo, eius gratiæ inſignis adhuc puer è pulpito luculenta præſtitit argumenta.

Plutar. in Scipione.

Gellius li. 1. c. 23.

Fortè momus inſurget carpens hoc facinus, velut iniurium ſacris Eccleſiæ canonibus: nempe vetant decreta Patrum, Laicos ſeſe immiſcere ſacris, de quorum genere ſunt factæ in Eccleſia de pulpito conciones. Reſpondeo, ex canone, ſacerdotis officium eſſe prædicare: ſed non ideo carpendum eſſe puerum, qui exundante loquela Dei aſcendit pulpitum, eodem Spiritus ſancti flamine actus, quo Propheta perciti prædicarunt. Puer Athanaſius ad oram maris alios ſibi ſuppares impube-

Canone Presbyter Diſt. 78.

res baptizauit, vſurpans presbyteri munus: Eccleſia ſuſpicata Deum in puerulo præmittere præludia rerum arduarum, quæ poſtea geſturus erat, habuit ratum fixumque exhibitum à puerulo ſacramentum. Daniel impubes egit præfectum iuſtitiæ, & damnauit iudices, qui Suſannæ iniurij dixerant in eam ſententiam: Nemo tamen eſſe reum dixerit Danielem muneris vſurpati. Puer Samuel cenſorem acerrimum ſe præſtitit aduerſus Heli Summum Pontificem, nimium ſuis liberis indulgentem: nec ideo vir grandæuus ægrè tulit aſpera verba, quibus eum puer impubes increparat.

Aeuo ſubſequente, & velut obſtetricante, pueri iam præfatis fecere fidem, infantes illos fore ſingulares aliquando viros, qui ipſo quaſi vitæ crepuſculo, ſupra ætatem facinora ardua moliuntur. Vnde, quia Hieronymus Narnienſis ſua ætate ſuperauit omnes, qui è pulpito diſſeminant Verbum Dei, facile eſt conijcere, ſermones, quos faciebat infantibus, fuiſſe prima illius inſignis gratiæ rudimenta. Nempe Deus, qui & loquacem fecit aſinam Balaam, potuit & infantem facere ſuggeſtis verbis congruis eloquentem.

Eſto notet aliquid ſingulare in puero Hieronymo, quòd pluries ex pulpito ſuis ſodalibus prædicarit; præcipuam laudis partem non repono, penes hoc pulpitum, ab eo ſæpius occupatum. Etenim potior encomij ratio, imò, & ſumma tota refundenda eſt, in ſuauitatem illam, qua de Deo loquendo puer iubilans exultabat. Quippe reſidentis gratiæ Dei ſignum eſt indubium, non ſolùm habere gratos de Deo ſermones factos ab alijs, ſed ex ſeipſo componere, vt in ſociorum cœtu opportuno tempore proponantur. Vt delectatiò omnem actioni cuique colophonem ponit, ita & dulcedo influens in loquentem puerum ſacra verba, congrua ſatis ſuggerebat ei eloquia, quibus excitaret alios infantulos

ad vi-

ad vitia declinando. Eius impuberis in dicendo lepos, conciliabat aures aliorum infantium, quos ſuo demulcebat eloquio; ſicque reuocabat memoriam oraculi ſuadentis Atticis, vt appenderent auribus impuberum pretioſa monilia, ſicque fore Rempublicam ſuis numeris omnibus abſolutam. Aſſecutus oraculi mentem, ſuorum ſodalium aures Hieronymus congruè ornauit, non bona verba ſolum inſerens, ſed & ſacra, idonea ad omnes virtutum ſpecies, ſtimulos auditorum cordibus infigendos. Eſſe inaures eximias Dei verba excepta, ſicut par eſt, explicat Auguſtinus: *Qui*, inquit, *verbum Dei libenter audit, inaures animæ de patria paradiſi tranſmiſſas ſe ſuſcepiſſe non dubitet.* *Auguſt. lib. 50. hom. 26.*

Quiſquis audierit impuberem Hieronymum in Eccleſia pulpitum aſcendiſſe, & acriter inuectum in vitia; ille refricabit memoriam actionis, olim editæ ab infante Hannibale, qui ferè rationis impos iurauit ad aras, ſe toto vitæ tractu, in Romanos igne & ſanguine ſæuiturum. Sacramenti memor, ne periurus eſſet, infeſtus extitit ſemper Reipublicæ, in quam ſe deuouit puer; & parum abfuit, quin Roma Cannenſi clade deficeret, tot, & tantis victoris Hannibalis ictibus eneruata. Profectò puer Hieronymus, è ſacris Eccleſiæ pulpitis diabolo, & vitijs bellum indixit irreconciliabile; quod demum factus prædicator egregius inter Capucinos ſtrenuè equidem, & ſæpius inſtaurauit. Impletum eſt denuo propheticum illud: *Sagittæ paruulorum factæ ſunt plagæ eorum, & infirmatæ ſunt contra eos linguæ eorum. Conturbati ſunt omnes, qui videbant eos, & timuit omnis homo.* Verba Dei validè intorta ſunt ſagittæ paruulorum, quando fluunt à puerulis. Quomodo infirmatæ ſint linguæ virulentæ de Hieronymo malè meritæ, dicam ſuo loco, vt & conturbata dæmonum caſtra, turbatis & ad meliorem frugem mutatis hominibus, quos *Plutarch. in vita Hannib.* *Pſal. 63.*

ſacra Hieronymi concionantis ſpicula transfixerunt.

Parthorum more puer Hieronymus militiæ nomen
Matt.10. dedit, illi ſcilicet, cui ſequaces ſuos Chriſtus Imperator
adſcripſit, cùm dixit, ſe non veniſſe pacem mittere,
ſed gladium. Fuere Parthi bellatores eximij, exules à
Scythia, vnde Mediam ingreſſi plagas illi conterminas
Plin.lib.6. occuparunt. Horum meminere ritus Plius,& Iuſtinus.
cap. 15 Iuſtin.lib. 4. Tota fuit eis peritia, fugiendo, ſagittas in hoſtem emittere, & ſic declinando plagas, induſtrie vibratis arcu telis figere perſequentes. Hoc ſchemate militandi puer Hieronymus excelluit. In fuga, & ſagittis, ſuam omnem panopliam fecit: etenim duplex hæc armatura cauet his, qui eam ad manum habent, & alijs, quorum ſalus eſt dubia, vtpote multiplici conamine dæmonis impetita. Hieronymus noſter impubes, aſtutus erat in his, quæ pertinent ad militiam Chriſti; quippe fuga ſibi conſuluit, aduerſus ea omnia, quæ temerare ſolent puerorum indolem imbecillem. Huius generis ſunt epulæ, choreæ, mala conſortia, torpiloquia, & cætera, quæ Veneri litant. Hac cautela miles Chriſti licet adhuc tyro, irritos fecit impetus hoſtium, ſcilicet carnis, mundi, & ſerpentis callidiſſimi, eorum ſic ſpicula præcauendo. Ita puer imitatus eſt veteranum militem Iob, qui pepegerat fœdus cum oculis, ne cogitarent de virgine; & tamen dæmonis aſpectum non refugit audacter, cum hoſte illo rabido colluctatus.

Vt charitas non ſibi duntaxat prouidet, ſed & curat, quæ proximi ſalutem propagare queunt; ita puer Hieronymus incandeſcens amore Dei, ſibi ita totus incubuit, vt non totaliter. Nempe velut ſagittis inſtructus, ſanctis eloquijs corda ſodalium, vt ignito ſpiculo tranſfigebat. Hoc vulnere ſauciati aſtantes illi colloquio, concipiebant amorem Chriſti, quo ardebat illa loquela pueri, ſuorum ſociorum intima ſagittantis. Hic vſurpare

pare

pare libet verſum Pſaltis Deum ſic affantis: *Sagittæ tuæ acutæ, populi ſub te cadent in corda inimicorum Regis.* *Pſal. 44.* Quem locum verſans Auguſtinus, opportunè fatur: *Auguſt. in Pſal. 44.* *Sagittæ*, inquit, *acutæ, verba cor transfigentia, amorem excitantia.*

Profectò parum fuiſſet puerulo loqui ſacra verba, ſi non adiecisſet & conſona facta ſuis eloquijs. Multi namque infantes argutè referunt ad literam ſacras hiſtorias, quas parentes, aut magiſtri tenellis eorum auribus ingeſſerunt. Sed habere manus,& linguã concolores,non eſt hominis impuberis ingenium. Fuiſſe autem puerum Hieronymum vitæ conſciæ pietatis, quam eius ſacra ſonabant eloquia, exemplo vnico propalabo. Aeuo pubeſcente puer vicinas ædes ingreſſus, vt pullos hirundinum è nido deduceret, reperit in eo cubiculo poma, quorum obiectu cupido laceſſita ſuaſit, vt vnum, aut alterum arriperet. Ille nihil omnino deliquij ſuſpicatus in furtulo rei leuis, aliqua poma tulit, quæ & comedit, ſic genio ætatis indulgens. Vt pomi decerpti ferale munus Adamum preſſit multis aculeis, ita & hęc poma delata inſcia domina loci,quę vidua erat, puerum importuno vulnere ſauciarunt. Etenim ſtimulus inde exortus noluit cedere ſacramento Pœnitentię, quod in medelam ſępe puer adhibuit;ſed operępretium fuit,vt iam Capucinus Narniam veniens adiret hanc matronam,& indicaret ei furtum illud, cuius recenſione iugiter angebatur. Petijt ſibi condonari ſcelus, & dari ętati, quòd Domina minimè conſcia,detuliſſet illa poma. Mulier illa pia trahens altos gemitus, ſeipſam defleuit, habentem fortè deliquia maioris ponderis, quibus ingemeret. Deinde affata iuuenem hunc Capucinum materno affectu,ait ſe gratum habere furtum illud,& vltro præbere aſſenſum rei geſtę: ſicque reliquias omnes criminis expiauit. Hoc vno crimine in ſæculo perpetrato Hie-

ronymus angebatur, anno probationis ſuę. Inde liquet, quanta puritate enitentis æui ſcopulos effugerit, & qua cautela, vrgente etiam fomite omnibus inſito, intorta Cupidinis ſpicula declinarit. Vt gratia Dei minimè vacat in anima, ſed ei virtutum omnium agmen conciliat, ita & Hieronymus ea ętate cōparabat ſibi virtutes idoneas, nihilque boni ſuis ſocijs ſuadebat, quin prius opere compleuiſſet. Sic profectò puer impleuit partes optimi prędicatoris, quibus etiam prouectę ętatis homines minimè ſufficiunt, haudquaquam conciones ſuas congruis actibus adſtruentes.

Hoc principale munus prædicatoris ſcite explicat Hieronymus ille Sanctus, verſans illud Pauli effatum ad Titum, quem ſic ad prædicationem inſtituit: *Tu loquere, quæ decent ſanam doctrinam*. Commentator doctiſſimus, hic aduertit, aliud eſſe ſanam doctrinam loqui; aliud ea, quæ ſanæ conueniunt docere doctrinæ. Quia in altero ſimplex tantùm inſtitutio eſt, & in altero, cum eo quod docet, vitæ quoque correctio eſt: *Hoc*, inquit, *nunc Apoſtolus Titum diſcipulum ſuum docet, vt ea loquatur, quæ ſanæ doctrinæ conueniunt: quia tunc doctrinæ fit ſanitas, cùm doctoris doctrina pariter, & vita conſentiant.*

Hieron. in cap. 2. epiſtola ad Titum.

Eodem Dei flamine percitus eſt Gregorius, ideam optimi prædicatoris ſubijciens oculis: *Mundus*, inquit, *ipſe eſſe à vitijs debet, qui curat aliena corrigere, vt terrena non cogitet, vt deſiderijs infimis non ſuccumbat; quatenus tantò perſpicacius alijs fugienda videat, quantò hæc ipſe per ſcientiam, & vitam verius declinat.*

Greg. lib. 7. Moral. cap. 16.

Non igitur incongruè dixi, puerum Hieronymum fuiſſe ſagittarium induſtrium, à ſua pueritia. Etenim quando iacula ſacra intorſit prædicando ſuis ſodalibus, ille primò ſua brachia in arcum inflexit, & vtraque coëunte manu præbuit exempla virtutis eius, quam ſuis eloquijs ſociorum animis ingerebat. Itaque non

erit

erit abs re pueritiam Hieronymi Narnienſis exprimere ſymbolo, quod recenſet Aegydius, cùm depingit manum emittentem ſagittam arcui inſertam, corona deſuper eminente. Picturæ titulus hic adijcitur. VNITA TRIVMPHANT. Id eſt, parum immò nihil omnino proſunt ſagittæ ſeorſim, ſine manuum obſequio: quippe tota ſagittarum virtus petitur à manibus, quarum vna tenet arcum, & alia deducto neruo ad pectus ſpiculum intorquet, ad arbitrium animi dirigentis, Ita leuis eſt momenti loqui bona, niſi conſona loquentis actio ſibi adſciſcat & manuum ſuffragium: ſiquidem languet, & marceſcit oratio magniloqua hominis, in quo bona opera ſibi ferias indixerunt. Cùm igitur pueri Hieronymi ſemper actio fuerit concolor eloquio, nihil obſtat, quin verba eius ſacra, & acta egregia edita ætate immatura, congruè recenſito ſymbolo deſignentur, VNITA TRIVMPHANT. *Aegydius Sadeler lib. Iconū Symbolic.*

Qua induſtria puer Hieronymus ſtudium orationis excoleret. Caput X.

CHARITES, id eſt, Gratias eſſe ſorores indiuiduas, neque ſeorſim vnquam incedere, dixit Heſiodus. Virtutes etiam amare chorum, & turmatim ire, placet Theologis, qui virtutes aiunt eſſe concatenatas, quia nulla ferè virtus plenè poteſt, ſine aliqua eius ſocia comparari. Quid ergo mirum, ſi dico, emergentis Hieronymi virtutes in cumulos aſſurgere, cùm virtutum omnium indoles hæc ſit, vt præſtitis mutuis auxilijs ſibi inuicem obſequantur? Ne igitur tenui penicillo videar effinxiſſe pubertatis eius actiones præcipuas, volo recenſere, qua cautela puer orationi ſe totum addixerit, *Heſioduc in Theogonia.*

&ſub-

& ſubduxerit hominum oculis, vt Deo ſoli tutior appareret. Dixi ſupra, puerulum fuiſſe orare aſſuetum ante cruces à ſe depictas in chartulis affixis parieti vicino lectulo: ſed hoc fuit tyrocinium eius exhibitum anno circiter octauo, quo ſuauitatem orationis exercitæ incepit eius anima delibare. Factus annorum duodecim, ſe effinxit induſtriè ad indolem Chriſti, qui eadem ætate inſcijs parentibus, in templo moras trahens longiores, ſoli Deo attendens in oratione prolixa, ad ſuperna feruidus anhelabat. Expedit ad hanc orationis eius hiſtoriam prænotare, fuiſſe ſacerdotem Narniæ magnæ ſanctitatis, cui nomen erat Conſaluus. Penes hunc erat cura maioris Eccleſiæ ornandæ, & horis congruis occludendæ. Præfectus ille ſacrarij rogatus eſt à puero Hieronymo, vt ei peruius eſſet aditus Eccleſiæ poſt officium veſpertinum, quo tempore ſolent ædes ſacræ ſuis vectibus obſerari. Vir ille venerandus ſuſpicatus in puero quid diuinum, annuit eius voto, fecitque copiam Eccleſiæ, tunc alijs inuiæ. Ibi tyro noſter ſeclusis arbitris, foribus occluſis, Deoque ſolo conſcio facti ſui, fundendis precibus multum temporis impendebat. Sic nouus athleta morem geſſit Chriſto Domino, à quo de ſalute noſtra ſolicito præſcribitur omnibus hominibus tuta formula
Matth. 6. deprecandi: *Tu*, inquit, *cùm oraueris, intra in cubiculum tuum, & clauſo oſtio ora Patrem tuum in abſcondito; & Pater tuus, qui videt in abſcondito, reddet tibi.*

Suſpectas habuit puer paternas ædes, vtpote obiectas aſpectui familiæ: non credidit eſſe defæcatam à ſuſpicione vanitatis orationem illam, quam deprædator ſpectatorum oculus impetebat. Ideoque ſibi latenter eſſe orandum indixit, ne pios anhelitus aura popularis ſe-
Chryſoſt. homil. 8. ex varijs in Matt. cum abriperet. Sicque literaliter impleuit oraculum Chriſti, in quod Chriſoſtomus ſuo more induſtriè commentatur: *Prohibemur*, inquit, *hypocritarum more omnes*

oratio-

orationes noſtras omnibus iactanter oſtendere. Gloriola hominum captata bonis operibus, eſt valde potens illecebra ad perdendos incautos. Sed puer Hieronymus è latebris, hoc vitium fortiter impugnauit.

Quàm ardua res ſit declinare plagas, quas infligit hoc vitium, explicat Gregorius ita fatus: *Magnopere oportet, & bona ſemper agere, & ab ipſis nos bonis operibus cautè in cogitatione cuſtodire; ne ſi mentem eleuant, bona non ſint, quæ non auctori militant, ſed elationi.* Sic admonet ille Sanctus, ad cuius arbitrium factus adhuc puer Hieronymus, reuera cubiculum clauſit, quando ſeorſum orabat in Eccleſia, foribus obſeratis. Sed rem potiorem exiſtimo, quòd etiam myſticum ſenſum Chriſti eſt aſſecutus ille tyro; myſticum illum dico intentum præcipuè à Chriſto cortice literali. Præter enim vanitatem, quam Dominus exterminat illo conſilio, ſuadet adhuc pacificum cor aptare precibus, ne animus inquies impar ſit orationi, à qua Deus abhorret quàm maximè, ſi ſit paſſionum æſtibus agitata. Fauet Auguſtinus: *Cubile noſtrum eſt cor noſtrum: ibi tumultum patimur malæ conſcientiæ, & ibi requieſcimus, quando bona conſcientia eſt. Qui amat cubile cordis ſui, aliquid boni agat ibi. Ibi eſt cubile, vbi nos Dominus Ieſus Chriſtus jubet orare. Intra in cubiculum tuum, & claude oſtium tuum. Quid eſt, claude oſtium tuum? Noli talia expectare de Deo, quæ forinſecus ſunt; ſed ea, quæ intrinſecus ſunt. Et Pater tuus, qui videt in abſcondito, reddet tibi.*

Greg. lib. 19. Mor. cap. 13.

Auguſt. in Pſal. 38.

Rurſus ille Deo ſoli patet, & eſt extra hominum iactum, qui Deum ſic compellat, vt nihil omnino velit, quæ ſunt hominum; ſed pertæſus hæc infima velut quiſquilias, & anxius de æternis, cœleſtia meditatur. Ita Auguſtinus: *Quis eſt, qui non claudit oſtium? Qui talia petit à Deo pro magno, & ibi conſtituit omnes preces ſuas, vt accipiat ea, quæ ſunt huius ſæculi bona. Quid eſt claudere*

Ibidem.

dere oſtium? vt hoc petas à Deo, quod ſolus Deus nouit, quomodo tibi det. Quid eſt hoc, propter quod claudis oſtium, & petis? Quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit. Hæc ille appoſitè ad preces pueri Hieronymi, qui faſtidiens ea, quæ ſæculi ſunt, ad nulla penitus inhiabat. Vnde & verè potuit vſurpare Dauidicum illud: *Domine ante te omne deſiderium meum, & gemitus meus à te non eſt abſconditus*. Sic quippe puer ſeſe totis mundi cupedijs exuerat, vt & illud Auguſtini effatum feruidus adimplerit: *Non ante homines, qui cor videre non poſſunt, ſed ante te eſt omne deſiderium meum. Sit deſiderium tuum ante illum; & Pater tuus, qui videt in abſcōdito, reddet tibi. Ipſum enim deſiderium tuum, oratio tua eſt, etſi continuum eſt deſiderium, continua oratio*. Hæc ille.

Pſal. 39. *Auguſt. in Pſ. 39.*

Non ſine diuino inſtinctu puer Hieronymus adibat Eccleſiam oraturus prolixius, eſto ſecretum aliquem locum potuiſſet fortè domi ſuis illis precibus adaptare. Cùm enim vtrobique Deo ſupplicaret, maior ſuauitas perfundebat animam eius orantis in Eccleſia, quàm domi: diuinis enim omnibus obſequijs aptior eſt Eccleſia conſecrata. Immò & Gelaſius Papa, quondam inhibuit fieri publicas ſupplicationes in loco minimè conſecrato. Ecce canon: *Certum eſt quidem, & noſtris præceptionibus conſtitutum, ne quis in Eccleſia, aut in oratorio, quod Sedis noſtræ non legitur permiſſione dedicatum, proceſſionem publicam putaret impendi*. Planè indubium eſt, conſecratione ſacras ædes aliquid acquirere ſanctitatis, vnde fiat Deo gratior oratio ſupplicantis. Eò ſpectant iſta pia Bernardi eloquia: *Verè Dominus eſt in loco iſto, dixit Iacob dormiens, cùm vidiſſet Angelos aſcendentes, & deſcendentes. Miratur gratiam, & dignationis magnitudinem expaueſcit. Quàm terribilior eſt iſte locus, quàm euidentius, certiuſque Dominus eſt in loco iſto, vbi nimirum non modo duo, aut tres, ſed tam multi in ipſius congregati nomine perſe-*

Can. Certū de conſec. diſt. 1. *Bernard. ſerm. 6. de dedic.*

perſeuerant. Terribilis planè locus, & dignus omnis reuerentia, quem fideles viri inhabitant, quem Angeli ſancti frequentant, quem ſua quoque præſentia Dominus ipſe dignatur. Verè Dominus eſt in loco iſto, vbi in eius nomine homines ſimul, & Angeli congregantur. Quia igitur reuerentiam conciliat Eccleſia, decentius orat illic anima quàm alibi.

Miranda fuit illa ſolertia pueri ſeſe latenter ingerentis in Eccleſiam, vt procul ab arbitris funderet preces. Sed illud longè præclarius eſt, quod ſemetipſum Deo influente fecit templum vtique mundiſsimum; & hinc præſertim fuit eius oratio accepta Deo, ſuiſque numeris omnibus abſoluta. Erat ille venuſta facie, & eo oris habitu, qui omnes ad ſui amorem inflecteret: & eſto rara ſit concordia formæ, atque pudicitiæ, puer ille decoris eximij, ſua modeſtia caſtitatis omnimodæ ſenſum, & ſpeciem obuiorũ ſibi hominum animis ingerebat. Eam ob rem factus ipſe pietatis ſacrarium, maximè etiam ſacris ædibus erat affectus, pro viribus hoc præſtans, vt referret moribus ea myſteria, quæ à Pontifice ſacras ædes initiante varijs ritibus exhibentur. Ad hoc omnes ſollicitat Bernardus, hoc tenore: *Quando domus iſta per manus Pontificum dedicata eſt Domino, propter nos ſine dubio factum eſt, non ſolùm qui præſentes ſumus, ſed & quicunque vſque in finem ſaculi Domino ſunt in hoc loco militaturi. In nobis proinde ſpiritualiter implere neceſſe eſt, quæ in parietibus viſibiliter præceſſerunt. Et ſi vultis ſcire, hæc vtique ſunt: aſperſio, inſcriptio, inunctio, illuminatio, benedictio.* Hæc ille, monens vnumquemque, vt ſe componat in modum templi Chriſto Domino mancipati. Breuiter rem hanc definit hoc contextu: *Bonum parat habitaculum Deo, cuius nec ratio decepta, nec voluntas peruerſa, nec memoria fuerit inquinata.* Hæc Bernardus.

Bernard. ſerm. 1. de Dedicat. Eccleſ.

Idem ſerm. 2. de dedic.

Quid ergo mirum, ſi tantus orationis amor Hierony-

mo

mo noſtro inſedit, cùm præter omnium virtutum agmen, quo vallatus erat, ſingulari adhuc puritate, eius innocens anima candicarit? Et profectò ingrata ferè eſt oratio animæ malè ſibi conſciæ: ideoque Patres Sancti opportunè monent, vt quiſque ſibi caueat induſtriè, quia ſuſpectæ preces ſunt animæ lethali crimine nigricantis. Ideoque niſi conſtaret mihi de ſincera indole pueri, quem refero frequenter adijſſe ſecretò Eccleſiā, vt oraret; nutante ſtylo ſtudium hoc orationis in puero virtutis incurio celebrarem. Animæ nimirum intereſt, vt ſit Deo grata, ni velit ingratas preces effundere. Audiendus in hoc themate Hieronymus. *Ieremias*

Ierem.c.3. Lament. *ait: Leuemus corda noſtra cum manibus. Cor cum manibus leuat, qui orationem ſuam operibus roborat. Nam quiſquis orat, ſed operari diſsimulat, cor leuat, & manus non leuat. Quiſquis verò operatur, & non orat, manus leuat, & cor non leuat. Iuxta ergo Ioannis vocem, tunc cor fiduciam in oratione accipit, cùm ſibi vitæ prauitas nulla contradicit, & bonorum operum ratio orationi concinit. Ait etiam, vt ſcrutemur vias noſtras, cogitationum interna diſcutiendo, vt puri ad orationem accedamus.* Hactenus ille, volens coire manus, & cor, dum oratur; ne hiulca ſit oratio hiante lacuna, qua dehiſcit anima bonorum operum expers, & neſcia charitatis.

Scitè admodum Pſaltes edocuit, debere eſſe nexum indiuiduum orationis, atque charitatis. Sic ille occi-

Pſal.140. nit opportunè. *Dirigatur oratio mea ſicut incenſum, in conſpectu tuo.* Siquidem incenſum non exhalat, nec ſua fragrantia ſuauiter afficit circumſtantes, niſi prunis feruidis apponatur. Eam ob rem orationi cum thure præfata ineſt affinitas; namque extincto amoris igne friget oratio, & proinde caret ſuaueolentia illa grata, qua ſpirante Deus, & Angeli capiuntur. Obmuteſcit oratio, quando gelu riget amor Dei: nam ex Auguſtino,

Fri-

Frigus charitatis, ſilentium cordis eſt; flagrantia charitatis, clamor cordis eſt. Hæc ille. cui ego ſubijcio, fumum orationis, quæ charitatis igne flagrat, abigere dæmones, virtute etiam potiore illa, qua præſtabat nidor cordis à Tobia iuniore extracti de piſce, cuius vim Raphael Angelus tantopere prædicauit. *Cordis eius*, inquit, *particulam ſi ſuper carbones ponas, ſumus eius extricat omne genus dæmoniorum, ſiue à viro, ſiue à muliere, ita, vt vltra non redeat.* Auguſt. in Pſal. 39. Tobi. 6.

Quantùm poſſit in dæmones oratio, quæ ſacro amoris igne calet, expertus eſt puer Hieronymus, in quem caſſi omnes fuere niſus dæmonis, aſtu multiplici in iuuenem illum ſæpe ſæpius inſurgentis. Vt enim ſupra recenſui vitia, quæ perſtringunt pueros impotes ferè reſiſtere turbini, quo raptantur, ratione adhuc in cunabulis; vitia inquam illa pueris inolita, neſcijt Hieronymus, vtpote procul à mendacio, turpiloquio, & cæteris næuis, quibus ætas hæc lubrica maculatur. Ille prior æui tenor inoffenſo pede præteritus arguit in tyrone magnas Dei ſuppetias, quas iugis oratio demeruit, vt & vim acerbos, & valentes dæmonum omnium impetus eludendi. Patres ſancti concordi tono canunt hoc orationis encomium, & triumphum de dæmone profligato. Ecce melos Auguſtini. *Orabat Moyſes, quando pugnabat Amalech: tunc extendebat ille manus, & deficiebat Amalech. Et tuæ manus extenſæ ſint, vt deficiat Amalech tentator, & huius itineris impeditor. Eſto vigil, & ſobrius in orationibus; in operibus bonis, vt vincas inimicum.* Aug. lib. 50. homil. Concinit Auguſtino ſuppar Chryſoſtomus. *Animam*, inquit, *non munitam precibus, diabolus facilè in ſuam redigit ditionem, nec multo negocio omni genere ſcelerum implet. Nam primùm quidem ad animam precibus communitam, non audet propius accedere, metuens robur, ac fortitudinem, quam illi deprecatio ſubminiſtrauit, magis* Chryſoſt. lib. 2. de orãdo Deũ.

vegetans animum, quàm cibus corpora.

Suo diſcrimine expertus dæmon, quàm ignita ſint ſpicula precantium, vt par eſt; & deſpectui ſummo ducens, ſe à puero Hieronymo vinci, quia Deum habebat à ſuis partibus ſtantem, & conductum precibus indeſeſſis: Aſtutus ille hominum hoſtis, omnem mouit lapidem, vt puero ſtudium orationis excideret. Præcipua machina arietans in puerum fuit pater eius, qui aduertens filium ſuum tardùis redire domum, ſuſpicatus aliquid ſiniſtrum in puero plagas ſæpius infligebat. Erat ore ſeuero parens, & vitiorum acerbus oſor; ideoque ne quid in filio peruium eſſet vitio, gliſcenti etiam inſcijs infantibus, actiones eius, inceſſum, loquelam, & pręcipuè moras, extra domum ſedulus obſeruabat. Cùm itaque puer in orando prolixior, eſſet ſero redux, pater neſcius vnde tyro domum tardè repeteret, cauere volens illi, durius agebat, & quandoque zelus à verbis aſperis, ad duriora verbera prorumpebat. O conſtantiam in ætate iuuene ſeneſcentem! Animo infracto tulit plagas Hieronymus; & qui corpuſculo erat paruo per ætatem, ideoque ferè flagris inuio, habuit animum ſatis grandem, & validum, vt verbera ſuperaret. Habuit duo ingrata puer, quæ vinceret. Primum fuit ſuſpicio patris, malè filio ſuo ominantis, eò quòd ſæpe tardius rediret ad propria. Vt enim puerorum ætas imbecilla nutat, pater Hieronymi ignorans filium ſuum tantas traxiſſe moras in Eccleſia, habuit ſuſpicionis, & timoris euidens argumentum. Inde profectò puer angebatur, videns ſe malè audire apud patrem, eò quòd adiret Deum omnium noſtrum patrem, vt ab eo fuſis precibus audiretur. Fuit illa grauis anguſtia lancinans animam: nempe moleſtum eſt puero inſenſum habere patrem, quem ætas hæc tenella ambit, ad affectum ſui ſtudijs omnibus inclinare.

Alte-

Alterum quod puero faceſſebat negotium, erat ſeuera patris correctio deſinens in flagella. Si de pietate ſua patrem feciſſet certiorem, & dixiſſet ſe ſolitum in Eccleſia latenter orare nocte tenus, conſcio tantùm Domino Conſaluo præfecto ſacrarij; ſanè fuiſſet ſtatim ab ærumnis omnibus expeditus. Sed dum vtramque moleſtiam, corporis ſcilicet, & animę, tulit æquo animo, de dæmone retulit hinc triumphum. Intendebat quippe vafer hoſtis vtrimque laceſſere propoſitum pueri, vel inducendo, vt faceret palàm ſe ſecreto quotidie orare ad veſperam, & ſic vanitati fieret obnoxius; vel tædium ingerendo precum, & ſic pugilis impuberis expertos impetus validos eneruare. Spartani ſuorum infantium experturi robur animi, ante ſuas aras cædebant flagris, ſed inuitos. Puer verò Hieronymus, quia frequenter aris adſtabat, duriùs exceptus eſt, nolens ſe ſubducere flagris, vt ſtante inconcuſſo propoſito orandi quotidie, acerbiora longè flagra in dæmones intorqueret. Potuit demulcere patrem indicando locum, vnde redux ſerò repetebat domum; ſed ſatius credidit eſſe, incurrere in diſcrimen gratiæ patris, quàm acceptas à Deo gratias explicare. Vide quot triumphos, ex vno tantùm pueri ſilentio, quo diluit omnes dæmonum technas, eo præſertim nomine obiectas, vt Hieronymus vel parcior eſſet in precando Deum, vel vt eum ab Eccleſia, quam latenter adibat, penitus ablegaret.

Plutarc. in Lycurgo.

Dæmones omnem adijcere induſtriam, vt animæ noſtræ tædium orationis ingerant, ait Origenes, ita monens. *Caue diligenter, ne cogitationi illi animi tui aſſentiare, quæ ab orationis canone nondum peracto auellere te ſtudeat. Habent enim morem hunc dæmones, vt faciendæ orationis temporibus, per ſpecioſam ſcilicet aliquam laudabilis cauſæ alicuius ſimulationem, nobis ſedulò auctores ſint, vt ab ea nos ſubducamus; vt quam ſalutem afferre nobis*

Origen. ſerm. de abdicat. rerum.

intelligant, ab ea nos probabiliter abducant. Hæc ille, callidum dæmonis ingenium aperiens, cuius ea eſt aſtutia, ſatagere, ne quis in orationis ſtudio longo tempore perſeueret. Tota namque precum vis præcipua eſt in perſeuerantia, qua quiſquis excidit, ille facit iacturam gratiarum, quas liberali manu Deus orantibus iugiter impertitur. Vt ergo Hieronymus Narnienſis orationi ſuæ colophonem imponeret, non deſtitit adire ſeorſim Eccleſiam, vt aduerſus inſtantia mala vndique ingruentia demereret opem Dei precibus importunis. Fortè puer audierat illam parabolam Chriſti, qua quidam laceſſens amicum importunitate ſua meruit accipere panes, quos nec ipſe venerandus arctioris amicitiæ titulus impetrarat. Hoc ſymbolico Chriſti eloquio perſeuerans oratio conſulitur, vt eruditè probat Hieronymus, enucleans illum locum: *Poſtquam*, inquit, *Chriſtus Dominus diſcipulos orationem Dominicam docuit, hanc ſubiecit parabolam, vt intelligeremus importunos nos amicos eſſe debere pulſando Chriſtum: ipſe enim ſi rectè viuamus, amicus noſter eſt. Huius amici oſtium inceſſabiliter pulſare debemus, & horis eum inquietare nocturnis, & vſque adeo moleſti eſſe, vt importuni etiam iudicemur. Sed non huius importunitatis vereamur offenſam, quia hæc apud Dominum importunitas opportuna eſt.* Hieronymus hiſce deductis perſeuerantiæ encomijs arripit anſam ad eius impigrum obſequium homines adhortandi. Quippe plerumque caſſa deficit oratio, caretque ſuo debito ſtipendio; quia dum à carceribus ſoluit, ad metas non attingit, vtpote multis inſidijs hoſtis callidi præpedita.

Hierony. homil. in Luc. c. 11.

Sic ergo Beatus vrget Hieronymus. *Pulſemus igitur oſtium Domini, non ſolùm per fidem, ſed etiam perſeuerantia, vt aperiatur nobis. Et nos pulſemus hoc oſtium & perſeueranter oremus, vt ſapientia & ſcientia panem accipere merea-*

Ibidem.

mereamur. Noli mihi moleſtus eſſe, &c. Diſtulit quidem deſiderium, ſed non abſtulit; vt plus nos quæramus, & inuentus ſtrictius teneatur. Ideo negat petitionem, vt probet cuiuslibet perſeuerantiam. Hactenus ille: cuius propoſitum aſſecutus puer Hieronymus, ita ſe ad orationis ſtudium impiger applicuit, vt nihil remorante patris cenſura graui, non deſtiterit orare Deum, procul à turbis, & id precibus indefeſſis. Illa patris obiurgatio quãdoque plagis adiectis, precibus impuberis Hieronymi obſtitit quidem indirectè, dum neſcius parens vnde veniret ſerò, reditum maturum iuſſit; ſed non abrupit morem, orationis ergo, ſacras ædes ſolito tempore frequentandi. Patre offenſo moris infantis vſus eſt dæmon, vt puerum auerteret à ſedulo cultu orandi: ſed omnis moleſtia illata puero, orationi eius magnum gratiæ, & decoris addidit incrementum. Illa nimirum oratio gratior eſt, quæ magis accedit ad formulam, quã Chriſtus adhibuit ſuas fundendo preces. Aſt ille decoctus anguſtijs, ſuas aſperſit myrrha preces, vt ſuo exẽplo ſequacibus oſtenderet has maximè Deo placere preces, quas exceptæ patienter anguſtiæ comitantur.

Eò ſpectat illud eloquium Sponſi. *Vadam*, inquit, *ad montem myrrhæ, & collem thuris.* Thure notatur oratio, vt & myrrha quidquid angit, & cruciat. Placet igitur oratio, quæ myrrha comite perſeuerat. Hieronymus noſter eo puluere myrrheo ſuas reſperſit preces: namque duris verberibus, & cenſuris exceptus à patre, ſeſe patienter habens, orationis perfectæ eſt formulam aſſecutus. Ita Daniel afflictus meruit exaudiri. Sic enim Angelus eum affatus eſt. *Noli metuere Daniel: quia ex die primo, quo poſuiſti cor tuum ad intelligendum, vt te affligeres in conſpectu Dei tui, exaudita ſunt verba tua.* Fuit & ille ritus inolitus ſacrificulis Gentium, quibus hoc animo inſedit, corpus aperire plagis, vt placarent

Cant. 4.

Dan. 10.

ſuo effuſo ſanguine ſimulacra. Hunc Scriptura morem commemorat, in argumento Prophetarum Baal, quos Elias ad examen orationis optimæ prouocauit. Ita codex ſanctus. *Clamabant voce magna, & incidebant ſe*
3.Reg.c.18. *iuxta ritum ſuum cultris & lanceolis, donec perfunderen-*
3.Reg.20. *tur ſanguine*. Fauet & ordo altarium templi, vbi altare occurrebat ſanguine tinctum, deinde procedendo videbatur aliud altare fragrans incenſo. Altare prius erat holocauſtorum, vt & alterum thymiamatis. Prior ara notat, eos ſolos deuenire ad orationis aram, qui vt holocauſta ſuo ſunt ſanguine delibuti. Eo ferè ritu initiata eſt oratio Hieronymi Narnienſis: namque plagis præuijs à patre exceptis, ſe in modum holocauſti compoſuit, vt poſtea compos eſſet altaris incenſi, & orare rite poſſet ſuo ſanguine procuratus.

Cùm igitur illa oratio Hieronymi noſtri fuerit accincta ſuis cautelis, & partibus, nec in eam quidquam potuerint verbera nec obices, quibus eam diabolus impetijt; non profectò debet aliquo encomio congruo defraudari.

Hieronymus annorum duodecim, Capucinos ſolicitat, vt inter nouitios adſcribatur. Caput XI.

ADoleſcens quidam nobilis proſapiæ, & multi cenſus, percitus forma rerum egregiè geſtarum à Chriſto, in animum ſuum induxit adire Dominum illum percelebrem, vt initiatus eius diſciplina poſſet ab eo indicta dogmata profiteri. Ille propoſiti tenax ſiſtitur Chriſto, & ſciſcitatur ab illo viam ſalutis indubiæ. Dominus

minus annuendo votis hominis de ſua anima ſoliciti, ait, viam regiam, quæ dirigit omnes ad æterna tabernacula, eſſe, omnia mandata Dei fideliter, & pro viribus obſeruata. Ingenuæ indolis homo benè ſibi conſcius ait, ſe à iuuentute ſua inoffenſo pede decurriſſe viam illam mandatorum Dei, nec ab ea latum vnguem aliquo perpetrato crimine declinaſſe. Obſequium illud à teneris vnguiculis præſtitum Deo, ita deuinxit Chriſtum, vt ſpeciali affectu hominem illum dignatus ſit, eum ad obſequia magis ardua prouocando. Ecce ex Codice ſacro dialogum vtriuſque. *Procurrens quidam genu flexo ante eum, rogabat eum: Magiſter bone, quid ſaciam vt vitam æternam percipiam? Ieſus autem dixit ei: Quid me dicis bonum? Nemo bonus, niſi vnus Deus. Præcepta noſti: Ne adulteres, Ne occidas, Ne fureris, Ne falſum teſtimonium dixeris, Ne fraudem feceris, Honora patrem tuum, & matrem. At ille reſpondens ait illi: Magiſter, hæc omnia obſeruaui à iuuentute mea. Ieſus autem intuitus eum dilexit eum, & dixit ei. Vnum tibi deeſt: vade, quæcumque habes vende, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cœlo: & veni, & ſequere me. Qui contriſtatus in verbo, abijt mœrens: erat enim habens multas poſſeſsiones.* Vberior ſanè gratia influxit in iuuenem Hieronymum Narnienſem. Cùm enim ab incunabulis præſtitiſſet ſe immunem à vitijs, nec minimum quid deuiaſſet à calle mandatorum Dei; ſic à Deo amatus eſt, vt religionis Capucinorum profitendæ gratia, duodecim tantùm annos natus, mente & animo mundum penitus ablegarit. *Luc. 18. Marc. 10.*

O abyſſum iudiciorum Dei! adoleſcens ille recenſitus ab Euangelij ſcriba, tenax fuerat obſeruator omnium mandatorum, & inde ſibi Chriſtum obſtrinxerat, cuius intuitu propitio vocatus eſt explicitè ad profeſſionem Euangelij, vt arctioris vitæ ſequax, ſtipendia

mereretur vtique ditiora. Attamen hæſit in vado, & à limine impingens, retrorſum abijt. Omnino ſecus actum eſt cum Hieronymo Narnienſi: ſiquidem ille puer ſectator impiger mandatorum Dei, ab anno ſuæ ætatis duodecimo vocatus eſt diuinitus ad arduum vitæ genus, hoc ſcilicet, quod ſectantur Capucini, vni tantùm Chriſto addicti, ſæculi huius rebus omnibus abdicatis. Adoleſcens alius abijt retrò, fortè ſua nobilitate, & gazis præpeditus. Sed puer Hieronymus, nulla prorſus habita ratione ſui generis, atque facultatum; imò nec ætatis immaturæ, Narnia Porchariam adijt, ætate duodecim annorum, vt Capucinos illic degentes, de ſuo faceret propoſito certiores. Exercuerat ſe tyro in agone virtutum, & ſupra ætatem miles emeritus, ſeſe accingebat ad maiora certamina, ea videlicet aſpera, & acerba, quæ laceſſunt dæmones, mundum, & carnem; bella ſanè perpetua, & infeſta, quibus Capucini iugiter exercentur. Patres illi auſteri, ſtupuere ad tantam pueri conſtantiam, & ſimilem ei, qua Dauid imberbis adorſus eſt hoſtem gigantea mole terribilem. Contempſere primò vota hominis incongruæ ætatis, vt impotis adſcribi numero pugilum, qui ſe totos militiæ Chriſti Domini manciparunt. Dixere candidato moras eſſe trahendas longiores, in re magni ponderis, imò tanti, vt iam humeri eius eſſent impares huic oneri, quod etiam grauare ſolet homines fortiſſimos. Adiecere, petitionem eius decernere de ſtatu perpetuo, cuius electioni non ſufficit ætas hominis impuberis, atque adeo verſatilis ingenij noua omnia capeſſentis.

Profectò laudabilis eſt ille ritus ab æuo religioſis inolitus, quo iuuenes ad ſua cœnobia confluentes, nulla prorſus ſuaſione pelliciunt ad ſectandum ſuum vitæ genus, ſed potius eos abſterrent, dum eos vident anhelare ad hoc rigidum inſtitutum. Etenim probandi ſunt

ſpiri-

ſpiritus, non vrgendi; & præſertim, cùm agitur de ſtatu, vbi hoc ſolum eſt conſtans, quòd nihil ſæculi prorſus illic homini conſtat. Capucini obiecere primò Hieronymo ætatem imbecillam, deinde arctioris diſciplinæ formulam; demum conſuluere tyrunculo, vt rem operoſam, in qua vertebatur præcipuus vitæ cardo, Chriſto Domino commendaret. Profectò tulit ægrè remoras ætatis ſuæ puer, animo grandæuo, fortè timens ſibi inter æſtus ſæculi vndoſi, vbi facilis eſt iactura animæ, varijs tentationum fluctibus agitatæ. Sæpe ſæpius audierat mundum hunc eſſe maris inſtar, quod præter infidelem quietis ſpeciem, quam prætendit, eſt tot & tantis periculis obnoxium, vt rari ſint, procellas eius, & latentes ſcopulos euadentes. Vnde ſuperſtites homines in ſæculo miſerans Bernardus ait. *Hoc mare magnum, & ſpatioſum, in quo vtique certum eſt, nibil aliud quàm præſens ſæculum amarum, fluctuans deſignari, tribus hominum generibus ſuo cuique modo peruium eſt, vt tranſeant liberati. Tres enim ſunt, Noë, Daniel, & Iob: quorum primus naui, ſecundus ponto, tertius vado tranſijt. Porro tres homines, tres ordines Eccleſiæ ſignant. Noë quidem arcam rexit, ne periret diluuio: vbi protinus, rectorum Eccleſiæ formam agnoſco. Daniel vir deſideriorum, abſtinentiæ, & continentiæ deditus, ipſe eſt ſoli Deo vacans, pœnitentium, & continentium ordo. Iob quoque ſubſtantiam huius mundi benè diſpenſans in coniugio, fidelem deſignat populum, terrena licitè poſſidentem. Sæcularium ordo eſt, qui mare magnum vado pertranſit, laborioſum prorſus, & periculoſum.* *Bernard. ſerm. de tribus ordinibus.*

Beatus Hieronymus ſuo diſcrimine expertus, quàm ſit hoc ſæculum nequam, & volens deducere amicum ſuum Heliodorum in eumdem religionis portum, ad quem ipſe confugerat; petita ſimilitudine à mari, acriter inuehitur in mundum, quem dicit eſſe multorum

hominum nece pelagus inhorreſcens. *Nolite credere, nolite eſſe ſecuri: licet in modum ſtagni fuſum æquor arrideat: licet vix ſumma iacentis elementi ſpiritu terga criſpentur, magnos hic campus montes habet: intus incluſum eſt periculum, intus eſt hoſtis: expedite rudentes, vela ſuſpendite, crux antenna figatur in frontibus; tranquillitas iſta tempeſtas eſt.* Hactenus ille ſolicitans adoleſcentem incautè nimis in ſęculo commorantem. Nulla fuit opus oratione tyroni Hieronymo Narnienſi, vt ſeſe mundo ſubduceret: nempe ſatis ſe vrgebat, ad ſeceſſum, & ad ſęculi repudium. Ideoque vt in clauſtro militaret Deo, frequens adibat cœnobium, vbi anhelans ad hoc vitæ genus, erat Capucinis iteratis ſępe precibus importunus.

O beatos, quibus ſuggerit Deus illa ſana conſilia! O ſecuros homines, quos in pelago mundi Deus euehit in pontem vitę, quę traijcit ſecurè ſuos ad ſydera profeſſores. Religionis ſtatum eſſe pontem, audi ex Bernardo. *Tribus*, inquit, *lignis pons iſte compactus eſt, vt qui perfectè eis inniti voluerint, non labatur in itinere pes eorum. Hæc autem ſunt, pœna corporis, paupertas, & obedientia. Nam & per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei.*

Bernard. vbi ſupra

Quòd in ephebis adhuc Hieronymus Narnienſis attenderit ad præaltum vitæ genus, quod ſectantur Capucini, hoc deſignat in puero velocem animum, qui cùm decurriſſet aleam mandatorum Dei, ad circumconſiliorum Chriſti ſedulus adſpirabat. Puer Alexander inuitatus ad curſum in Olympia, dixit ſe curſurum, ſi æmuli Reges vellent cum eo contendere. Ita Hieronymus impubes peracto velociter curriculo mandatorum Dei, ſe accinxit ad aleam, in qua concurrunt homines reuera regij, ſcilicet cœnobitæ, quorum arduum vitæ genus magnos animos tantùm capit, à fæce vilis ple-

plebeculæ defæcatos. Quòd annorum duodecim puer ille Capucinorum aleam voluerit decurrere, iam velociter emenſa via mandatorum Dei; hoc facinus eſt longè ſuperans prodigia, quæ priſci Scriptores veteris hiſtoriæ ſuis literis ætati poſteræ tranſmiſerunt. In his eſt ille nouennis puer,quem Plinius ait à meridie vſque ad veſperam confeciſſe curſu ſeptuaginta quinque milliaria. Illi ſuppar eſt alius,& impubes, qui à matre locatus ad paſcendas capras, ita ſuos aptauit pedes ad currendum, vt & venatu lepores anteiret. Fuit ille Polymeſtor Mileſius,quem gregis dominus Olympiade quadrageſima ſexta producēs in ſtadium, victorem reduxit olea coronatum. Huius meminere Solinus,& Bocchus. Plura ſanè præſtitit puer Hieronymus:non enim à meridie ad veſperam, ſed ab ipſo ferè vitæ ſuæ crepuſculo, quo incipit illucere ratio,carpſit iter mandatorum Dei, tanta pedum animæ, id eſt affectuum velocitate, vt incunctanti veſtigio præſcripta nobis omnia mandata Dei feruidus obſeruarit. Non ei concurſus erat cum beſtijs, ſed cum hominibus prouectæ ætatis, qui in virtutum alea ſtupuere, ſe præcedi à puero duodenni, qui dedignatus aleam mundi, quam adeo facilè confecerat, ad nobilius ſtadium, ſcilicet Capucinorum vitam, votis omnibus anhelabat. Ex Herodoto, Solino, & Martiano Capella, Troglodytæ, & extimi Aethiopes victum ſibi currendo parant. Etenim, quas ſpiculo intorto transfixere feras, has refugas, ipſi præualentes pernicitate pedū curſibus aſſequuntur. Hieronymus vt à curſu incepto non deſtitit, ita & in agone velox, omnia, quæ ad ſalutem animæ conducunt, currendo ſibi adſciuit. quòd ſi quis vitia dixerit eſſe feras, in animæ perniciem factas, tyro noſter velocitate ſibi inſita fugit egregiè has omnes beſtias inſequentes.

Plin.lib.7 cap.10.

Solin. c.6. Bocchus.

Herod. lib 4. Solin. cap. 60. Mart.Capella lib. 6.

Eſto citus & impiger extiterit hic athleta, in peragendo

gendo ſuo curriculo, ac proinde ſua ſit laude dignus; ſumma tamen encomij eius, non eſt in decurſu, ſed in modo: ita nempe velox extitit, vt ſpectatorum oculos falleret; id eſt ea, humilitate ſuas texit virtutes, vt velut incognitæ ab inani applauſu hominum fuerint penitus illibatæ. Silius eſt auctor, Autololes eo cucurriſſe modo, vt ferè terra inſcia emenſi ſint ſpatia longiora. Namque pedum veſtigia nulla ſolo impreſſa fecere fidem curſus citò citius exantlati.

Silius lib. 3.

Huius & induſtriæ fuit Iphiclus, Philaco, & Climene natus. ſic agilem fuiſſe Higinus, & Cœlius Rhodiginus aiunt, vt ſuprà ariſtas illæſus excurreret, nec tamē tritas ſuis pedibus inclinaret. Proximo capite oſtendi, puerum Hieronymum fuiſſe ſolitum ſubire latenter ædes ſacras, vt foribus occluſis, prolixæ orationis nulla prorſus veſtigia curioſis hominum oculis exhiberet. Hoc reuera fuit non currere ſupra ſpicas, ſed volare, & aſpectum fallere ſpectatorum. Præfatus ſum, fuiſſe puerum hunc alienum à vitijs, quæ à me laudatus illic Ambroſius explicat, & quæ commemorat Sanctus Hieronymus, eſſe vernacula iuuenibus, ita fatus: *Adoleſcentia multa corporis bella ſuſtinet, & inter incentiua vitiorum, & carnis titillationes, quaſi in lignis viridibus ſuffocatur, vt non poſſit ſuum explicare fulgorem.* Hæc ille. Demum aſſerui pugilem hunc tenellum, in agone cum vitijs, & ſtudio virtutis, dediſſe ſemper ſpecimina gratiæ ſingularis. Hæc omnia clamant Olympionicam illum, multos ſuperaſſe in ſtadio, quo curſores ſuos, & ſequaces candidatos perfectionis, vult Chriſtus Dominus exerceri. Qua pernicitate velit Chriſtus ſuos eſſe palæſtritas ingreſſos aleam, quam ipſe præterijt, diſertè Bernardus enucleat, dum ait perfectionis Euangelicæ ſummam recte, curriculi ſymbolo lineari. Sicut enim ſtadium vult agiles homines, quos neſcire moras vltima

Higinus lib. 2. Aſtronõ. Cœlius Rhodig. lect. ant. lib. 5. c. 5.

Hieron. epiſt. 2. ad Nepot.

meta

meta monet; ita & alea ſymmyſtarum Chriſti, nullas omnino remoras patitur, ſed incunctante pede capit tantùm animas expeditas.

Quia, ex Bernardo vera virtus finem neſcit, & alea virtutum in immenſum porrigitur, Hieronymus Narnienſis ætate licet immatura videns præter mandata Dei à ſe obſeruata fideliter, eſſe conſilia Euangelica; ad hæc ſectanda fortiter vrgens ſemetipſum, ſuos omnes impetus adaptauit. Idcirco duodennis Capucinorum clauſtra tenens, moleſtus erat Patribus cœnobij, quia propoſitum eius in alia tempora differebant. Pleroſque Deus ſolicitat homines, vt ſubeant hanc aleam, dentque ſuum nomen religioni: ſed illi renuentes ſerò manus dant, & conſenſum ad ardua Chriſto Domino prouocanti. Alacrior ſanè fuit, atque vegetiot noſter pancratiaſtes Hieronymus, qui præueniens ſtatuta tempora palæſtritis, voluit inter ſtadiodromos, & curſores, homo impubes adoptari. Vnde placet illi affingere illud encomium, quod Bernardus meminit in gratiam Sponſæ Canticorum: *Pariter*, inquit, *currunt ſpiritu feruentes animæ. Currit Sponſa, currunt adoleſcentulæ; ſed quæ amat ardentius, currit velociùs, & citiùs peruenit.* Hæc ille appoſitè ad feruorem, quo accenſus Hieronymus noſter impubes vrebatur. Etenim multos grandiores præceſſit, in ſolicitandis Patribus Capucinis, vt adſcriberetur inter neophytos, ſeu nouitios Ordinis huius, vbi peramœnè vernant illa nouella germina ſanctitatis. *Bernard. ſerm. 3. in Cant.*

Ne curſim videar exegiſſe curſum hunc velocem, quo palæſtrita nouus excelluit, volo liquidius illum recolere: vtque velox ille tyronis animus fiat omnibus palàm, ad exemplum, & ſpecimen virtutis ingenuæ & ſinceræ, poteſt opportuno fluminis ſymbolo lineari. Flumen tantùm ingraueſcit aquis, quantùm ab ortu ſuo deducit aquas procul. Illa nimirum eſt indoles omnium

fluuio-

Aegyd. Sardoler lib. 3. ſymb. iconum.

fluuiorum, vt quo magis ſecedunt à capite, etiam vberioris aquæ influxu, magis fluctibus intumeſcant. Fluminis ingenium eſt homo tener aſſecutus, ſcilicet Hieronymus noſter. Quippe puer conſcia ratione pedes ſuos aptans ad ſtadium diſciplinæ Chriſti, fœliciter eſt emenſus illud curriculum, necquicquam vegetos impetus ætate tenera remorante. Sed duodecim annos nactus, cogitans de alea grandiore, videlicet, de vita religioſa, iure poteſt dici, palæſtritam, qui pernice motu cucurrerat hactenus, poſtmodum alas ſuis pedibus adiecisse. Eam ob rem ſciſcitanti, qualiſnam fuerit impetus huius Olympionicæ, abundè ſatisfiet titulo obiecto fluuij recenſiti. Et reuera reor, pleroſque benè ominantes puero Hieronymo, qui incremento gratiæ, & virtutis ſibi conciliabat omnes, ſæpe ſæpius vſurpaſſe hoc effatum, in gratiam eius: Hic tenellus eſto puer, turgentis ingenium fluminis æmulatur.

Puero Hieronymo meditante nouum vitæ genus, non indormijt dæmon, ſed in ſua ſibi nequitia conſtans ſemper, pro viribus enixus eſt, auertere candidatum illum à propoſito religionis, quam præ alijs omnibus inſtitutis ſedulus appetebat. Ad hoc armauit ſocios eius, imò & domeſticos, qui ægrè ferentes hoc cum ſæculo diuortium, dicterijs in puerum, & iocis eius pietati iniurijs erant moleſti quàm maximè, ſic eum deterrentes ab optimo conſilio, & vota feruida laceſſentes. Vocabatur per ſummam iniuriam deſertor religionis, & vbique ſuſurrans infantium cœtus, imò & ſugillantes homines prouectæ ætatis carpebant hoc intentum de capeſſendo religionis ſtatu, mundo penitus abdicato. Traducebatur ille palæſtrita velut mente captus; & haberi ludibrio incœpit, qui hactenus in tenui corpuſculo fecerat ſibi nomen grande ſpecie ſanctitatis. Triennium totum egit in agone, quo decernendus erat ille ſtatus, in quo vertendus

tendus erat vitæ cardo. Et præter externos inſultus hominum, nõ defuere ſibila interna diaboli, in conceptum genus vitæ nouæ, & arduæ quamplurima impia ſuggerentis. Sed tantùm abeſt, vt illi obices mundi detraxerint propoſito pueri, quin imò currenti calcaria potius addiderunt. Hinc etenim nouit, quàm eſſet operoſum degere in ſæculo, vbi virtutum praxis habet tot ęmulos inſurgentes. Bernardus ſic meminit, hoc animę diſcrimen: *Periculoſum,* inquit, *eſt inter ſæculi turbas agere pœnitentiam, vbi nimirum alij venenatis perſuaſionibus, alij vndique exemplis peioribus ad peccandum alliciunt.* Hæc Bernardus, velut amuſſim pręſcribens, ad quam ſe totum effingens impubes Hieronymus, à domo paterna ad caſtra Dei tranſijt illibatus. Demum, quot obices ſuperarit ille tyro, videre eſt ex recenſione difficultatum, quas ingerit mundus eis, qui ſe aliò transferre parant, vt ſe prętenſis nexibus expediant. Has remoras à Bernardo petam, vt verſatiſſimo in technis dæmonum explicandis. ſic ille: *Vſitatum eſt ſatis, & tritum, ſæculum iſtud; merito cæcitatis, & ignorantiæ ſuæ, Aegypti vocabulo nuncupari. Quod nimirum quoties mutatione voluntatis egredimur, tria nobis occurrunt. Stimulus cupiditatum, qui velut mare rubrum ſenſum rationis noſtræ tumidis, & procelloſis vndis cogitationum inuoluit, & niſi virga diſcreti iudicij aquæ ſuperiores, ab inferioribus ſecernantur, ſubruit funditus, & demergit. Sequitur cumulus tentationum, quaſi alter Iordanis aluei ſui metas excedens, & terram corporis noſtri ſolito plenius occupans, niſi arca Teſtamenti impetus illius refrænet, & ipſum penitus areſaciat, & exſiccet. Sequitur aculeus moleſtiarum, qui cùm ingruerit, quaſi iterum Iordanis Eliſæo occurrens, ſumendum Eliæ pallium, & medijs fluctibus opponendum; vt quidquid nos temporaliter cruciat, Dominicæ paſſionis ſapore mutato, noua nobis ſuauitate dulceſcat.* Hæc Bernardus.

Bernard. ſer 3. Circumciſ.

Bernard. lib. Sentent.

Hiero-

Hieronymus quindecim annos natus inter Capucinos adſcribitur. Caput XII.

VT quidquid infra Deum eſt, ab ipſomet Deo ſua ſumit exordia, vt à rerum omnium principio; ita in debitæ ſeruitutis obſequium, ei primitiæ ſunt decretæ. Nempe fuit æquum ei deferre prima rerum, a quo ſuum eſſe petunt omnia, quæ in aliquo entium numero recenſentur. En decre-
Exodi 22. tum cœlitus editum: *Primitias tuas non tardabis reddere*. Hieronymus Narnienſis, vbi rationis compos effectus eſt, ſtatim pijs operibus intentus, ſuas ita primitias Deo exſoluit è frugibus terræ, id eſt, ex actibus egregiè in ſæculo perpetratis. Sed quindecim annos natus agnũ Deo in holocauſtum obtulit, quando detracta ſæculi pelle, Capucinorum habitu, ſe totum Chriſto Domino conſecrauit. Illæ Hieronymi primitiæ Deo fuere chariores eis, quas Hebræi Deo primitus exhibebant. Ete-
Ambroſ. lib. 1. de Cain, & Abel. nim ex Ambroſio: *Cùm anima corpori tamquam ſeruo domina ſit præferenda, vtique primitias eius, hoc eſt animæ prius quàm corporis offerre debemus. Primitiæ, primatus ſunt bonarum diſciplinarum*. Hactenus Ambroſius, qui & alibi ex deuotione offerentis primitiarum ſanctitatem aſſerit adſtruendam.

Ex eo fonte liquet, quàm Deo fuerit accepta noſtri Hieronymi iuuenis oblatio, cùm ea fuerit deuotione exhibita, quæ tanta fuit, quanta potuit eſſe maxima.
Tho. 2. 2. quæſt. 82. art. 1. Nam ex Sancto Thoma: *Deuotio dicitur à deuouendo. Vnde deuoti dicuntur, qui ſeipſos quodammodo Deo deuouent, vt ei ſe totaliter ſubdant. Propter quod & olim apud Gentiles deuoti dicebantur, qui ſeipſos idolis deuouebant in mortem pro ſui ſalute exercitus; ſicut de duobus* Decijs *Ti-*

tus Liuius narrat. Vnde deuotio nihil aliud eſſe videtur, quàm voluntas quædam promptè tradendi ſe ad ea, quæ pertinent ad Dei ſamulatum. Vnde Exodi 33. dicitur, quòd multitudo filiorum Iſrael obtulit mente promptiſſima, atque deuota primitias Domino. Hæc Beatus ille, ſingulare iubar Theologiæ, & ex hac notione deuotionis ingerit nobis pretium holocauſti, quod Deo Hieronymus obtulit. Adeo nempe velox, & promptus fuit ad deponendas exuuias ſæculi, & induendum ſacrum religionis habitum, vt quàm primùm licuit per ætatem, ſtatim fuerit inter Capucinos licet valde iuuenis adoptatus. Emittendo voto ſolenni tempus idoneum eſt ſexdecim annorum incluſiuè, ex Concilio Tridentino, ideoque probando nouitio ſufficit annus decimus quintus, quo Hieronymus ſubijt humile cœnobium Capucinorum, quibus antea ſeſe toto triennio præſtiterat multis precibus importunum. Sacro religionis habitu initiatus eſt in veteri loco, quem Romitam vocant prope Interamnam in Vmbria. In bonum omen R. P. Prouincialis voluit hunc pugilem induere concupitis armis, quibus ille Deo plenus alacri animo ſubijciens humeros ſe accinxit ad infeſta dæmonum agmina debellanda. Nouo puer inauguratus habitu deductus eſt Ameriam, vbi locus erat nouitijs exercendis aptior. Et ibi velut in arena magnos agones audacter ſuſtinuit; hos videlicet, quos ſtupendos proximo, & altero capite recenſebo. De more Capucino nouum induit nomen, veteri depoſito, cum ſæculi ſarcinulis. Octauiani nomen ſortitus erat in Baptiſmo: ſed dum ſe religioni dedit, nec ſæculi nomen ſibi reliquit; ideoque vocatus Hieronymus ipſo momento, quo habitum ſanctum induit, nuſquam fuit poſt hac, inolito ſibi aliàs nomine recenſitus. Dies, qui Hieronymo illuxit, quando galea, & lorica Beati Franciſci accinctus eſt, fauit eius propoſito; nam is fuit Sancto Bartholo-

Liuius lib. 8. Decad. 1.

Concil. Trident.

tholomæo ſacer, qui pelle depoſita factus eſt victima Chriſti, vt & Hieronymus miſſis ſæculi quiſquilijs, cum nomine domeſtico, factus eſt viuidum holocauſtum. Annus verò gratiæ huius acceptæ fuit, milleſimus quingenteſimus ſeptuageſimus octauus, quo puer ille iam ex ſæculo deditus orationi, volens miſcere myrrham cum aromatibus, illam religionem ſibi præſtituit, quam Canones ſancti myrrheo puluere aſperſam egregio velut encomio prædicarunt. Nobilis ille puer ad excelſa natus, volens dare nomen Chriſto, ei ſe voluit aptare diſciplinæ, quæ vitali voto inſiſtit Chriſti veſtigijs, eius myrrha ſuas condiens anguſtias. Hanc vitæ normam eſſe regulam Beati Patris Franciſci, hoc Concilij Generalis celeberrimo canone demonſtratur. *Hortus ſiquidem eſt fratrum Minorum ſancta religio, quæ muris regularis obſeruantiæ firmiter vndique circumcluſa, intra ſe ſolo contenta Deo, adornatur abundè nouellis plantationibus filiorum. Ad hunc veniens dilectus* Dei *filius mortificantis pœnitentiæ myrrham metit, cum aromatibus, quæ ſuauitate mira vniuerſis odorem attrahentis ſanctimoniæ circumfundunt. Hæc eſt illa cæleſtis vitæ forma, & regula, quam deſcripſit ille confeſſor Chriſti eximius, Sanctus Franciſcus, ac ſeruandam à ſuis filijs verbo docuit, pariter & exemplo.* Hactenus Papa Clemens V.

Plinius lib. 12. c. 13. Puer Hieronymus in ſæculo expertus, quàm ſit myrrha ſalutaris, eò ſe contulit, vbi defluens myrrha copioſè & iugiter exhalabat. Plinius ait Sabæos non offerre Deo myrrham, quia non gignitur apud eos. Sed impubes Hieronymus myrrhæ aſſuetus, & iam eius effectuum conſcius, ad Capucinos tranſijt, vt ad locum myrrhæ optimæ dedicatum. Sed quia iunior erat hic athleta, pleroſque offendit eius propoſitum. Imò malè audierunt Capucini, quòd adoleſcenti nondum nacto ſexdecim annos fuiſſent adeo propitij, vt annuendo vo-

tis eius, Seraphicæ religionis habitũ indulgerent. Etiam hodie recrudeſcit hæc querela, laceſſens omnes cœnobitas; ideoque meam petit opem, vt occurram iaculis, quæ multi malè affecti intorquent in nos, & equidem indiſcretè. Leuitatis arguebatur Hieronymus, & animi præcipitis, quòd ea ætate ſubijſſet hoc aſperum vitæ genus: inſtabant æmuli, quindecim annos eſſe inſcios difficultatum, quæ ſtipant cœnobia, ac proinde malè admitti pueros in ſtadium, cui decurrendo nequit ſufficere indoles immatura. Sat citò, ſi ſat benè: ſatius eſſe non currere, quàm deficere virium inopia: expectandum æuum ſibi conſtans, & ſerium, quo vegetior animus ſibi concolor aptior eſt, ad frangendos dæmonum impetus, & ad ardua audendum, qualia ſcilicet ſunt opera, quibus Capucini iugiter exercentur. Non defuere pij homines, imò & Præſules, eo nomine Hieronymo infenſi, quòd ætatis quindecim annorum vale dicens mundo, in gratiam religionis profitendæ ſui ſic arbiter extitiſſet. Ne quis ignoranter in poſterum peccet carpendo ſimiles auſus, non erit abs re refellere calumnias maledicorum hominum, quos conduxit dæmon, vt de ſæculo abdicando iuniorum hominum vota optima remorentur.

Hoc igitur eſto ſcutum in gratiam Hieronymi. Illud egregiè, & laudabiliter fit, quod ab Eccleſia ſancitum eſt, & habet Sanctos ad exemplum, & ſummos Theologos in patronos. Ergo cùm Concilium Tridentinum validam decreuerit eſſe profeſſionem religioſi nacti ſexdecim annos, imprudens eſt querela hominum, qui eo tantùm titulo in nouitios iuuenes inuehuntur. Ante Concilium Tridentinum puella duodecim annos nata poterat ſe validè conſecrare Deo. Ecce Canon. *Canone puella 20. q. 2.*
Puella, ſi ante duodecim annos ætatis ſponte ſua ſacrum ſibi velamen aſſumpſerit, poſſunt ſtatim parentes eius, vel

tutores id factum irritum facere ſi voluerint. At ſi annum, & diem diſſimulando conſenſerint, vlterius nec ipſi, nec ipſa mutare poterunt. In ipſa primitiua Eccleſia Paulus Eremitarum Princeps, annorum quindecim vitam illam Angelicam auſpicatus eſt, quam latè recolit Beatus Hieronymus. Eadem ferè ætate Martinus depoſito cingulo militiæ, ſectatus eſt ea, quæ ſunt rigidæ diſcipl næ. Thomas Aquinas apex Theologorum ex profeſſo quæſtionem agitans, qua ætate queat homo vota religionis emittere, decernit in vtroque ſexu pubertatem: Id eſt, maſculis decimumquintum annum, & fœminis duodecimum. Sed quia poſteriora derogant prioribus, nunc eſt ſtandum Synodo Tridentinæ. Denique quare pubeſcente ætate homines non erunt idonei militiæ Chriſti, cùm pueri quindecim annorum Romæ ſe aptarent ad militiæ onera grauia ſubeunda? Tyrocinio expleto Seruius ait anno decimoſexto inſcriptos fuiſſe militiæ, vt ad inſtar prouectorum ſtrenuè ſe gererent. Itaque temerè damnatus eſt Hieronymus Narnienſis, de præcoci fuga tentata anno ſuę ætatis decimoquinto. Hęc nempe fuga velox, indubius fuit index gratię Dei ſingularis, quę vrgebat iuuenem hominem, vt ſeſe quantocyùs à mundi nexibus expediret. Quippe fuit vt calcar equo iam egreſſo è carceribus, gratia eum percellens. Illa nimirum gratia, quæ Hieronymo inſedit, tanta fuit, vt non mouerit ſolum eum, ſed & impulerit ad Capucinorum inſtitutum citiùs amplexandum. Eam ob rem, non eſt carpenda præcox ętas, qua ſe ſibi, & ſęculo ſubtraxit; ſed ſuſpicienda Dei gratia, quę nullas paſſa moras ſubduxit eum ſęculo nequàm, vt inter Capucinos fortiter, & morte tenus Chriſto Domino militaret. Gratia nempe Dei MOVET, ET IMPELLIT, vt didicit ſuo experimento Saul, quem ita Samuel affatus eſt ante illapſum Spiritus ſancti. *Inſiliet*

Hieron in vita Pauli. Surius in vita S. Mart.

Tho. 2. 2. q. 189. art. 5.

in te Spiritus Domini, & prophetabis, & mutaberis in virum alterum. 1.Reg.10.

Hieronymum parentes importunè ſolicitant vt depoſito religionis habitu redeat in ſæculum. Caput XIII.

IOSEPH annorum quindecim ea virtutum fragrantia domum paternam affecerat, vt Gen.37. pater eius Iacob eum præ alijs fratribus impensè diligeret. Eam ob rem vt ſuſpicatus eſt hunc dilectum perijſſe ferarum inſidijs, quaſi filijs omnibus orbatus eſſet, abijt in lacrymas, & incurrit in vitę diſcrimen, cor eius mœrore nimio perſtringente. Studium virtutis emeritę Ioſepho conciliauerat patrem; ijſdem etiam illecebris patrem ſuum inflexit Hieronymus Narnienſis: licet enim fratrem haberet Septimium, & ſororem Cynthiam, ambos virtutis cultores eximios; tamen pater æquus æſtimator rerum, in hunc quindecim annos natum tenero affectu maximè propendebat. Eam ob rem, vt audijt Hieronymum abijſſe Interamnam eo animo, vt ſecederet in Capucinorum cœnobium, ſtatim hominem expedijt, qui deferret epiſtolam, qua pater hunc filium certiorem faciebat de animo ſuo beneuolo, & propoſito mittendi Peruſium, vt illic imponeret ſtudijs ſuis colophonem. Adoleſcens ingenuus iam galeatus atque loricatus, vtpote Capucinorum habitu accinctus, vrgenti patri reſpondit prudenter & ſuccinctè. Vidi ego Romæ autographum, cuius & ego tuli exemplar, quod reddidi ſic Latinè.

Pater mi obſeruantiſsime, Chriſtus te pace ſua ſancta dignetur afficere.

ACcepi ab Angelo Bouardino tuam epiſtolam, mihi multimodè gratam, & indicem tui erga me affectus, quem abundè teſtaris in propoſito prouehendi mea ſtudia, quibus Peruſium tuo animo deſtinaras. Hoc beneficium adiectum cumulo gratiarum, quibus arctè tibi deuincior, vt amantiſſimo patri, me memorem obſtringit ad congruas gratiarum actiones feriò rependendas. Quia verò me deficiunt verba condigna, vt & tempus, ſuperſedebo, & faciam te certiorem de noua ſorte, quam elegi, ne dubius fluctuet animus tuus fortè anxius, & de meo ſtatu ſolicitus. Annuente Deo mihi in hoc valde propitio, Capucinus effectus ſum, eaque animi alacritate perſundor, vt impar ſim eloquio tantarum interpreti gratiarum. Quæ vt ſunt magnificæ Dei dotes, ſupplex oro pater ne ingrati animi notam incurras, ægrè ferendo propoſitum meum tantæ maieſtati iugiter obſequendi. Nempe Deo iam magis es deuinctus, quòd me filium tuum in pauperum ſeruorum ſuorum cœtum aſſumpſerit. Habes hoc vnum ſingulare ſolaminis argumentum; ſcilicet, ex familia tua ſelectum eſſe vnum, qui rerum omnium Domino famuletur. Quia craſtina die profecturus ſum hinc, ante ſeceſſum humili & anhelo corde paternam benedictionem à te peto, Deumque deprecor, vt te ſimili alacritate ſpiritus afficiat, qua ego totus geſtio. Facturus hic finem toto affectu vale tibi dico, vt & matri, ſororique Cynthiæ, nec non, & toti familiæ. Datum Interamnæ 25. Auguſti 1578.

Tuus filius, & ſeruulus. Frater Hieronymus Narnienſis.

Breuis ille tenor arguit gratiæ ſenſibilis influxum in animam neophyti huius, à prima die, qua inaugura-

tus eſt cingulo militiæ Chriſti, ſub pauperis teſſera Capucini. Et equidem credo nouitium illum dulcedine tanta affectum initio, vt ſe aptaret ad magna certamina, quæ inſtabant ex parte parentum; quos vt aduerſos habuit, & propoſito ſuo contrarios, ita plures eorum impetus pertulit importunos. Deum ſuauiter initio ſuos alumnos excipere, & in progreſſu durius exercere, docet Gregorius. *Quiſque*, inquit, *in ipſo conuerſionis initio magna plerumque excipitur dulcedine conſolationis, ſed durum laborem poſtmodum experitur probationis.* *Greg. lib. 24. Moral. cap. 7.*

Appoſitè ad hæc Hieronymus Narnienſis mira ſuauitate perfuſus initio, velut oleo dulcedinis vngebatur, vt athleta robuſtus deſcendens in arenam, & ad certamen anceps, & dubij exitus, iam iam ab æmulo valido prouocandus. In propoſitum Hieronymi multi coniurauerant, ſed primos impetus auſpicatus eſt pater, reuera ſuæ virtutis immemor, dum virtutem filij ſui perculſo nimis animo recolebat. Is vt legit epiſtolam Hieronymi, qua certior effectus eſt, eum mutato habitu dediſſe nomen Chriſto; ſtatim excandeſcens iubet equũ ſibi ſterni, in quem prope furenti ſimilis exiliens ſtipatus aliquibus comitibus contendit Ameriam, quò perrexerat Hieronymus, vt in locum nouitijs ſecedentibus ex ſæculo deſtinatum. Vir ille aliàs emeritus, vbi ad cœnobium acceſſit, perhumanè exceptus eſt à fratribus: ſed ille depoſita humanitate ferus in Capucinos homines inſontes turpiter inuectus eſt. Bacchanti ſimilis nihil niſi cædes, iniurias, atque calumnias horrore tenus, amens ille parens, eiulans intentabat. Præſtò, inquit, ò ſubornatores reſtituite mihi filium, quem neſcium quid ageret præ immatura indole dementaſtis. Reddite iuuenem raptum, ò ſeductores; alioquin vim filio meo illatam ſtricto in vos gladio vindicabo. Vt

furentibus, & effuſis equis currum per inuia raptantibus, in caſſum vox aurigæ ſonat, ne in præceps & abruptum deuoluātur equi: ita pater Hieronymi deſæuiens, benè ſuada oratione Capucinorum haudquaquam placatus, in peiora ruens, eſt innoxijs hominibus mala omnia minitatus. Tanto ſtrepitu perterriti Capucini conſilium iniere, cuius ſumma fuit ſiſtere fratrem Hieronymum patri ſuo, vt ſic periculum facerent conſtantię eius. Adeſt itaque puer animo infracto, quem vt pater aſpexit, ira fremens exclamauit: fili imprudens, quis te ſubornauit, quis te ſeduxit, quis te impoſtor mihi ſubripuit ementita ſpecie pietatis? Ad hæc filius oris habitu in pudorem compoſito, & reuerito patris præſentiam, humiliter ait: Nemo me ſeduxit, ſed Deo ſuaſore me deuoui Capucinis, in quorum cœtu totam vitæ meæ ſeriem lubens impendam; nec vllæ prorſus illecebræ, aut aliqua conamina me poterunt vnquam ab hoc concepto propoſito dimouere. Vnde quia Deo decernente Capucinus fio, non debes ægrè ferre, me fidum præſtare obſequiū Chriſto. Pater impos ſui, & ſupercilio ſaliente fremens ait: volo te in mulctam proteruiæ tuæ, & deſertoris animi, diro & ominoſo plectere maledicto. Perculſus hac maledicti voce puer, vt ad ſonum tonitrui, hoc fragore territus aduoluit ſe pedibus patris, obnoxiè petens, vt pro maledicto intentato in filium procul à crimine, paternam benedictionem potius impertiret.

Heu quàm infirma hominum indoles, vbi res eſt de ſedando motu, cui paſſio aliqua effrænis animam facit obnoxiam! Nullum profectò fretum ventorum reflantium, flabris ſuſque deque tumens, adeo ſui impotens, vt eſt paſſione perciti hominis animus excandeſcens. Qui naturæ arcana rimati ſunt, dixere oleum componere fluctus, ſi effundatur in mare procelloſum. Sed fruſtra frater Hieronymus manſuetudinis ſuæ oleo tentauit

tauit placare patrem, quem ſubitus irarum æſtus extra ſe poſitum impellebat. Namque ferox homo deterior factus pietate filij, nihil niſi minas, & maledicta reſonãs, noluit annuere votis fratris Hieronymi: ſed ſibi conſtans in propoſito deducendi domum filium, inſtabat, & vrgebat vt habitum exueret: quod vbi vidit fruſtra peti, abijt eiulans vocibus inconditis. Reduci patri occurrere coniunx, & amici reſcituri quidnam profeciſſet apud Fratrem Hieronymum. ille pudibundus ſe à puero inermi victum, totam ſuam bilem effudit in Capucinos, vrbi Narniæ conterminos, quorum cœnobio dixit ſe velle ob filium raptum, & ſeductum faces vindices admouere. Denique in furoris argumentum domi vetuit, ne quid eleemoſynæ fieret in poſterum Capucinis. Antea coniunx Deum reuerita magis, quàm maritum, abſtinuit quidem à publicis eleemoſynis, conſultura ſibi contra rabiem hominis ira perciti; ſed ſtipem copioſam in Capucinos ſecluſis, & inſcijs arbitris erogabat.

Interea frater Hieronymus victor agebat Deo grates, & ſe accingebat ad alia certamina, ſciens dæmonem, vno duntaxat impetu facto nequaquam recedere, iuxta illud Gregorij: *Diabolus quem tentat, nequaquam velociter deſerit, ſed vbi molle cor inuenerit, ibi pedem miſeræ perſuaſionis figit, vt immorando actionis prauæ veſtigia imprimat.* Non fuit inanis de dæmone ſuſpicio Hieronymi, nam alias ſtruxit inſidias, quibus iuuenem incautum callidè præpediret. Ille nimirũ hoſtis vafer, & aſtutus patri ſæuienti ſuggeſſit, vt adſciret ſibi turbas auxiliares ad expugnandum Hieronymum. Eo intento conduxit matrem, & ſororem Hieronymi, arbitratus minis, atque maledictis hominis in rabiem acti, tenelli amoris matris & ſororis mellita ſpicula præualere. Cùm itaque bile effuſa pater dies impaſtos, & noctes inſomnes ageret, ægrè ferens abſentiam filij ſui, delegat Ameliam

Gregor. l. 2. Moral. cap. 24.

nouum agmen,ſcilicet matrem,& ſororem Hieronymi; hoc eis penſo indicto, ne ſcilicet Narniam repeterent, ſine reduce filio, ad quem mittebantur fortiter expugnandum. Fuit hæc parua manus, ſed tamen animoſa phalanx. Etenim mater, & ſoror aduertentes patrem Hieronymi incurrere in diſcrimen vitę ſuæ,crediderunt eſſe è re ſua tentare, vtrum nouitius minis infractus, in blanditias etiam tantùm poſſet. Eo animo conuolant Ameriam, prouocant ad certamen Hieronymum, priſtino cum patre pręlio laureatum.Non detrectat aleam fortis ille pugil: ſtrenuè occurrit matri, & ſorori, quas reuera ſuauiter hactenus amauerat,nolim inficiari præſentiam obiecti, ſoporati amoris reliquias collegiſſe, vt animum ad aſſenſum inflecteret, ſed vt gratia Dei præpotens eſt, illa naturæ blandientis conamina irrita deſecerunt.

Mater & ſoror miſeratæ nuper ablactatæ ætatis indolem infirmam,credidere Deum non offendi, ſi pueri propoſitum cunctis viribus oppugnarent. Erant conſciæ virtutis, qua puer ille conſpicuus erat, atque adeo non timuere Hieronymum inducere in diſcrimen ſalutis, quam incurrunt homines ſæculi nexibus irretiti. Conſcientia compoſita his cautelis audacter irrumpũt: mater exponit deplorandam patris ſortem, qui pertæſus cibi, & ſomni mœrore confectus, expectabat anxiè ſolum hoc ſolamen dubiæ vitæ ſuæ, ſcilicet reditum hunc filij votis omnibus expectati. Vrgebat illa parens amantiſſima, ſe oppignerare fidem ſuam, pro reinſtaurando propoſito religionis aliquo poſt tempore, quo maturior ętas eſſet vegetior & aptior perferendis Capucinorum rigidis inſtitutis.Inſtabat acriter Hieronymum fore patricidam, niſi paternis annueret votis, nihil omnino poſcentibus iniquum, & maximè à puero impari diſciplinæ tam aſperæ. Concordi inſultu ſoror Cynthia

vrge-

vrgebat acriter,ſic arietans in cor fratris ſui hactenus inconcuſſi. Eia, inquiebat illa madens lacrymis, amantiſſime frater, exciditne tibi tener amor,quo affectus es in parentes,de te tam benè meritos? olim nec latum vnguem receſſiſti à præceptis tibi indictis, & iam incurius obſequij omnis, non eſt tibi curæ patri defungenti, tui cauſa, debita crudeliter munia detrectare? Tui quæſo recordare, memorando patrem in extremis: caue,pietatem ne dum ſupra modum putas excolere, impius fias, & deſertor legis, quæ te obſtringit,vt vtrique tuo te parenti præſtes congruis actibus obſequentem. Ille præcox ingreſſus tuus in cœnobium, egreſſui tuo viam ſternit:quia quæ ſubita,eadem & ſunt indolis inconſtantis. Quid plura? mater, & ſoror nihil inuſitatum reliquere ad frangendum pectus inuium ictibus intortis ad labefactandam conſtantiam nouitij;qui supernè adiutus ait, ſe non eſſe ſui iuris,ſed diuini,& idcirco eſſe ſuperfluum expectare placiturum ſæculo, cùm ſeſe totum Chriſto Domino deuouiſſet.

Hanc Hieronymi conſtantiam damnauere multi, iactantes illud eſſe incongruũ pietatis genus,quod ementita boni ſpecie, parentibus obſequium omne debitum adimebat. Ne quis hactenus impingat in has cautes, & incautè perſtringat homines eodem animo armatos in parentes, qui obſtare volunt propoſito religionis;operæ pretium erit audire Sanctum Hieronymum, in eodem procinctu poſitum hominem iuuenem exhortantem. *Recordare* (inquit) *tyrocinij tui diem,quo Chriſto in baptiſmate conſepultus iuraſti, pro nomine eius non te patri parciturum eſſe,non matri.* Hiero.ep.1. ad Heliod.

Quia nemo ferè hodie iuuenis in clauſtra ſecedit inuitis parentibus, quin eoſdem patiatur inſultus, quos audacter eluſit Hieronymus noſter; expedit occurrere argumentis, quæ arietant in homines inſcijs parentibus

iugum

iugum Chriſti Domini ſubeuntes. Tota belli ſumma eſt de obſequio debito parentibus, ipſo Deo iuris parentum in filios aſſertore. Licet Hieronymus Heliodorum plenè ſatis erudierit in hac alea decurrenda, dum Deo parentes ait debere cedere primas; tamen obijciet aliquis, illum Sanctum, vt nimis auſterus erat, fuiſſe ſingularem in illa ſententia, de parentibus ſiccis oculis abdicandis. Alium teſtem laudabo mitioris ingenij, vt in ore duorum teſtium ſtet verbum iſtud ratum, & fixum. Sic ille inducit Heliam nouitium inuehentem in parentes ſuos religionis initum propoſitum auerſantes. Monitor hic, eſt Bernardus: *Sola* (inquit) *cauſa, qua non liceat obedire parentibus, Deus eſt. Ipſe enim dicit: Qui amat patrem, & matrem pluſquam me, non eſt me dignus. Si me verè, vt boni, vt pij parentes diligitis, ſi veram, ſi fidelem erga filium pietatem habetis; quid me patri omnium Deo placere ſatagentem inquietatis, & ab eius ſeruitio, cui ſeruire regnare eſt, retrahere attentatis? Verè nunc cognoſco, quia inimici hominis domeſtici eius. In hoc vobis obedire non debeo, in hoc vos non cognoſco parentes, ſed hoſtes.*

Bernard. epiſt. 111.

Vt aries ille nihil officiat, quo pulſatur animus, in meliorem frugem compoſitus, & cogitans de fuga ſæculi, inconſultis parentibus; expedit afferre Sancti alicuius exemplum, quo Hieronymi Narnienſis Capucini egregium, & audax facinus adſtruatur. Erit ſanè luculentum exemplum Chryſoſtomi, qui matrem ſuam viduam, & indigam opis, atque ſolatij filij ſui vnigeniti, animo infracto reliquit, etſi reluctantem, & armatam omnibus illecebris, quibus alma parens abũdè poteſt cor inuium chari pignoris aperire. Audiendus ipſe Chryſoſtomus in ſuo facto matrem ſuam ſic inducens. *Vbi* (inquit) *illa ſubodorata eſt, id me conſilij inire, dextra apprehenſum in peculiare ſibi cubiculum duxit. Hic illa cùm me ſibi aſſidere voluiſſet ſuper eum lectum, in quo me enixa fuerat, in lacrymarum*

Chryſoſt. l. 1. de Sacerdotio.

marum fontes erupit, verba etiam num adijciens, quæ me plus lacrymis illis omnibus ad miſericordiam pertraherent.

Non inficiatur ille vir magnus ſe ſenſiſſe matris anguſtias,& viſcera perturbata. Vnde, quia mens perculſa nequit ingenuè, & ſincerè dubia ſecernere, ſtatuit apud ſe Baſilium adhibere in hac re difficili, & ardua consultorem. Exponit inclytæ matris orbitatem, anguſtias, ſuſpiria,& fortè vitæ deliquium,ſi ea inuita fiat religioſus: adijcit periculum offenſæ Dei, ſi cœlitus indicta parentibus obſequia, incunctanti, & æquo animo reddere dedignetur. Quid reſponderit ad hæc Baſilius vir emeritæ militiæ, & Chryſoſtomo charus,pergit ille enarrare. *Hæc*(inquit)*& his longè plura matris ad me monita erant: quæ cum amico illi verè magnanimo, ac generoſo recitaſſem,tantùm abſuit, vt ijs ipſe moueretur,vt acrius etiam inſtaret eadem à me, quæ antea efflagitans, remque ille aſſiduis vrgebat precibus.* Hactenus ille palæſtrita nominatiſſimus inter Sanctos, & Doctores: cuius exemplo fretus Hieronymus Narnienſis, nihili fecit lacrymas, & preces almæ parentis,multa à propoſito religionis deuia ſuggerentis.

Cùm itaque mater, & ſoror Hieronymi oleũ & operam perderent in agone cum pugile verſatiſſimo,rediere Narniam ſuffuſæ pudore, ſe victas à iuuene, quem domum reducere nimium credulæ iactitarant. Vt audijt pater, earum fuiſſe irrita conamina, tantùm non mœrore contabuit: altus quippe dolor eum lancinans, tam dirè affecit, vt color antè viuax non extinctus ſit modo, ſed ipſe morte tenus ferè defecerit, mœrore acerbo cordis intima depaſcente. Profectò miles Chriſti,licet tyro,maiora virtutis arduæ ſpecimina nobis exhibuit, quàm Coriolanus ille miles famoſiſſimus, qui Roma pulſus, vnde municeps erat oriundus, ſuam vlturus iniuriam magno conſcripto exercitu, redux Romam

Idem vbi ſupra.

mam arcta obſidione cinxit, vt inglorij ſui exilij notam, contribules ingrati ſuo ſanguine repurgarent. Ille impetu facto in patriam conſternatam, ſe in anguſto poſitam, hanc eò adegit, vt ſupplex ſubirati alumni oraret indolem propitiam. Sed is recentis adhuc memor iniuriæ floccifecit preces. Milite vrgente, & anhelante ad prædam vrbis, Sacerdotes, Augures, Aruſpices, & Pontifices hoſtilia caſtra petunt, placaturi ducem ſuis omnes infulis adornati. Aſt ille ferox pompa religionis hac neglecta, Sacrificulos illos habuit inglorios, vtpote ſibi conſtans in fero trucique propoſito, ſuam infamiam vrbe adæquata ſolo, & extinctis eius laribus vlciſcendi. Rebus ſic turbatis, Romanis occurrit optimum conſilium. Coriolani matrem Romæ ſuperſtitem orauere, vt nutanti patriæ ſuccurreret, ac proinde filium adiret, eum placatura iure, quod natura parẽtibus in filios ſanxit. Non cunctata mater adijt filium ſpirantem incendia, & cædes; & quem Roma armata mouere non potuit, vna mulier annoſa, & inermis, obortis lacrymis, & enixè fuſis precibus in ſua vota velut impotem reſiſtere fortiter inclinauit. Ecce matris in filium potentiam, cui impar fuit homo ferus, & vltionis appetitu ſtimulante, ferè rationis impos, quem & inuium veniæ concedendæ effecerat glorioſa ſors ducis, iam pro vindicta ſtipati agmine numeroſo.

Quod non potuit homo cataphractus medijs in caſtris, hoc præſtitit homo nouitius inter Capucinos. Primò tulit fortiter impetus patris ſæuientis acriter, & nihil niſi incendia, ſtrages, & maledicta tenellis adhuc filij ſui auribus intonantis. Prælio inſtaurato venit mater, ſibi adiecta ſorore tyrunculi, qui ferè madens ſudore collecto ex priſtino congreſſu cum patre, rurſus in arenam deſcendere compellitur. Non detrectat ille pancratiaſtes vllum præliandi genus: qui namque fuit

debac-

debacchante patre minis interritus, nihil omnino dedit illecebris matris, & ſororis, quæ neque tantiſper potuere palæſtritæ conſtantiam ſuis largis fletibus emollire. In hac reportata victoria libet vſurpare Poëticũ illud:

Non hæc humanis opibus, non arte magiſtra:
Maior agit Deus.

Quippe fuit hoc facinus gratiæ Dei, in Hieronymum Narnienſem largiter influentis.

Hieronymum nouitium denuo pater ſolicitat ad egreſſum, duorum Præſulum ope ad hoc mendicata. Caput XIV.

VETERES Romani in obſidione ciuitatum, vallo circumducto, & ariete fortiter mœnibus impulſo, omnem mouebant lapidem, ne re infecta turpiter excederent. Eo intento machinas inuenere notas Vegetio; terram furtiuis aperuere cuniculis, ſcalas multiformes amouere muris, aptarunt & baliſtas ad lapidum iactum; demum ad indubium vrbis incendium ignes miſſiles accenderunt. Sed vbi videre ſuos eſſe caſſos impetus hoſtium ſolertia, conduxere ſacerdotes, qui ſuis præſtigijs, hoc vnum ſatagebant, ſcilicet, vt Deum tutelarem arcis facerent ſibi propitium, & deſertorem vrbis, in cuius perniciem Romanorum agmina conſpirabant. Suas igitur acturi partes ſacrificuli, precibus & promiſſis euocabant hos patronos, quorum tutela freti hoſtes, eluſerant inſultus æmulorum, vtique potentium, qui concordi voto in obſeſſorum capita coniurarant. Liuius, & Plinius aiunt ſummam precum fuiſſe promiſſa ſolẽnia de ditiori templo

Vegetius l. de re militari.

Liu. 1. Dec. l. 5. Plin. l. 28. cap. 2.

plo extruendo tutelari Deo, vt quem ſacrificijs induce-re nequibant ad egreſſum vrbis obſidione cinctæ, ſaltem alijs pollicitis ædibus expugnarent. Hanc & induſtriam adhibuit pater Hieronymi Narnienſis, in oppugnatione filij ſui Capucini. Ille nimirum aduertens inutiles fuiſſe machinas omnes admotas ad labefactandum propoſitum nouitij, æmulatus priſcum Romanorum ingenium, conduxit Præſules, vt affectum religionis, in cuius tutela puer erat, ab eius animo citò citius amandarent.

Eo igitur intento Romam petit pater; vtque vir erat magni nominis, benè excipitur ab Eminentiſſimo Cardinali Sanctæ Seuerinæ Protectore Capucinorũ: ſuam & in eum munificentiam teſtatus eſt luculenter Eminentiſſimus Cardinalis Ceſis, ad quem etiam communione ſanguinis attinebat. Illis Præſulibus explicat mœrorem ſuum pater impar anguſtię, quam filius nuper ingeſſerat. Ait Capucinos circumueniſſe dolis puerum neſcium quid faceret; ac proinde decernendum eſſe iudicem, qui vocato nouitio ad examen, dicat ſententiam in gratiam patris, de fraudulenta Capucinorum indole conquerentis. Præfati Antiſtites ingemuere patri querulo, & à ſacra Cõgregatione regularium obtinuere reſcriptum ad Epiſcopum Ameriæ inſtitutum inquiſitorem rei, vt comperta veritate facti, Romæ ſententia congrua diceretur. Hoc diplomate armatus Hieronymi pater, morarum impatiẽs adit Narniam, vt vnà cum matre Hieronymi petat Ameriam. quò cùm peruenere, confeſtim adierunt palatium Epiſcopi: qui vt audijt ex reſcripto ſacræ Congregationis ſibi indictum eſſe penſum examinandæ vocationis Hieronymi Narnienſis, vrgente patre, qui à Cardinalibus habebat literas commendatitias, mittit ad cœnobium Capucinorum, & accerſit nouitium. quo adducto, Epiſcopus miſſos facit

alios

alios fratres, ne eorum præſentia videretur illi neophyto tollere libertatem. Vt Capucini impensè colunt Epiſcopos, æmulati Patris Seraphici Franciſci ingenium, maximè propenſum erga Præſules Eccleſiæ; ſtatim geſſere morem Epiſcopo, repetentes cœnobium derelicto nouitio in agone cum vtroque parente, filium acriter vrgente, vt inito nouo conſilio votis eorum annueret, & religioni valedicens ad propria remearet.

Vbi Hieronymus aduertit ſe eſſe ſolum, pudore ſuffuſus erubuit, non animo tamen excidit: ſed Dei ſuffragio enixè petito collegit ſe totum, vt occurreret dictis, quibus eum acriter vterque parens anhelans ad egreſſum eius de cœnobio, adſtante Præſule laceſſebat. Vt reſcita eſt pueri conſtantia tentata toties, concurrit penè ciuitas tota viſura prodigium, ſcilicet iuuenem renuentem opes, & ſæculi delicias, & nihil ducentem ſuaſiones blandas patris, & matris, vt ſuæ ſaluti conſuleret, degendo inter Capucinos, vbi procul à delicijs viuitur ſemper, & ſpeciali voto vitæ pauperrimæ, omnia peracutis pœnitentiæ ſentibus inhorreſcunt. Omnem propè fidem ſuperat prudens eloquium nouitij, cautè eludentis omnia ſibi obiecta à parentibus, & amicis inſtantibus, vt Narniam repeteret, conſulturus ita vitæ patris ſui, de quo indubiè actum erat, niſi partes agens obſequentiſſimi filij, quantocyus à ſuo pertinaci religionis propoſito reſiliret. Erat ille zelo Dei armatus, & benè ſuada oratione diues, etiam ante pubertatis annos, vt ſupra memini, narrans eum, ea ætate ſolitum prædicare ſuis ſodalibus. Vt ſpiritus Dei concolor eſt, arbitror ego nouitium iſtum, eadem miſcuiſſe colloquia cum patre, & matre, quæ quondam habuit alter tyro, quem tentauere parentes, ex cœnobio ſuo Bernardi tempore reuocare.

Bernardus pugilem in arena poſitum, cum vtroque

ſuo

ſuo parente inducit iſto colloquio repugnantem. *Quare vos non potius ſequimini me fugientem, vt non ardeatis? An hoc eſt veſtri cruciatus leuamen, ſi me etiam perimatis, & hoc ſolum timetis, ne ſoli pereatis?*

Bernard. epiſt. 111.

Audeo oppignerare fidem meam, Hieronymum Narnienſem talia fere ſuis obieciſſe parentibus, cùm vrgebant eum, ad regreſſum eò vnde Capucinorum ædes petierat, vt dato libello repudij omnibus, quæ mundi ſunt, vitam inſtitueret ad normam diſciplinæ auſteræ, & hactenus inexpertæ. Iniquo animo tulit Epiſcopus importuna colloquia patris, & matris; erat enim Præſul amantiſſimus æqui, nomine Ioannes Baptiſta Lazarus, vir famoſus, expreſſa ſpecie ſanctitatis. Vt maturè procederet in negotio ſibi demandato, ſeorſum vocat Hieronymum, & ſecluſis arbitris, ſciſcitatur an inducente Capucino quouis, in animum ſuum induxerit profiteri religioſam relicto ſæculo diſciplinam. Quærit, quo tempore cœperit huius mundi faſtidium concipere, & quidnam in Capucinis aduerterit, vnde nomen ſuum illis dare propoſuit. Petit, an quidpiam illi ſiniſtrum acciderit in ſæculo, quo vrgente fugam ſit ab eodem ſibi ingrato ſæculo meditatus. Et vt serioſa foret reſponſio nouitij, monet illum, vt implorato Dei ſuffragio, cogitet & alta mente recolat, quid ad interrogata queat obijcere. Toto quatriduo nouitius ſolus in palatio vexatus eſt his quæſtionibus ab Epiſcopo, ſubinde monente iuuenem hunc pugilem, ne temerè ſtatum religionis eligeret, niſi certior eſſet de Chriſto Domino ſuaſore. Eſſe quippe noua omnia ſuſpecta, niſi tentata bonis auibus, & fauſtis auſpicijs; ac proinde caueret, ne incautè nimis eſſet ingreſſus cœnobium, vnde regreſſus erat facilis ante vota emiſſa, quibus vt æternis vinculis anima præpeditur. Idem religioſus Antiſtes probè ſciens eſſe probandos ſpiritus, an ex Deo ſint,

ſint, vt demandato ſibi fungeretur officio, & tutò referre poſſet ſacrę Congregationi, qualis erat indoles huius nouitij, omnes obijt partes præfato congruas argumento. Et quia ſumma querelarum patris erat, Hieronymum annorum quindecim ſubintraſſe cœnobium Capucinorum, quorum vita auſtera robuſtos tantùm athletas petit; Epiſcopus in hoc etiam, & veritati, & patri indulgens, multus fuit. Nempe tyronem ſæpe laceſſens ratione ætatis, aiebat eſſe periculum, ne pietas illa præcox, parum diuturna foret, quia gratia ſæpe ritum naturæ ſequens, nihil longæuum impertit fœtibus immaturis. Proinde inſtabat, vt Hieronymus attendetet, ad vires ſuas, eſſent impares nec ne armaturæ, quam induunt Capucini: omnia iam licere, quia vouere libertatis eſt, prudenter inſpiceret, cuinam ſe regulæ vellet obſtringere: eos enim eſſe Capucinos, vt in eorum clauſtris omnes ingratos pœnitentiæ ſtimulos expaueſcant. Satius eſſe, ſtadium difficile non ingredi, quàm turpiter in medio curſu deficere: omnia adhuc eſſe infecta, & poſſe ætatem hanc tenellam prope rationis impotem, reditum à patre petitum in ædes proprias excuſare.

Ne quidpiam Præſul inciuile committeret, ſubinde parentibus copiam faciebat ingredi palatium, & tentare filij conſtantiam, vt ea ſic probata, liquidior eſſet relatio mittenda Romam. Quibus artibus, atque lenocinijs vſi ſint parentes induſtrij, ad flectendum animum pueri, res eſt omne ſuperans eloquium. ſed vt natura intra gratiam eſt, Hieronymus has omnes illecebras gratia Dei comite ſuperauit. Diuini etiam auxilij influxus enituit in reſponſis eius, ad omnia quæſita Epiſcopi, ſtupentis tanta ſapientiæ ſpecimina edita à nouitio, impote talium reſponſorum, niſi eſſet indubiè deſuper eruditus. Nullam ille præterijt quæſtionem Epiſcopi,

ſine ſolutione congrua. Et quia caput indaginis huius erat ſubornatio facta à Capucinis, Hieronymus inde auſpicatus, ait tantùm abeſſe Capucinos ſuggeſſiſſe ipſi tale propoſitum, vt illi potius ſtuduerint eum abſtrahere à tali conſilio, quod ab eo conceptum eſt ab anno ætatis duodecimo, quo primum frequentare cœpit Capucinos, Deo fortiter inſtigante. Se eo intento duodennem adijſſe Porchariam, & conueniſſe Capucinos degentes illic, vt conceptis de eorum religione votis annuerent: eos flocci feciſſe preces ſuas, & remiſiſſe domum, hoc penſo indicto, vt ſe ſuaque omnia conſilia Chriſto Domino commendaret. Dixit ſe ægrè tuliſſe repulſam, quia vrgente Deo ſentiebat ſe vocari ad ardua; & hinc emerſiſſe votum efficax, quod deinde fouit, ætate congrua Capucinorum inſtitutum rigidum amplectendi. Cùm enim, inquit, animo concepiſſem propoſitum, me totum deuouere Deo, procul à ſæculo, vnam credidi Capucinorum diſciplinam, poſſe meo quadrare voto; quia ille Seraphicus ordo ita Deo deuinctus eſt, vt ea quæ ſæculi ſunt penitus ablegarit. Subiecit puer, ſe nihil omnino ſiniſtri expertum eſſe in ſæculo, ſed omnia habuiſſe fauſta, prout ferre poteſt ætas illa, quam apud ſuos antea tranſegerat; & feciſſe ſuis obſequijs, vt parentes ipſum tenerè hactenus adamarint. Ideoque nullum eſſe temeritatis periculum in negotio, cui de Deo conſultore omnia conſtabant. Adiecit, vocari incongruè nouum conſilium, propoſitum illud ſuum moriēdi inter Capucinos, cùm à teneris annis illud idem ſanxerit, & decretum illud habuerit ratum, & fixum tempore pubertatis.

Dixit inſuper, ſe conſuluiſſe viros emeritæ virtutis, ne credulus aliquid imprudenter ageret; & eos tentato ſpiritu ſuo, & vocato ad cenſuram exquiſiti examinis, nihil omnino infauſti ominatos eſſe, ſed in gratiam vo-

catio-

cationis ſuæ, ad mentem omnia concluſiſſe. Quo ad ætatem ſuam, non eſſe rem incongruam diſciplinæ religioſæ, cùm ea ſufficeret ex Concilio Tridentino, ſe corpore præditum rite compoſito, & Deum ex prædiuite ſuo penu ſuppeditare vires idoneas ad munia, quibus homines ſibi obſtrictos ante ſæcula deſtinarat. Eam ob rem viribus expertis, ſe nihil horrere eorum, quæ Capucini obſeruandum ex regula ſuis ſequacibus exhibent: ac proinde metum eſſe deponendum, qui augebat parentes anxios, perſeuerare poſſet, nec ne, inter Capucinos, ab omnibus ſæculi huiuſce ritibus abhorrentes.

Reſponſo hoc ſapiente Præſul obſtupuit, & ex loquela nouitij, Deum inhabitantem certò deprehendit. Ideoque ſuo functus officio ille probus Epiſcopus ait parentibus Hieronymi, ſe moniturum ſacram Congregationem de omnibus, in eorum cauſa hactenus agitatis. Itaque re infecta domum rediere parentes, & Hieronymus ſuo reſtitutus eſt cœnobio, exceptus communi omnium applauſu, eò quòd ſolus in alea difficili, tot & tantis parentum inſultibus adeo validè reſtitiſſet. Non poterant cohibere fratres vim lacrymarum affatim fluentium præ gaudio, de erepto nouitio laqueis aſtuti hoſtis; qui vt ſuſpicabatur hunc hominem editum ad ſalutem plurium animarum, ita tetendit ei inſidias, à quibus erat impos ſeſe expedire puer, niſi certa Dei ope cœlitus influente. Aiebat ille, ſe in anguſto poſitum oraſſe Deum ſeruenter, ne in hoc diſcrimine deficeret. Credo eum vſurpaſſe identidem verſum hunc Pſalmi, *Apprehende arma & ſcutum, & exurge in adiutorium mihi*. Feruidæ preces huius Olympionicæ inclinauere Deum, vt in gratiam periclitantis huius animæ decertaret. Vnde libet vſurpare locum illum Auguſtini: *Magnum*, inquit, *eſt ſpectaculum, videre*

Pſ. 34.

Auguſt. in pſ. 34.

Deum armatum pro te. Et quod eius ſcutum, quæ arma? ait alio loco homo iſte: Domine vt ſcuto bonæ voluntatis tuæ coronaſti nos. Hactenus Auguſtinus; cuius auctoritate freti poſſumus aſſerere, fuiſſe Dei hanc Hieronymi victoriam de parentibus, & præfato Præſule reportatam.

Hoc trophæo erecto, dæmon non excidit animis, ſed acrior ad pugnam ſe accingens, aliam technam commentus eſt. Audijt pater Hieronymi Cardinalem à Sancto Sixto nepotem Gregorij Decimitertij, tunc regnantis, pergere Ameriam cauſa ſalutis inſtaurandæ, qua dubia Romæ vtebatur, ob cœlum ei hactenus inſuaue. Anxius ille parens, de regreſſu ſui filij maximè ſolicitus, ratus offerri ſibi opportunam anſam recuperandi filium, denuo Romam petit, & querulus implorat opem ſacræ Congregationis, cauſatus Epiſcopum Ameriæ, benè affectum erga Capucinos, perperam examinaſſe fratrem Hieronymum, ideoque litem ceſſiſſe prout ſuo Capucini animo deſtinarant. Eam ob rem eſſe totum illud negotium committendum fidei Cardinalis à Sancto Sixto, qui tunc temporis erat Ameriæ. Huic etiam intento fauit Cardinalis Cæſis amicus, & affinis afflicti patris. Itaque recruduit bellum, & demandata fuit cura noui examinis illi Cardinali, literis Romæ ad hoc, de induſtria concinnatis. Diplomate obtento, pater Hieronymi benè ſibi ominatus adit Ameriam, ſiſtitur Cardinali, & reponit literas commendatitias, ad eum directas multorum hominum illuſtriū, à quibus rogabatur in gratiam dolentis huius patris. Demandatam ſibi prouinciam Cardinalis lubens obit, opemque ſuam beneuolam, & ſecundam illi viro nobili pollicetur. Vtque animi ſui benè affecti indubia argumenta daret, nulla prope mora interpoſita vocat nouitium, iubetque ſæculi veſtes cum puero referri in pala-

palatium. Credidere Capucini actum eſſe de nouitio, quia Cardinalis nepos Summi Pontificis in animum ſuum induxerat, patrem hunc mœrentem, de Republica benè meritum, ſibi reſtituto charo pignore deuincire. Prudenter explorat primo, an diuina eſſet vocatio. Namque adducto nouitio, Cardinalis eum ſolicitat omnibus vſquequaque modis, vt mutet ſuam de religione ſententiam, & obtemperet patri. Ait nouitius alium ſe habere patrem, ſcilicet Deum, cuius potiora ſunt obſequia, quàm humana; & eſſe piaculum ſupremo huic parenti à ſæculo reuocanti, iura debita detrectare. Vt eſt aulicorum indoles ad aſſentationem tota efficta, nobiles omnes, qui ſtipabant hunc Præſulem, velut agmine facto irruunt in athletam ſolum, vt eius propoſitum frangant. Sed ille valentior factus, nihili omnino fecit hos impetus, vtpote deuicto vtroque parente, iam reſtaurato prælio laureatus. Cardinali tantæ diſplicuere moræ: vt enim propoſuerat in hoc negotio Cardinalem Cæſis obſtringere, à quo enixè rogabatur; ita, & ſubitò finem imponere ſtudebat illi diſcrimini, cui diſſoluendo parens vterque ſuis precibus, & Epiſcopus Ameriæ perperam antea deſudarant. Ideo æmulatus induſtriam Alexandri, qui diſtricto gladio nodi Gordij tricas explicauit, ille vi aperta aggreſſus eſt nouitium, quem dolis, & artibus haudquaquam potuit inflectere. Illa nimirum eſt indoles potentium, vt quod oratione benè ſuada referre non poſſunt, illud collectis eo fine viribus aſſequantur. Cardinalis igitur pertæſus diem vnam re infecta elapſam, poſtridie iubet denuo ſibi ſiſti nouitium, & coram explicari veſtes eius ſæculares. Introducitur Hieronymus in intimum cubiculum, vbi Cardinalis excandeſcens eum ſic increpitat: Vnde puer obſtinate, tibi tanta durities animi? quis te dementatum pertinacem etiam fecit, ementita

ſpecie pietatis? Quandoquidem es rationis impatiens, aliter tecum eſt agendum; vt qui paterno amori præcordia inuia concludis, ab omnibus quoque modis ciuilibus, atque beneuolis penitus excludaris. Eam ob rem ea qua polleo poteſtate volo, vt protinus exuas hunc habitum, & primo recepto ſequax patris, in ædes eius te te recipias. Ecce tuas veſtes olim depoſitas: vade in proximum cubiculum, vbi pannoſo, & vili amictu depoſito, cultioribus, & vt decet ſortis tuæ nobilem dignitatem, congruis veſtibus indueris.

Profectò nullus vnquam tonitrui fragor adeo perculit Hieronymum, ſicuti vox illa ſonans quid violentũ, & ita præceps, vt omne conſultandi tempus adimeret. Vrgebat enim ſubiratus Antiſtes, remoraſque omnes abegerat, ideoque nouitio non ſuppetebant rationes ad præfata; quia ex Plinio, ira & præcipitatio, ſunt peſſimi conſultores. In his anguſtijs Deus minimè procul à ſuis Olympionicis ſuggeſſit opportunum conſilium. Vidit puer in cubiculo Cardinalis egregiam in tabella figuram Deiparæ in gremio fouentis puerulum Ieſum. Eo aſpectu recreatus ille miles Chriſti, factus vegetior, ad tabellam accurrens, in genua procubuit, & edita voce ait: Tibi Chriſte Deus æterno me voto obſtringo, toto vitæ meæ tractu obſeruaturum regulam Seraphici Patris Franciſci. Cardinalis ad hæc verba attonitus exclamat: Ego irritum facio votum iſtud, vtpote animo præcipiti effuſum, ac proinde indignum, quod annuente numine ſanciatur. Nec quicquam ſegnior inde pugil emeritus ait: Eſto tibi ingratum ſit votum à me emiſſum, attamen erit Chriſto gratum, cuius flamine percitus me irreuocabili iureiurando obſtrinxi, ad probatam, & acceptam Eccleſiæ Capucinorum regulam iugiter obſeruandam. Qui Deo ſe deuinxit æquo animo, non indiget vlla ſolutione libentis vinculi, cuius

nexus

nexus in gratiam tranſit. Cumque multa tyro verba ſacra referret appoſitè ad hoc argumentum, Cardinalis inſcius eum ingenio ſingulari præditum, ſuſpicatus eſt eruditum ab aliquo, vt in procinctu poſitus, hæc & id genus alia recitaret. Eam ob rem aſperè obiurgatum interrogat, quis ei ſuggeſſiſſet ea, quæ mox ore feruido digeſſerat. Is audacter ait, non eſſe ſibi ingeſta ſuſurro humano verba illa, ſed ſe locutum eo inſpirante, qui dixit: *Ad Præſides, & ad Reges ducemini propter me in teſtimonium illis, & gentibus. Cùm autem tradent vos,* *Math. 10.* *nolite cogitare, quomodo, aut quid loquamini: dabitur enim vobis in illa hora, quid loquamini: non enim vos eſtis, qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri, qui loquitur in vobis.*

Cardinalis quaſi pudore ſuffuſus, iuuenem athletam, ſua omnia ſpicula valenter eludere, præceptum ingeminat de deponendo Capucinorum habitu. Ad hanc iuſſionem nouitius Deum interpellat, & ad Cardinalem verſus ait: Ego te cito ad tribunal Dei, vt tecum illic tutò queam de mihi intentata iniuria diſceptare. Princeps illa voce perterritus, in alium ſubinde virum mutatus eſt; iudicia quippe Dei veritus, ſuauiter & blandè cœpit alloqui Hieronymum, & eum de ſuo affectu, & ope præſtanda in his, quæ ſpectabant ad ſalutem eius, facere certiorem. Hìc omni ſpe excidit pater: nam Cardinalis tentato pugilis animo, vale dixit patri, ſententiamque tulit in gratiam filij recenti voto Deo obſtricti, & qui ſe in eo conflictu ancipitis exitus, ſeſe præſtiterat indole cataphracta. Ducitur itaque miles Chriſti in ſuum cœnobium, ſtipatus corona virorum illuſtrium, quibus ad encomia nouitij tam perfecti, verba congrua minimè ſuppetebant. Quàm gratè, & lætè fratres exceperint hunc athletam reducem, cuius animæ timuerant, facile eſt conijcere ex zelo, quo reli-

gioſi quique ſolent ſalutem cuiuſque nouitij deperire.

Hi crebri dæmonum niſus, ad abſtrahendum Hieronymum palàm faciunt, quàm ægrè ferat hoſtis, vitæ arduæ propoſitum. Puerum in ſæculo non tam dirè afflixit, quia virtutis eius ſpecimina nondum conſummata ſuum colophonem acceperant; eam ob rem tyrunculo leuiter offenſum, eum velitari tantùm prælio laceſſiuit. Sed vbi aduertit puerum ex tyrone palæſtritam, & ingreſſum aleam virtutis excelſæ; tunc ille ſuas collegit vires omnes, vt hunc pugilem auerteret ab agone: vtque ſuis rebus conſuleret ille vafer hoſtis, conſcripſit turbas auxiliares omnigenæ ſortis, vt inſtaurato ſæpe certamine, fortiſſimum Olympionicam crebro repentis ictibus expugnaret. Hac rabie in Sanctos olim exarſit ſpiritus ille nequam. Et hoc eius callidum ingenium Beatus Hieronymus explicat virgini Demetriadi. *Ab eo*, inquit, *tempore, quo primùm per virginitatis profeſſionem Domino es conſecrata, aduerſarij in te creuit odium; & qui aliena lucra pro ſuis damnis habet, ſe amiſiſſe ducit, quidquid te poſſeſſuram dolet.*

Hieronym. epiſt. 1. ad Demetriadi, Tomo 9.

Vt Romani, ex præfatis conducebant ſacerdotes, qui ſuis præſtigijs euocarent Deos vrbium, in quas tentabant irrumpere, promiſſis ædibus alijs numini tutelari: Ita Præſules, & Cardinales promiſere Hieronymo ditiores ædes eis, quas Capucini pauperes incolunt. Cardinalis à Sancto Sixto nepos Papæ, nouitium vrgens ad egreſſum, pollicitus eſt ſe eum in palatio ſuo inſtar filij hactenus habiturum. Præſtigiarum ille fuit ſcopus, vt religionis propoſitum extinguerent, quod erat quaſi tutelare numen nouitij huius, vallati, tot hoſtibus vocationis eius, ad quam eludendam ſuam omnem adhibebant induſtriam, varias eo fine machinas intorquentes. Sed ne vocatio ad religionem excideret animo Hieronymi, quem corrumpere nitebantur homines,

mines, eo intento conducti, ille ſagacis ingenij pugil eximius æmulatus eſt Tyriorum facinus, in eo genere proficuum. Hi arcta obſidione preſſi, & veriti, ne Apollo Deus vrbis inde ſecederet, conſulturi ſibi, numen in cuius tutela Tyrus erat, aureis nexibus alligarunt. Authores rei geſtæ ſunt Diodorus, Plutarchus, & Curtius; quorum iſte refert Alexandrum expugnata Tyro ſoluiſſe compedes Apollinis, & ideo hinc Apollinem fuiſſe nominatum Philalexandrum. Ex Pauſania, Spartani idem iniere conſilium, compedes inijciendo Marti Enyalio, ne ab eis aufugeret: ſicut & Athenienſes reſciderunt alas ſimulacri Victoriæ, ne ea ab eis inſcijs auolaret.

Diodor. Sicul. bibliothec. hiſtor. Plut. lib. probl cap. 61. Curt. l. 4.

Pauſan. lib. 3.

Hoc aſtu tyro Hieronymus ſuæ ad Capucinos vocationi cauit, ne nutaret, impetita tot & tantis inſultibus, vtriuſque parentis, Magnatum, imò & Cardinalium; quos omnes aduerſos habuit. Ille nimirum, vim faciente ſibi Cardinale à Sancto Sixto, votum emittens de regula Capucinorum obſeruanda, vocationem ſuam fecit aureis vinculis inconcuſſam. Item & propoſito moriendi inter Capucinos, propoſito inquam illi victori illecebrarum mundi, alas ademit, quando vouit, ſe totam vitæ ſuæ ſeriem in obſeruantia Sancti Franciſci regulæ tranſacturum. Præſentiſſimum Dei auxilium ſenſit, dum confugit ad tabellam Chriſti, & Mariæ, vnde influxit illa ſalutaris cogitatio, conſtringendi propoſitum ſuum, voto minimè pœnitendo. Facturus ita fidem Bernardo ſic monenti. *Quia vndique circumdatus es tentationibus, ſcuto circumdabit te veritas eius. Et quemadmodum vndique bella, ita vndique ſint & præſidia: in quo omnino illud manifeſtum, ſpirituale ſcutum eſſe oportere, quod circumdare poteſt: veritas autem circumdat, quia verax eſt, qui promittit, & ſic exhibet, vt promittit.*

Bernard. ſerm. 5. in Pſ. 99.

Magus

Magus quidam ſuis incantationibus Hieronymum nouitium infeſtat, ne perſeueret. Caput XV.

DEPERIENS Dido ſuum Aeneam incurium æſtus, quo illa amaſia flagrabat aſſiduè, ſacra fecit, vt dilectum inflecteret; ſed incongruis hiſce ſacris, non eſt extinctus amor, qui fœminæ luxuriatæ iam animo, præcordia intima depaſcebat. Pietatis ementitæ ſimulacra ridet Maro, ſic perſtringens hanc Reginam.

Virgil. lib. 4 Aeneid.

Heu vatum ignaræ mentes, quid vota furentem,
Quid delubra iuuant?

Appoſitè profectò furentem vocat: amor enim imprudenter exceptus amantes agit in rabiem, vt hæc Dido palàm fecit: namque nihil proficiens conductis ſacrificulis, ad artes magicas ſe conuertit, vt Aeneas redamare nolens numinis inſtinctu, arderet induſtria dæmonis inſtigantis. Ecce furibundæ voces:

Ibidem.

Flectere ſi nequeo ſuperos, Acheronta mouebo.

Similes propè effectus peperit amor indiſcretus parentum Hieronymi. Is ſiquidem eos importunos egit ad tribunalia Præſulum, vt illi ſuis ſacris infulis, nouitium à propoſito deducerent, quem ſanguinis immemorem, nullus omnino parentum intuitus à limine cœnobij Capucinorum tantiſper potuit amouere. Epiſcopus Ameriæ, & duo Cardinales, ingemuere quidem querulis, & anhelis vtriuſque parentis anxij votis: ſed vt videre ſuos impetus eſſe irritos aduerſus infractũ Hieronymi Narnienſis animum, vtpote ſibi conſtãtem in religionis propoſito, dedere Deo vocanti manus, cœleſte, & diuinum

noui-

nouitij conſilium tentatum multiplici agone, ſuis etiam nutibus approbantes. Sed hæc tempeſtas excitata in prefatum nouitium flectere cùm ſuperos nequijt, Acheronta mouere aggreſſa eſt. Quippe magus homo, diris deuotus, in finibus Ameriæ degens, arbitratus ſe facturum rem pergratam amicis, atque parentibus Hieronymi, ſi eum reuocaret ab intento ſuo, præſtigijs eo fine diſpoſitis, illud ſacrilegum facinus attentauit. Præuia inuocatione cogit ſibi ſiſti cacodæmonem; cui adſtanti, ſeriò hoc vnum indicit penſum, ſcilicet, vt tota ſua collecta induſtria, tot & tantas Hieronymo Narniẽſi ſtruat inſidias, vt concepto ſuæ religionis faſtidio, nouitius ille in animum ſuum inducat dare libellum repudij prædilectæ vocationi ſuæ, ad propria repedando. Vltrò ſibi demandatam prouinciam amplectitur hoſtis hominum acer, & aſtutus. Callidus hic ſerpens, vt puerum Deo addictum circumuenire queat, impetit primò ſibilis & ſuſurris animum eius, ſuggerendo plura religioni iniuria, & ingerendo tædium inſtituti Capucinorum, cuius obſequio nouitium infracti ſui in religionem animi pœniteret.

Hos Deo inſpirante gyros, & voluulos anguis tartarei agnouit pugil, aſſuetus eius technas diſſoluere: & licet indigna diabolus ingereret, cuncta tamen Hieronymus apprimè edoctus detulit ad præfectum nouitiorũ. Illa nimirum eſt cuiuſque tentationis indoles, vt gliſcat in occulto, & ſecus in aperto penitus euaneſcat. Toto vitæ ſuæ tractu pugil exercitatiſſimus nuſquam adeo diuexatus eſt, vrgente mago dæmonem ad inſultus nouos; ſed in caſſum, quia nouitius induſtrius conſcio magiſtro ſuo, & communicato cum eo conſilio, dæmonis omnia conamina fuſis Deo precibus eludebat. In hoc acerbo agone Hieronymi prouecti in virtutũ omnium praxi, aduerto verſutiam diaboli, qui vritur inuidia, ſi

ob-

obſeruat aliquem hominem expeditum à laqueis huius mundi, ad ſublime aliquod terſioris vitæ genus pro viribus anhelare. Liuidum hunc ſerpentis animum Gregorius ſic perſtringit. *Omnes, qui ea, quæ mundi ſunt mente calcant, & ea, quæ Dei ſunt plena intentione deſiderant, Leuiathan contra ſe ſuſcitant, quia eius malitiam inſtigatione ſuæ conuerſationis inflammant: nam qui eius voluntati ſubiecti ſunt, quaſi quieto ab illo iure poſſidentur.* Ita Gregorius traducens in medium, illum annoſum ſerpentem, qui ſpiris ſuis inuoluit homines imprudentes. Vnde, quia prudenter iuit obuiam hoſti Hieronymus noſter, caſſi fuere niſus omnes inimici, clam duntaxat faceſſentis negotium, & quaſi per cuniculos, vt eſt lucifuga, in incautas animas irrumpentis.

Gregor. l. 4. Mor. c. 21.

Incredibile propè eſt, quod referunt monumenta agonum huius nouitij, qui tot & tantis à dæmone vexatus eſt illuſionibus, vt niſi magiſter, ſeu præfectus nouitiorũ probè nouiſſet hominem, periculum foret hunc iuuenem vocare in diſcrimen cerebri vitiati. Sed quia Deus non patitur, nos tentari ad arbitrium ſæuientis in nos diaboli; ita modum certaminis hoſti præſtituit, vt miles Chriſti ſuperior euaderet, declinatis ictibus, anima illæſa, & glorioſè, omnino dæmone profligato. Fruſtra namque Magus inſtabat, & vrgebat ſpiritum nequam in perniciem Hieronymi: non enim quantùm nititur, ſed quantùm ſinitur, nocet hominibus, quos ita Deus congruum iudicat exerceri.

Spiritus ille nequam, Deo diſpenſante laceſſiuit & animam, & corpus Hieronymi Narnienſis: animam quidem eo modo, quo præfatus ſum, ſcilicet illam lancinans ſibilis, & ſuſurris, quibus ferè ſui impos erat nouitius ſpiritu in varia diſcerpto, quia nuſquam talia ſenſerat indecora. Corpus item impetiuit hoſtis, vt etiam adſcriptum militiæ Chriſti: ſic autem in corpus nouitij

dæ-

dæmon ſua ſpicula intorſit. Occinente Dei laudes Hieronymo in media corona fratrum, ſpiritus hic refugaccedens ita fatigabat iuuenem hunc athletam, vt quaſi diſſoluta compage membrorum in medio Choro deficeret, ſuo omni robore deſtitutus. Magni profectò fuit ponderis ille aſtus; ſciebat enim callidus inimicus, Capucinos in ſuis neophytis deſiderare vires idoneas ad ſectandum inſtitutum, cui aptantur. Vt ergo Capucini crederent hunc ineptum, ac proinde patri redderent, procurato virium deliquio in cõſeſſu fratrum omnium, & præſertim nocturnis horis, eum ſæpe ſæpius eneruauit. Inde Capucini malè ominantes ſuſpicati ſunt nouitium hunc tenellum, eſſe voto ſuo imparem; & aliunde fama ſtrepitus, & tragoediarum, quas Pater nouitij excitabat Narniæ contra Capucinos, ob filium ſuum in amictu eorum, neſcius quid agerent, in partes varias intorquebat. Non deerant fratres, qui præcipiti zelo vrgebant, eſſe procul amandandum nouitium, vt inutilem religioni, cuius aſpera diſciplina, & vires pueri erãt omnino diſcolores, ac proinde ſcelus eſſe Hieronymum Narnienſem inter profeſſos, quandoquidem eſſet infirmo corpore, recenſere. Increbreſcente fratrum cœnobij querulo murmure, rumor iniquus tandem latere non potuit Hieronymum, qui vt roboris innati ſibi cõſcius, ægrè tulit in dubium reuocari ſuam indolem, maximè idoneam religioni, ad quam Deo percellente vocatus, votis etiam omnibus anhelabat. Et eſto fratres inſtarent, vt ille paternas ædes repeteret, is protelando, moras nectens Deum enixè orabat, vt propitius tot, & diras anguſtias diſcuteret, in perniciem vocationis ſuæ, & ſalutis, ab hoſte callido procuratas.

Non fuere preces caſſæ pugilis in conflictu poſiti: nempe Deus à partibus eius ſtans, animos fratrum cœnobij aduerſos Hieronymo ita compoſuit, vt magiſtro noui-

nouitij cauſam eius agenti fidem adhibentes, puerum ſuſpexerint, vt futurum aliquando virum in religione inſignem, eum vtique, quem tota eius vitæ ſeries indicauit. Itaque magi, & dæmonis omnes machinæ infirmæ fuerunt aduerſus hominem imberbem, quem diuina gratia vbertim affluens texerat vſquequaque. Nullus quippe nodus eſt à dæmone implexus, in diſcrimen animæ,quem feruidæ piorum hominum preces non diſſoluant;vt ſuo exemplo quondã Sanctus Hilario palàm explicuit,ſortilegi cuiuſdã hominis diluẽdo nodos,quos rogatus à ſalaci proco in diſcrimen virginis intricarat.

Pernicioſum reuera genus hoc hominum, qui ſortilegis artibus infeſtant Rempublicam. Namque nihil tutum eſt ab eis humanitus, quia dæmone conducto graſſantur impunè, & ad arbitrium ſuum, ni Deus obſtet opportuno auxilio, in aliorum aſſolent capita coniurare. Gentis huius iniquæ, & cacodæmone afflatæ virus extinxiſſet indubiè Hieronymum Narniẽſem,ſi ſua tantùm fretus ope confixiſſet cum homine mago. Siquidem eſto parentes, & alij Magnates tentarent eum à religionis propoſito diuellere;tamen maleficus homo ſuis præſtigijs aliorum conamina omnia ſuperauit. Parum enim abfuit, quin athleta Dei impar anguſtijs dæmonis induſtria factis, oneri ſuccumberet, diabolo ſic ignominiam præteritorum omnium congreſſuum, inito hoc cum mago prælio reparante. Illa magorum iniquitas inuiſa Deo, legem hanc ab eo extorſit: *Maleficos non patieris viuere*. Nempe lethalis eſt alijs huiuſmodi hominum vita, quam etiam Perſæ ſuſtulere de medio ſingulari ritu à Plutarcho fide digno hiſtorico recenſito. Ait ille,magos traductos in medium, coactos fuiſſe caput impingere in amplum lapidem, cui poſtea ſuperimpoſita moles ſaxea,caput inſertum illis lapidibus ſuo immani pondere conquaſſabat. Dignum profectò crimi-

Exod.22.

Plutarc. in Artaxer.

mine ſupplicium: vt ſcilicet capite plecterentur homines nefarij, qui profitebantur artem, cuius eſt ſingulare ſcelus, in hominum omnium, & præſertim inſontium, capita coniurare. Magnum ergo fuit Hieronymo, magi nequitia non infici; præcipuumque Dei auxilium hoc arguit, quo quiſquis eſt ſtipatus, ille nihili omnino facit technas, & impetus inimici. Eo collimare intendit Bernardus commemorans auxilium Dei præſtantis opem ſuam ſeruis ſuis, à dæmone laceſſitis. *Quid*, inquit, *ei nocere poterit eorum, quæ ſub cælo ſunt, quem Deus cæli protegere, & conſeruare voluerit? Porrò ſub cælo ſunt, quæcumque nocere poſſunt; ſub cælo ſunt aëreæ poteſtates, ſub cælo præſens ſæculum.*

In recenſione agonum huius athletæ Dei, toties, & tot inſultibus prouocati ad certamen, demirare diuina iudicia, quibus alio lõgè modo ſalus virorum illuſtrium diſpenſatur, quàm eorum, quos ſors vernacula redegit in ordinem. Hos tenellos, & imbelles, non patitur Deus vrgeri fortiter ab hoſte; alios verò iam probatos, & virtutis exercitæ, mittit in cuneos, & phalanges dæmonum, vt audacter inde metant ſemina triumphorum. Quorum præcipuus eſt ille, qui refertur de ſuperbia virtutum omnium pediſſequa, licet infidelis ſit, vtpote boni cuiuſque ſequax, vt ei lethale virus affricet, in dedecus, atque perniciem eius, qui edito ſpecimine virtutis alicuius eximiæ; ſibi adblanditur, & diſtentus aura ſuperbiæ inſanit, precario acceptis à Deo gratijs inſoleſcens. Ille tumor cautè deprimitur à Domino conſcio indolis noſtræ, ſuſcitando vafros & callidos hoſtes, quibus impares homines, dum ſe agnoſcunt, hactenus erecta trophæa vident, non fuiſſe ſui conaminis opus eximium, vnde ſuperbire queant; ſed facinus auxiliantis Dei, in quem eſt omnis actuum noſtrorum inſignium gloria refundenda.

Suſpe-

Suſpecta fuit ſemper omnibus Gentibus liberis, gloria ſingularis cuiuſque municipis: idcirco ne quis nimium ſibi credens aſſurgeret ad principatum, indictis eo intento comitijs, deportabant in exilium, eum qui rerum egregiè geſtarum merito, cæteris eminebat. Præcipuè Athenis viguit ille ritus, qui dicebatur Oſtraciſmus, quia in oſtraco, ſeu teſtula, ciuis damnati nomen inſcriptum mittebant in vrnam, vnde eductum, & promulgatum, ille miſer velut iniurius patriæ incunctante mora ad decennium, ſolum verrere cogebatur. Meminit hanc legem Ariſtoteles, & aduertit latam eſſe ad deprimendos auſus hominum, quibus adblandiens fortuna fauit.

Ariſt. lib. 5. Politic.

Vt à profanis ad ſacra licet diuertere: Plerumque Deus diabolo exercendos homines iuſtos tradit, ne forſaſſis aliquando de cumulo gratiarum turpiter inſoleſcant. Abſque dubio Hieronymus Narnienſis, à diabolo durè ſæpius eſt exceptus, ne victoria reportata de vtroque parente, & Prælatis, plus nimio erigeret animũ eius, tot ſecundis prælijs aſſuetum. Ita Deus Paulum Apoſtolum obiecit dæmonum inſidijs, poſt tot chariſmata cœlitus recepta, vt ſuæ infirmitatis conſcius ille Sanctus, in oratione iugi Deo rerum Domino ſiſteretur. Audiamus Auguſtinum inducentem Paulum, ſic ſuas anguſtias enarrantem. *Ne magnitudo reuelationum extollat me, datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ, Angelus Sathanæ, qui me colaphizet. Ne extollar, inquit, datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ, Angelus Sathanæ. O venenum, quod non curatur, niſi veneno. Caput cædebatur, ne caput extolleretur.* Ita Auguſtinus, hoc contextu probans, animam virtutibus fœtam, ne in auras abeat inaniter, librato diuinitus tentationum pondere contineri.

Aug. ſerm. 3. de verbis Apoſtoli.

Alio item fine Deus, has animæ moleſtias in Hieronymo Narnienſi nouitio voluit eſſe diuturnas: ne ſcilicet

licet intempeſtiua ſecuritas ignauum pugilem efficeret, quem plura repetita cum dæmone certamina fecerant expeditum. Deum ita procedere cum homine recens initiato ſacris, eruditè docet Gregorius ita fatus: *Ne conuerſus quiſque, iam Sanctum ſe eſſe credat; & quem mæroris pugna ſuperare non valuit, ne ipſa poſtmodum ſecuritas ſternat; diſpenſante Deo permittitur, vt poſt conuerſionem ſuam, tentationum ſtimulis ſatigetur.* Greg. l. 24. Moral. c. 7. Hæc ille, velut indigitans cauſas ærumnarum, quæ Hieronymum Narnienſem, poſt tot trophæa ſancita de dæmone, grauiter afflixerũt.

Quid ſingulare acciderit in profeſsione, id eſt in voto ſolenni religionis, emiſſo à Hieronymo Narnienſi. Caput XVI.

FLAMINE veridico percitus Rex Salomon ait, homines irrito conamine tentare æterna Dei decreta diſſoluere: *Non eſt,* inquit, *ſapientia, non eſt prudentia, non eſt conſilium contra Dominum.* Prou. 21. Quippe Deus ſtatuta ſua plerumque rata facit, eiſdem medijs, quæ homines aſſumpſerant ad conſilia Dei iniquis artibus irrita facienda. Adſtrui poteſt illa propoſitio exemplis petitis ex Scriptura. Filij Patriarchæ Iacob iniquo animo tulere fratrem ſuum Ioſeph ſomniaſſe ſibi parari primas, & poteſtatem in fratres, & in patrem etiam exercendam. Vt omnem itaque fidem præſagio citius adimerent, inſcio patre Madianitis vendidere Ioſeph, qui deportatus in Aegyptum, ibi rerum potitus eſt factus Pro-rex, vno gradu Pharaone minor; & vrgente fame fratres eius compulſi venire in Aegyptum venerati ſunt

Gen.37. inuiti Ioſeph, cui ad inſulas regni, dum vænijt, præſtite-
re ſuum neſcij famulatum. O iudicia Dei inconcuſſa!
ſeruitus ingloria, & principatus, res omnino diſcolores,
1.Reg.17. coiere in Ioſeph, cui ſeruiſſe fuit via compendioſa ad ſolium.

Vt enaſcentis Eccleſiæ cunas euerterēt Iudæi furentes in Chriſtum, conduxere virum nomine Saulum, Chriſtianis quàm maximè infenſum, arbitrati actum eſſe de Chriſtiana fide, ſi Saulus in illam fuſo fidelium ſanguine deſæuiret. Homo ferus concordi voto ſe accingit ad exterminium Eccleſiæ, & diploma accepit concepto ſceleri propitium. Damaſcum petit, vrbem famoſam, vbi fides altas radices agens magno Synagogæ diſpendio, & Iudæorum inuidiam, & ſicarij huius ferociam, atque zelum impiè perurgebat. Dum autem
Actor.9. Saulus amens, & animo truci anhelus in cædes, ſtipatus eiuſdem farinæ viris, citato curſu pergeret in oppidum; Chriſto deſuper increpante cadit eques, & ſubinde pedes inducitur in vrbem captus oculis; vbi fidei ſacris initiatus, & mutato iniquo conſilio, effectus eſt Apoſtolus, & inſignis Chriſtianæ fidei propagator. Hieronymus Narnienſis expertus eſt eaſdem in ſua profeſſione vices. Nam Eminentiſſimus Cardinalis à Sancto Sixto nepos Gregorij XIII. Papæ tunc ſedentis in cathedra Petri, voluit adeſſe ſolenni voto religionis, ad quam profitendam ſeſe nouitius ille feruidus accingebat. O mira viciſſitudo rerum humanarum! Cardinalis ille nuper rogatus ab alio Cardinale Cæſis, & conductus à Petro Mautino patre nouitij, nihil non tentarat, vt excederet ille ſuo cœnobio, minis etiam adiectis, eò deuentum eſt, vt allatis in medium veſtibus ſæculi, iuſſus ſit nouitius, religionis habitum longius amandare. Vtque ſuum zelum in diſtrahendo neophyto Cardinalis oſtenderet, gratiam ſic facturus alteri Cardinali, & viris alijs illuſtribus,

bus, inter domeſticos adoptauit hunc iuuenem, vt ſpe ſubeundi palatij Antiſtitis Papæ conſanguinei, religionis ſuæ nomen protinus abdicaret. Denique Præſul ille propoſito Hieronymi, ex diametro oppoſitus, vbi aduertit infractam animi eius conſtantiam, ſubodoratus ibi ſingularem Dei præſentiam, non à cœptis tantùm abſtinuit, nouitium faciendo ſui iuris, ſed inſuper & voluit pietati eius optatum ponere colophonem. Vertente nimirum anno, & inſtāte die feſto Sancti Bartholomæi, quo ad inſtar huius Apoſtoli Hieronymus Narnienſis exuit omnem ſæculi pellem, Cardinalis à Sancto Sixto mutatus in virum alterum, Capucinorum cœnobium adijt, nec adeſſe ſolùm voluit profeſſioni nouitij, ſed in manibus ſuis vouere iuſſit, ita votum ſolenne ratum facturus, quod antea in caſſum totis viribus impugnarat.

Res ſanè fuit prope prodigium, videre Cardinalem nepotem Papæ, ex perſequente, ſequacem effectum eius propoſiti, in quod arietem toties fortiter impegerat. Aliàs nouitium adegerat, vt derelicto cœnobio, ſe conferret in palatium, vt illic eius vocatio coram ipſo Cardinale examini rigido ſubderetur. Nunc alternant vices, Cardinalis è palatio in cœnobium tendit. hunc ſtipabant purpuræ cultores, eodem quo Antiſtes animo demirantes in iuuene nouitio conſtantiam vinci neſciam, ab vtroque parente, à Prælatis, imò & ab inferno toto modis varijs impetitam. Hora condicta, concurrunt fratres, quos Hieronymus certiores effectos de concepto religionis conſilio rurſus orat, vt admittatur ad profeſſionem eiuſdem regulæ, cuius diſciplinam minimè ſuis viribus imparem tota anni huius ſerie cõprobarat. Nemine detrectante ſuum nutum, probatiſſimus ille pugil pronuntiatur dignus illo honore: porrigitur illi formula verborum, quibus voto ſolenni ſe

debebat obſtringere. Dixiſſes eum arripere diadema æternum: oris enim habitu geſtiente cœpit hanc ſchedulam pronunciandam ſonora voceq́; & præ iubilo anima colliquata. Vrbs penè tota confluxerat ad triumphum; ſiquidem omnes conſcij erant ærumnarum, quas ſummas, & continuo ferè nexu implexas ſubierat hic athleta, pro ſarto tecto ſuæ vocationis propoſito, in quod tot hominum potentium magna capita coniurarant. Credidere ciues eſſe miraculum, videre Cardinalem olim aduerſum Hieronymo, iam non beneuolum tantùm adſtare profeſſuro vitæ genus iam expertum, ſed & excipientem vota nouitij, cuius iunctæ manus, Cardinalis ipſius manibus incumbebant.

Reddidere Deo tunc manus illæ holocauſtum, quod tentarant ante multifariam ſubtrahere templo, cui ſacrum erat, vt ſacrilego raptu, & induſtria nefaria, illud idem nequam ſæculo deuouerent. Theodoſius iunior à patre Arcadio purpura donatus eſt infans, & in cunis, ideoque dictus eſt Porphyrogenitus, quaſi in purpura genitus. Voto religionis ſolenniter emiſſo in manibus purpurati Antiſtitis, Hieronymus effectus eſt Capucinus porphyrogenitus. Fuit in baptiſmo exceptus à Cardinale Cæſis, & in profeſſione patronum habuit alium Cardinalem, meritis eius ſic ſacra purpura militante. Cardinalis huius ad conſilia meliora redux animus, refricat memoriam Abner, qui Dauidi infenſus, regnum Iſrael in duas ſciſſum partes ei ſubtraxerat, 2.Reg.3. in gratiam filij Saul nomine Iſboſeth; cuius tandem pertæſus obſequium, propenſior in Dauidem, ſuas ei deuouit acies, regnum perditum adſtruendo. Ita Cardinalis à Sancto Sixto, & aulici eius, dubiam fecere diu profeſſionem Hieronymi Narnienſis, ſuadendo regreſſum in paternas ædes: ſed illucente Deo Cardinalem pœnituit intentatæ rei, vt & aulicos omnes, quos iniquos

quos eſt paſſus ille pugil ægrè ferens iacta in Capucinos ſcommata ſuſurronum. Omnes vnà velut agmine facto, ſe conferunt in pauperes Capucinorum ædes, vt ſua præſentia applaudant illi nouitio, quem etiam inuitum tentauerant, vt regreſſu inglorio, abdicato ſanctiore Dei cultu, ſeſe rurſus derelicto prius fugaci ſæculo manciparet. Cardinalis agmen ſuum antea Capucinis iniurium adducit, & conſcribit in eorum opem, & tutamen; vt ſuo ſic obſequio præſtito iuueni nouitio, ſolennior ſit eius profeſſio, ad quam remorandam, ſuas etiam ſacras infulas adaptarat.

Gratis ergo ſuas dæmon machinas inſtruit aduerſus æterna Dei conſilia, fruſtra nititur in homines, quos dignatur Deus ſingulari ſua præſentia, vt impenetrabili telis omnibus armatura. Hoc animi robur inditum iuſtis, ex Scriptura probat Sanctus Hieronymus, ita fatus. *Dedi te in ciuitatem munitam, & in columnam ferream, & in murum æneum, ſuper omnem terram, Regibus Iuda, Principibus eius, & ſacerdotibus, & populo terræ. Et bellabunt aduerſum te, & non præualebunt: quia tecum ego ſum, ait Dominus, vt liberem te.* Sic ille Sanctus, congruè ad præfata: nam Deo adſtante nouitio deforis impetito multimodè, ſcilicet à viris illuſtribus, & Prælatis, ope diuina fretus, fuit intortis ictibus illibatus.

Hieron. lib. 1. in cap. 1. Ieremiæ.

Solicitam Dei curam expertus eſt ille pugil, dum omne ſuum tutamen in Dei gratiam refudit, quam conciliare ſibi ſtuduit actibus idoneis, & præſertim fuſis Deo precibus inceſſanter. Haudquaquam excidit voto puer vrgens Deum, vt adeſſet ad retundendos impetus inimici. Nemo namque Deum fruſtra rogat, & præcipuè de his, quæ dubiam, & laceſſitam pertinent ad ſalutem. Fauet Auguſtinus hoc contextu. *Quid tibi curaturus es, quid tibi prouiſurus? Habeat tui curam qui*

Auguſt. in Pſ. 39.

fecit te. Qui habuit tui curam antequam eſſes, quomodo non habebit tui curam, cùm iam hoc es, quod voluit vt eſſes? Hactenus Auguſtinus, & appoſitè ad noſtram hiſtoriam, de ſpeciali cura Dei erga Hieronymum, in quē profitentem cultum Dei ſingularem, homines, & dæmones inſurgebant. Deo beneuolo vſus erat Hieronymus Narnienſis adhuc in ſæculo degens: æquum & par erat, vt ſanctiori propoſito concepto vitæ Deo gratioris, experiretur eum etiam vberius deſuper influentem.

Eſto namque Dei prouidentia, vt ſumitur à parte Dei, ſuum vbique tenorem ſeruet, & eadem ſit omniū, cùm illa Deus ſit ipſe, iuxta vetus Theologiæ effatum, Quidquid in Deo eſt, Deus eſt: attamen prouidentia connotatiuè ſumpta, vt loquitur ſchola, terſioris eloquij incuria, iuſti referunt potiora argumenta prouidētiæ Dei, quàm homines nefarij, à Deo penitus alieni. Cùm enim prouidentia verſetur in medijs, quæ conducunt ad vltimum finem, ſcilicet beatitudinem æternam; & gratia Dei ſit medium idoneum; reprobi gratiæ expertes, quam reſpuunt, non circumferunt in ſe notas eius prouidentiæ, quæ in Sanctis cernitur elucere. Rem ſcitè Dauid explicuit, compendioſo verſiculo ſic occinens. *Ecce cognoui, quoniam Deus meus es tu.* Quem locum Auguſtinus expendens, ita fatur. *Magna ſcientia. non enim ait, ſciui, quia Deus es; ſed, Deus meus es. Tuus eſt enim, cùm tibi ſubuenit; tuus eſt, cùm tu ab illo alienus non es. Vnde dicitur, Beatus populus, cuius eſt Dominus Deus ipſius.* Hæc ille, palàm faciens, eos, qui ad Deum pertinent ſpeciali cultu exhibito, maiores etiam prouidentiæ illius cenſus percipere; ſicut & in Hieronymo Narnienſi Chriſti milite comprobatur.

Auguſtin. in Pſ. 55.

Idem Auguſtinus refricans argumentum iſtud occaſione accepta verſus Pſalmi, *Ecce non dormitabit, neque dor-*

Idem in Pſ. 120.

dormiet, qui cuſtodit Iſrael; ita commentatur. *Vis habere cuſtodem non dormientem, neque dormitantem? Chriſtus cuſtodit Iſrael. Eſto ergo Iſrael; & factus Iſrael, hoc eſt videns Deum cùm fueris, non dormitabit, neque dormiet, qui cuſtodit te.* Hactenus Auguſtinus: cui fecere fidem acerbi agones, quos Hieronymus Narnienſis toto ſuæ probationis anno fortiter exantlauit. Oratione iugi Deum attentè videns, factus eſt Iſrael; ideoque Deus factus illi propitius haudquaquam obdormijt, quando parentes,& duo Cardinales in animoſum hunc pugilem inſultarunt.

Itaque conſideranti modum,quo Hieronymus Narnienſis emiſit ſolenne votum, duo occurrent conſona prælibatis. Primum eſt,ſpecialis Dei prouidentia, quæ eódem Cardinale vſa eſt ad fauendum nouitio, quem antea permiſerat acerbè voto pugilis aduerſari. Alterum, quod ſeſe inſinuabit altè meditantis animo, erit conſequentia infallibilis meritorum huius nouitij, qui ita Deum deuinxit actibus emeritis, vt eum ſpeciali præſidio tutatus ſit, contra technas, inſidias, & impetus, parentum, Prælatorum, imò & dæmonis infrementis. Illa nimirum vis eſt bonorum operũ,vt Deum actori concilient, & curam eius ſpecialem agat, vt Bernardus fusè probat, equidem eruditè, meo intento propitius: ſcilicet, maiorem eſſe Dei curam iuſtorum, quàm hominum iniquorum, ſi prouidentia Dei ad effectuum trutinam appendatur.

Igitur ſpeciali cura Dei dignatus in ſua profeſſione nouitius, more inolito Capucinis iuſſus eſt propria manu ſcribere annum, diem & horam actionis huius percelebris; qua emiſſione voti ſolennis, dato libello repudij omnibus, quæ iſtius ſæculi ſunt, ſe in æternum Chriſto Domino conſecrauit. In libello illo, qui eſt catalogus, ſeu recenſio nominum omnium, qui ſe de-

uouere Deo, quiſque ſuum nomen inſcribit, adiecto tẽpore, quo profeſſus eſt regulam Seraphici Patris. Hieronymus verò generoſo percitus cœſtro, illo videlicet, quo ſe ſtrenuè geſſerat in parentes, & infernum, nomen ſuum inſcripſit, celebri victoriæ ſuæ addito monumento. Ecce exemplar præfatæ inſcriptionis. *Ego Frater Hieronymus Narnienſis hodie 25. Auguſti* 1579. *profeſſus ſum regulam Beati Franciſci: mundo inuito, & fruſtra ſuis obſtaculis toto tartaro reluctante.* Sexdecim annos natus, hoc trophæum erexit puer Hieronymus, ad perpetuam agonum memoriam, quos cum validis hoſtibus habuit. Strenuus ille olympionica ſequutus Heroum indolem, poſt celebrem victoriam fixit ſignum fidele ſui certaminis, poſteris excolendum.

Fuit ille ritus olim longè lateque propagatus, apud omnes ferè Gentes, vt edita magna ſtrage hoſtium, victor aliquod monumentum erigeret, vbi videbantur appenſa arma, & inſcripta hoſtis nomina profligati. Huius moris meminere Cicero, & Virgilius; quorum iſte peculiarem mentionem facit nominum affixorum.

Cic. lib. 4. ad Heren. Virgil. 11. Aen.

——————*Inimicaque nomina figi*

Ex Xenophonte, & Plutarcho liquet, ibi erecta trophæa, vbi hoſtes fuere ſuo ſanguine conſepulti. Vnde Bœotij poſuere trophæum luculentum iuxta delubrum Itoniæ Mineruæ, quia inſigni reportata victoria de Athenienſibus, ille locus belli campus erat ſingulari titulo commendandus. Cùm ergo pugil Hieronymus Narnienſis, in cœnobio Capucinorum Ameriæ mundum vicerit, & infernum, ibidem ſua manu trophæum extruxit, inſcripto in libello nomine mundi, & inferni, hoſtium ſcilicet, quos gratia Dei comite profligauit. Nemo alius diem profeſſionis ſuæ ſic ſignauit, quia ſingularis fuit iſte palæſtrita, imò pancratiaſtes, vtpote ad omnia ſubeunda belli diſcrimina compoſitus, & quoſlibet

Xenophon. ora. de laud. Agesil. Plutarch. in apopht Laconicis.

libet

libet hoſtes ſibi obiectes vincere fortiter aſſuetus. Quod verò ex charta trophæum iuuenis athletæ fuerit extructum, nihil omnino victoriæ detrahit; namque vilis illa materia, victoris animum humilem ſonat, non ad faſtum, vt ſæculi Duces aſſolent, ſed ad gloriam Chriſti Domini triumphantis. Et profectò liber, ſeu catalogus profeſſionum, cui Hieronymus Narnienſis inſeruit nomen ſuum, & hoſtium à ſe deuictorum, iure tenet trophæi locum: Quippe trophæi genus fuit peplum, velum ſcilicet, in quo ex Plutarcho nomina, & facta egregia virorum fortium pingebantur, adiectis etiam nominibus hoſtium, qui fuſi, fuere pepli locuples argumentum. Pepla dicata templis erant, vbi appenſa, typum & Heroum, & rerum præclarè geſtarum ab eis in agone poſitis, adſtantium omnium oculis ingerebant. *Plutarc. in Demetr.*

Libellus in cœnobio, loco religioſo aſſeruatus, in quo ſeries eſt, & recenſio hominum, qui ſe totos deuouere Deo, ſpeciem habere poteſt pepli; ſed præſertim illa pagina illuſtris teſſera Hieronymi Narnienſis, mundi, & interni ſuorum hoſtium acerborum, in hoc peplo nomina perſtringentis. Nec quicquam omnino nocet ſubiecta pepli materia: nam trophæi gloria non petitur ex materia monumenti, ſed tota triumphantis pompa attenditur penes hoſtium robur, quos victor Heros peplo dignus fregit audacter, & ſtrenuè profligauit. Ideoque peplum Hieronymi Narnienſis ex charta conſictũ nobilius eſt ſuperbis Ducum trophæis, olim ex perenni ſolidaque materia poſitis ad ſtuporem, vt & ſe, ſuaque facta egregia æris, & marmoris obſequio æuo poſtero commendarent. Ad hunc faſtum aſſurrexere plures Ducum Gentilium, qui velificantes humanæ duntaxat gloriæ, trophæa ſibi æterna ex metallo, & lapide poſuerunt. Auſpicatus eſt Metellus, ex Plutarcho, aurea trophæa erigere. Tanti namque fecit victoriam de

Ser-

Plutar. in Sertor. Lucius Florus in Epitom. c.20. Liuius 4. Decad. lib. 3.

Sertorio Duce emerito latam, vt aureum ſibi poni trophæum victor ille tumidus imperarit. Flaminius, & hoc faſtu deuictis Gallis intumuit: ſiquidem, de præclara victoria inſoleſcens, trophæum ſuum Gallorum torquibus aureis exornauit. Ita Florus. & ex Liuio, Marcellus deuictis Boijs, ſignum aureum in Capitolium inductum fixit, loco perpetui monumenti.

Hieronymus impetrat vt redeat Ameriam, denuo cum nouitijs exercendus. Caput XVII.

EX veteri inſtituto, cœnobitæ in ſuas quaſque tribus, ſeu claſſes adoptantur: ſunt cœnobia diſtincta tyronibus, qui illic, vt in palæſtra ſuos agones perficiunt, anno probationis expleto, & emiſſo voto religionis, adſcribuntur alteri cœnobio, illa nouella germina ſanctitatis. Ab eo momento mitius cum eis agitur, quàm cum nouitijs, & aliquid de rigore remittitur, quo multifariam exercentur hi pugiles ex ſæculo nuper in clauſtrum inducti, vbi tentatur eorum conſtantia multis anguſtijs de induſtria illatis, vt eorum indoles exploretur. Namque religionis cuiuſque intereſt adoptare ſolos idoneos, ne inepti faceſſant aliquando negotium. Hæc cautela viget inter Capucinos, quorum vt eſt aſperum inſtitutum, ita ſolos excipit homines magnanimos, qui vt probentur, in ſpeciali loco degunt, vbi præfectos habent, illi animorum indagini ſedulò vigilantes. Quidquid acerbum eſt, & ingratum pati, illud objicitur nouitijs ſubeundum, vt inde palàm fiat, quo animo perciti ſint; ne ſubtractus eis initio diſciplinæ rigor imprudenti

denti clementia, præbeat pœnitendi locum profeſſis vitam illam auſteram hactenus inexpertam. Itaque duris aſſueti nouitij, ſi dictat animus, anno vertente vota emittunt, & ſecedunt inde, locum facturi nouis tyronibus. Iuxta morem illum exercitus Hieronymus Narnienſis ſolenni voto Deo obſtrictus, inſtāte ſuperioris arbitrio, ad cœnobium aliud protinus euocatur. Erat angelico habitu puer omnium ſibi amorem concilians, virtutum omnium obſtetricante choro. Ideoque venerabundi omnes ſuſpiciebant illum, veluti coruſcum nitidumque iubar, rutilo ſplendore ſuo fratribus alijs illuceſcens. Vt res eſt neſcia abſcondi, ſingularis amor, Hieronymus ſtatim aduertit aſpirare ſibi beneuolos omnium fratrum animos; & inde malum ſibi omen trahens, cautè ſuo timuit progreſſui, ſuſpicatus propenſum erga ſe affectum omnium, nimis adhuc infirmæ ſuæ naturæ vitijs indulgere. Pertæſus igitur applauſum pietati ſuæ iugiter exhibitum, ſibi miles Chriſti tremulus ingemuit: & recolēdo ſui nouitiatus agones, atque moleſtias, quibus quotidie vegetior acuebatur animus, ſuſpectam habuit hanc quietem, qua inuitus in cœnobio illo benè affecto ſibi placidè fruebatur. Vt ergo ſuis hiſce rebus anxijs prouideret homo induſtrius, animo anhelo regreſſum petijt à Prælato, ad cœnobium tyronum, vnde nuper emerſerat; vt cum nouitijs vnà reſumptis animis, virtutum omnium praxi aſſidua, prælia exantlata cum dæmone fortiter inſtauraret.

Explorato Hieronymi Narnienſis ingenio Pater Prouincialis, obſtupuit, deprehendens in corpore pubeſcente virilem animum, procul ab indole tyronum omnium, quos nouitiatum repetere nullus omnino laceſſit amor, ne denuo auſtero ſubiaceāt examini, & cenſuræ rigidæ diſciplinæ. Porrò ſubodorans hic Prælatus aliquid inſolitum, & conſcius indolis huius palæſtritæ, an-

annuit eius votis, mittens eum Ameriam, vt cum nouitijs deſcendens in arenam, illis aſſueta repeteret exercitia, vegetiori quàm hactenus animo, cum vitijs, & dæmone dimicando. In omnium virtutum ſtudio fuit adeo ſingularis, vt ſingulas quaſque adeptus ſit, probè ſciens, ad bellum ſpiritale peti virtutum omnium agmen, ne vna abſente fiat impetus in animam, illa parte, qua defecit incuria armorum, quæ depoſcunt prælia Chriſtiana. Emeritæ militiæ palæſtrita regreſſus in ſtadium hoc tyronum, ibi talem ſe præſtitit, qualem volebat Demetriadem Sanctus Hieronymus, hoc contextu: *Omnia membra decorentur operibus ſanctitatis, totaque virginalis animi pulchritudo gemmati monilis inſtar vario virtutum fulgore reſplendeat: tunc concupiſcet Rex decorem tuum.*

Hiero. ep. 1. ad Demet. tom. 9.

Deo inſpirante, puer ille edoctus expauit ferias ſibi indictas in alio cœnobio, vbi beneuola adflante fratrum aura, omnia ad nutum ei ſine vllo diſcrimine ſuccedebant. Sciebat cum vitijs eſſe colluctandum citra inducias; & in eo agone feriari, perinde eſſe, ac vinci. idcirco generoſus ille pugil, vt in expertam aleam rurſus deſcenderet obtinuit precibus importunis. Credidit Agonotheta, ſeu Præfectus nouitiorum, Hieronymi exempla fore potiora ad neophytos inſtruendos, quàm præcepta plerumque parum proficua, ſi non adſint opera conſona prædicatis. Conceptam de ſe ſpem non fefellit ille redux miles in ſua caſtra; ſed ſeſe totum compoſuit ad amuſſim illam, cuius olim meminit Auguſtinus: *Hoc*, inquit, *eſt opus veſtrum in hac vita, actiones carnis ſpiritu mortificare, quotidie affligere, minuere, frænare, interimere.* Sic ille, Dei milites inſtituit, & ad hanc normam totum ſe effinxit Hieronymus Narnienſis, cum nouitijs denuo pariter exercendus.

Auguſtin. ſerm. 13.

Dixiſſes ad iuuenis huius intuitum, eſſe Ducem eximium inuigilantem vocationi ſuæ, ſicut caſtro cœlitus

acce-

accepto, vt cuſtodiæ illius vacaret impigrè, ne vi, aut aſtu hoſtes irrumperent. Hoc de eo præſertim inſonuit, ſcilicet, fuiſſe maximè ſolicitum de oris, & oculorum cuſtodia, ne viſus in noxia impingeret, & lingua loquax inutile quidpiam effutiret. Itaque potuit illi adaptari iſta Bernardi ſententia. *Sic munita eſt Dominici caſtri fortitudo, vt nihil iam timere oporteat.* Bernard. ſerm. 3.

Crebræ victoriæ reportatæ à Hieronymo in nouitiatu, perſuaſere locum illum eſſe magis idoneum pugnæ, quàm alium, vbi omnia ad arbitrium ſenſus, & naturæ dulciter inclinabant. Nec reuera fefellit eum opinio concepta de progreſſu futuro, ſi rurſus in arenam cum tyronibus deſcenderet; quippe nouis quotidie trophæis erectis, indefeſſa virtutum omnium praxi ſuis hoſtibus inſultabat. Ideoque poteſt Hieronymus Narnienſis recenſeri inter eos, quibus ad vincendum profuere loca quædam. In his numerauere Syri Hebræos, quos dixere præualere in montibus, vt & ſecus in aperto campo facilè profligari. Ita ſolati ſunt Benadab Regem Syriæ, ſerui eius, vbi ſeſe reduces ex fuga ingloria collegerunt. *Dij montium ſunt Dij eorum, ideo ſuperauerunt nos: ſed melius eſt, vt pugnemus contra eos in campeſtribus, & obtinebimus eos.* 3. Reg. 20. Quiſquis in virtutum caſtris dedit nomen ſuum militiæ, ille tutorem habet Deum montium, Dominum ſcilicet Ieſum, orare, & pugnare in montibus aſſuetum. Immò miles Chriſti, ad ardua ſemper erectus, eſt mons, tantò magis ad ſydera aſſurgens, quantò plus excelſo vitæ ſpecimine cæteris eminet hominibus, & ab infimarum omnium rerum colluuie celſius elongatur.

Cùm ergo Hieronymus alacrior inter nouitios denuo ſe aptarit ad excelſa patrãda facinora, ipſe in montem euaſit, veteranos etiam milites celſo virtutum culmine ſuperantem. Quia in eodem nouitiatus amphitheatro plures iterum meruit coronas, recolendus vt &

cum

cum Numenio, & Neoptolemo, quos Duces eximios fortuna votis eorum adſpirans, noua repugnandi forma fecit in illo belli genere ſingulares. Plinio auctore, Numenius ab Antiocho Rege præfectus numeroſo exercitui, Perſas aggreſſus nauali prælio in Arabia, eos æſtuante vadoſo, & reciprocante mari fudit. Credidit Perſa, æſtu redeunte fore ſibi Martem propitium, pedeſtri certamine: idcirco bello renouato rurſus cum Numenio congreſſus peſſum iuit, & æmulum victorem denuo coronauit. Ne ingrati animi notis ſeſe inficeret Numenius, trophæi vice duo templa ibidem erexit, vnum Ioui, alterum & Neptuno, vtramque victoriam inibi partam non propriæ induſtriæ attribuendo, ſed in duo hæc præfata falsò credita numina refundendo. Ex Strabone fato ſimili dignatus eſt Neoptolemus à Mithridate Rege præpoſitus expeditis agminibus. Is circa Mæotim æſtate, nauali pugna fudit hoſtem, qui proxima hyeme concreto glacie mari, & recrudeſcente certamine, ibidem fuit à victore fuſus denuo caſtigatus. Hieronymum Narnienſem Ameriæ ſæpe laceſſiuit adhuc nouitium hoſtis hominum infenſiſſimus Angelus apoſtata, ſed ſemper ingloriè: eſto namque puer ætate tyrunculus eſſet inductus in Domini caſtra, nuſquam tamen terga dedit; ſed ſingulis quibuſque prælijs ſeſe generosè gerens, de diabolo ſpiritu refuga triumphauit. Sed vt fugari quidē poteſt, ſed non extingui proteruus hoſtis, vtpote ſpiritus necis impatiens; ita furens, nullas patitur inducias: ideoque videns Hieronymum rediſſe Ameriam, vnde nuper exceſſerat, manubijs mundi, & inferni appenſis ad ſtipitem crucis pro trophæo, ſe accinxit ad noua certamina in emeritum, & probatæ virtutis hominem, ille vafer & callidus inimicus. Non fuere tamen dæmoni prælia repetita bonis auſpicijs: ſiquidē aliàs in nouitiatu pugil eximius, id eſt Hieronymus

Plin. lib. 6. c. 28.

Strab. l. 17.

Nar-

Narnienſis, ſemper victor, iam veteranus miles emiſſo religionis voto cautior factus, ſingula quæque confecit prælia laureatus.

Hieronymus homo triumphalis, non in Carani diſcrimen incurrit, qui ex Pauſania deuicto Ciſſeo Rege, trophæum quidem poſuit, ſed noctu leo illud euertit peſſumque dedit. Vnde fuit decreto cautum, ne in poſterum Reges Macedonum quantalibet inſignes victoria trophæa componerent, malo forſan omine diſturbanda. Hieronymus Narnienſis adhuc nouitius Ameriæ multa trophæa erexit, quæ diabolus æmulus acerrimus, vt leo rugiens tentauit euertere, ſed in caſſum; ideoque redux ille palæſtrita ius habuit, inito nouo certamine, pro trophæo conſono, titulos alios victoriæ indices exornare. Namque Dei fretus auxilio Hieronymus, hanc communem habuit gloriam cum Georgio Caſtrioto, Rege Epyri, cuius hoc ſingulare fuit encomium, quod ſcilicet nuſquam, niſi victor cum hoſte ſero congreſſus ſit, nullo vnquam vulnere ſauciatus. Itaque cura ſolers huius pancratiaſtæ, ſe ſemper accingentis ad certamen, iure vocat eum in partem ſymboli quondam excogitati ab Academia Altorfina, quæ depinxit Rhinocerotem acuentem cornu ſuum ad prælium, etiam victoria proximè reportata. Picturæ titulus iſte fuit: AMAT VICTORIA CVRAM. Quippe remiſſa plerumque cura victorum fecit, vt victi reſumptis armis reciprocante fortuna vices, vincerent incurios: in quod diſcrimen, ne Hieronymus impingeret, ad noua ſemper anhelans certamina, & ſibi conſtans fuit animo cataphracto.

Pauſan. l. 9.

Ex vita Caſtrioti apud Paulum Iouium.

Libro Symbolorũ Academia Altorfinæ.

Multis antea prælijs exercitus ille miles emeritus, nihil omnino dedit corpori, & quieti, vtpote præfati conſcius eloquij. AMAT VICTORIA CVRAM. Credidit Auguſtino ſic monenti. *Aduerſus diabolicarum ſug-*

Aug. lib. de continẽtia.

ſuggeſtionum inſidias vigilare debemus, ne de noſtris viribus præſumamus: maledictus enim omnis, qui ſpem ſuam ponit in homine. Et quis eſt iſte, niſi ipſe homo?

Vt prælibaui, victorum incuria deterior eis quandoque fuit, maioreſque clades intulit, quàm hoſtium caſtra. In his ſua ſorte iniqua famoſum ſe præſtitit Cyrus ille Rex inclytus Aſſyriorum. Hunc Herodotus, & Iuſtinus aiunt fudiſſe Scythas, etiam occiſo Regis filio, ſed
Herodo. l. 1. neſcijſſe parta vti victoria. Nam eum Tomyris Regina Scytharum ſibi nimium confidentem aggreſſa, ſtructis inſidijs oppreſſit, eamque labem inuſſit; vt victor antea
Iuſtin. l. 1. Cyrus orbe toto notus, fuerit demum à deuicta fœmi-
Liu 4. Decad. l. 7. na ſuperatus. Liuius & erroris huius inſinuat Romanos rerum Dominos, qui arbitrati, ſe eſſe ſupra omnium hominum vulgus, & nihili facientes hoſtes ſuos, expeditione decreta in Hiſpanos, cum eò pergerent agmine confuſo, inciderunt in Ligures, qui ad internecionem numeroſum hunc exercitum fortiter extinxerunt. Hieronymus Narnienſis in ſpiritali diſciplina cautior, nuſquam inermis obdormijt; ſed armatura Dei inſtructus, ſemper occurrit hoſtibus ſuis infractus, & paratus ad triumphos, & pæana.

Hieronymus interuentu Epiſcopi Narniæ reconciliatur patri ſuo.
Caput XVIII.

TERENTIVS ait, amantium iras eſſe amoris redintegrationem: ſed hoc effatum liquet multiplici hiſtoria non eſſe vſquequaque ratum. ſiquidem intenſus amor, in acerba odia ſæpe mutatus, ita extinctus eſt, vt nulla potuerit induſtria denuo reparari.

rari. Huius indolis erat amor, quo deperijt Ammon Thamar ſororem ſuam; nam amore tepeſcente ſopito libidinis incendio, ſucceſſit odium illud, cuius Scriptura meminit hoc contextu. *Exoſam habuit eam Ammon odio magno nimis: ita vt maius eſſet odium, quo oderat eam, amore, quo ante dilexerat.* Aetheocles, & Polynices fratres antea concordes, & alternis annis habenas regni moderantes, omnis priſtini affectus immemores, ambo concurrentes, idque malis auſpicijs, reciproco ſeſe vulnere trucidarunt. Illis ita Statius ingemuit. 2. Reg. 13.

Fraternas acies, alternaque regna profanis
Decertata odijs. Stat. lib. 1. Thebaid.

Sapricius, & Nicephorus Chriſtiani, amore extremo dehiſcente in odium, exercuere graues poſtmodum inimicitias. His annecto patrem Hieronymi Narnienſis, quem penè dementauit filij ſelecta profeſſio, mundi huiuſce crepundijs vilibus abdicatis. Ille parens omni eliminato amore ferox, tanto erat odio percitus in filiū ſuum Capucinum, vt recrudeſcente malo in dies, chariſſimi quondam pignoris huius transfugi in caſtra Dei, nollet etiam impræſentiarum nomen ſuis auribus inſonare. Plurimi benè affecti erga virum hunc nobilem, timuere ſaluti eius, quam ſuſpectam habuere malo hoc gliſcente, magno vtique charitatis diſpendio. Hieronymus in primis, vt tenellus erat, iniquo ferebat animo patrem ſuum nolle dare manus Deo, annuendo voto à ſe emiſſo: preces eo intento crebras fundebat quotidie, vt Deus amoris igne illapſo deſuper obdurati patris cor ſaxeum emolliret. Quinque circiter annos egit anxius ille natus, de dubia ſalute patris, qui extincta charitate frigus odij acerbi contraxerat, quo ingraueſcente ſalus erat deſperata viri crudelis in filium, eo ſolo nomine, quod ſe profeſſione vitæ religioſæ totum Chriſto Domino conſecrarat.

Erat vnde patri metueret Hieronymus Narnienſis, vtpote probè ſciens, charitatem eſſe fidelium teſſeram indubiam; & hanc eſſe bimembrem, quia in Deum, & proximum animas agit, quæ ſancto Dei flamine percelluntur. Amoris huius expers ille parẽs Hieronymi, magnum inde negotium ſuo filio faceſſebat. Namque Capucinus probè norat, patrem ſuum incaſſum aſſuetis inſudare bonis operibus gliſcẽte odio; ideoque vijs omnibus idoneis ad reducem charitatem religioſus homo ſuum animum occupans, ſedulus hanc rem ſibi maxime cordi, Chriſto Domino commendabat.

Verumenimuero parens felle delibutus homo, parum curans recipere in gratiam filium ſuum, ſerpenti odio locum dabat, eo duntaxat nomine reus, quia aliunde bonus, & in virtutum praxi apprimè exercitus; & hinc Hieronymo eius filio luctus, & mœroris maximum argumentum. Ille nimirum conſiderans, tot virtutes à patre ſuo excultas inſcia charitate, lugebat aſſiduè, Senatorem hunc, tot probatum hactenus encomijs neſcire ſibi ſapere, & pati iacturam operum, quæ digna forent cedro, comite charitate. Qua deficiente, præmio æterno carent acta hominis, cum proximo dira exercentis odia.

Vt ergo patri ſuo conſuleret Hieronymus Narnienſis, ad hoc totum ſuum animum applicuit, ſcilicet, vt conciliaret ſibi ſubirati parentis animum, reduce charitate. Itaque facta ſibi copia adeundi Narniam, ſuum natale ſolum, clam adijt Epiſcopum, qui & ipſe conſanguineus erat. Exponit quàm ægrè ferret patrem ſuum nolle ſibi propitiari, ſed fouere odia æterna ſuæ ſaluti contraria, iniqua legi Dei, iniuria famæ ipſius, & magno etiam ſcandalo ciuitatis. Vrget Antiſtitem, vt conciliatoris vtriuſque vices agat, inſtat eſſe è re ſua prouidere gregi, ne quid detrimenti non à lupo ſolùm, ſed &

ab

ab aliqua oue morbida patiatur. Agebat tunc Hieronymus annum vigeſimum, eratque potens eloquio. Non fuit res operoſa ſuadere Epiſcopo, anhelo in ſalutem commiſſi ſibi gregis, vt propagandę charitati ſedulus incumberet. Itaque ſuam opportunam opem pollicitus, ſe accinxit ad hoc facinus incunctanter. Ex ſuis vnum mandat in ædes Senatoris Mautini, detento ſeorſim in palatio, filio eius Capucino. Adeſt Senator nihil tale ſuſpicatus, Epiſcopum ſaluere iubet, & precatur ei omnia fauſta. Epiſcopus alacrior hunc ſalutat, & ex improuiſo aggreſſum ſic hortatur hunc affinem. Petre mi amantiſſime, nonne ſatis eſt irarum, & odij in filium exoſum toto quinquennio? Quouſque tenax propoſiti inhumani, Deoque, tibique ſimul iniurius viues excors, atque ſalutis æternæ prorſus incurius? ſi Dei amor non te ſolicitat, ſaltem dudum iram promeritam vindicis extimeſce. Ego hic partes ago & Epiſcopi, & hominis ſanguinis communione tibi deuincti. vt Epiſcopus, vrgeo, & compello ad cœlitus indictum charitatis obſequium: vt amicus & affinis, oro, vt te paternè geras erga filium tuum Capucinum. ſi ſecus enim faxis, inde negas te filium Dei, & ingraueſcente liuore probas te indignum nomine Chriſtiano.

Fortè bile effuſa iuraſti in odia æterna exercenda tuæ animæ extremo diſpendio? Hoc emiſſum ira malè ſuada votum nequit eſſe ratum: ſed eſt in hoc propoſito inhumano crimen, quod immane licet, ſi ruis in amplexus filij tui reducis, ſtatim eo argumento amoris præſtito diluetur. Quid peccauit puer, derelicto fugaci ſæculo? nihil planè, ſed peccaſti ſolicitans eum, ne Chriſti ſequax daret religioni nomen, & ſe totum Deo rerum omnium Domino mantiparet. Iniquè hactenus acta, hæc eſſe infecta volo: nimij doloris, & mœroris pondus te oppreſſit, & deiecit in abruptum odij, quo tabeſcis.

Quæſo parce tibi ineundo ſalutare conſilium, quod ſuggeſſi ſaluti tuæ propitium. Amori indiſcreto tuas tribue moleſtias, & non filio, quem cauſaris ingratum: ſi quid ærumnarum perpeſſus es, illud omne fuit filio tuo minime conſcio, & ſemper innoxio: inſulta tibi ſoli, & non pignori inſonti, quippe lethali, tuoque te gladio ſauciaſti. Satis ſuperque datum eſt iræ & mœrori, nunc eſt paterno amori indulgēdum. Deo cœlitus imperanti citò morem gere, mihi & amico, & affini, intimo & ſingulari affectu deprecanti gratiam hanc condona: denique naturæ memor, atque prolis, fac vt ſopitus amor in filium iam reducem incaleſcat.

O irarum & odij peſſimum imò lethale virus! Nihil omnino profecere voces Epiſcopi: ſiquidem ille parens inolito ſibi more furens, audito nomine filij, paucis ſe ſic explicuit. Illuſtriſſime Antiſtes oleum & operam perdis, vrgendo me ad amorem filij inhumani erga patrem ſuum, quem immemor ille gratiarum tot ærumnis preſſit, vt nullus omnino locus iam ſuperſit, nec amori, nec gratiæ hactenus expetitæ. Itaque ſuperſede: ſuas ille res habeat meo obtutu indignus, & abeat vias ſuas. Ira recrudeſcente pater hic elinguis effectus eſt, fortè deficiente phraſi ſatis idonea, ad carpendam filij indolem, quam ille ferus, & amoris impatiens dixerat inhumanam. Hieronymus interim ex vicino cubiculo totam illam tragœdiam percipiens, credidit opportunum tempus adeundi patrem. Præſulis namque fretus præſentia, & benè ominatus de Dei auxilio, quod ſæpe ſæpius adeſſe ſibi præſentiſſimum expertus eſt, funem quo præcinctus erat, collo ſuo aptauit, more reorum, quos ad ſupplicium tortor inſequitur. Hoc habitu miſerando patri ſiſtitur filius, & largo lacrymarum imbre madens, ſic orat eius genibus aduolutus. Ecce venerande parens tuum aliàs Octauium prædilectum, cuius

amo-

amore tot & tantas conciliaſti tibi anguſtias. Non me eo animo feci Capucinum, vt doleres; ſed omnino ſecus, vt oratione iugi, & cultiore Dei obſequio tuas omnes tergerem anguſtias, & tuæ ſaluti æternæ pro meo modulo prouiderem. Si quid in formula procedendi actum eſt imprudenter, parce parens, & da annis immaturis omne, quod eſt cenſura dignum. Concede Deo, & lacrymis affatim fluentibus amorem hunc paternum, quem mihi Capucino, & tuo ſanguini denegaſti. Mihi proſtrato benedic, annuendo votis à me emiſſis: hanc gratiam ſi negas, necas. inualeſcente odio, tu tibi mihique necem conſciſcis: ama, & vterque viuet. Animi anxij in varias vſquequaque vices acti, & pluriū ærumnarum cauſa fui, ſed inuitus: ero lubens in poſterum cauſa ſolaminis, à te priſtinis, & paternis nutibus inuitatus. Medius tantum te præ angore moriente viuo, amore rediuiuo vitam age lætiorem: ero vegetior, & aptior ad exhibenda tibi noua obſequia, vt & inde magis idoneus, ad fortia omnia munia Chriſtiani militis obeunda. Aduolutus ego tuis pedibus, hos non deſeram, quin dederis manus: ſiniſtrum quid ominabor, ni porrigas dexteram: pedibus implexus, oro patris amplexus. Te inconſulto domum paternam ſi reliqui, non deliqui ſubeūdo ſacras ædes Dei. ſi ſuſpicaris hic peccatum, ſatis hactenus in hoc ſæuitum eſt, exhibe te pacatum, vt placatum numen tibi concilies. hoc præſtabis gemebundo obſequium, dulcia patris, & filij nomina recolendo.

Obſtupuit primò hoc congreſſu pater, & credidit phantaſma ſibi ſiſti. Sed vt Hieronymus erat eleganti aſpectu, & facie peruenuſta, pulcher oris eius habitus ſenſim emolliuit cor paternum, & maximè vbi parens aſpexit, hunc aliàs prædilectum ſibi filium fune ad collum intorto gemebundum, eſſe ſuis genibus aduolu-

tum. De repente parens hic mutatus, Epiſcopum ſic compellat mixto fletibus eiulatu: Illuſtriſſime Præſul vim patior, abeo totus in lacrymas, & amplius non ſum ego, ille videlicet, qui fui hactenus obſtinatus. His præfatis vrgente amore, cadit in pectus filij ſui proſtrati, qui expanſis vlnis excipiens patrem, tenero affectu hunc complexus erexit, pudore ſuffuſus videre patrem ſuum, gratiam filij flexis genibus implorantem. Parce, inquiebat hic Senator, meritis & inſita canitie venerãdus: Parce fili barbaro patri, neſcio quid peccaret, quando iniquè tuum obſequendi Deo propoſitum carpſit, in te licet innoxium debacchando fœdis iniurijs, & quinquenni odio ſæuiendo. Et Deum, teque fili grauiter offendi, cum hominem patremque ſimul exui; crudelis ego, credulus iræ, Capucinos omnes læſi detrahendo viris præditis virtutum omniũ dotibus vſquequaque. Mihi pœnitenti indulge fili, & Deum fratreſque tuos mihi concilia, ne congruas aliquando luam pœnas ſceleri perpetrato.

Vt igne accenſo in lignis humentibus, cuiuſque ſtipitis aduſti, ambo extrema madent & diſtillant, flammã propellente foras omnem vliginem, qua ſtipites imbuti antea deſudabant: Ita nouo amoris igne depaſcentẽ patrem Hieronymi, omnis humor à natura venis inſitus largis, & vbertim inundantibus lacrymis erumpebat. Itaque patre, & filio ſolutis in lacrymas, non potuere adſtantes cohibere fletus: ipſe in primis Epiſcopus præ gaudio dulciter illacrymans, ait. Eia ò gemebundi ſatis eſt fletuum, indulgete animis: ſi quid antea perpetratum eſt iniquis auibus, & malis auſpicijs, illud omne credo fauente Deo, tot & tantis eſſe nunc lacrymis expiatum. Ad hæc Hieronymi pater lancinante ſyndæreſi præcordia, ſic cauſatur: Illuſtriſſime Antiſtes, quinquennium egi impœnitens; ego nimirum mihimet interdixi

igne

igne & aqua, cum amorem omnem extinxi, nec defleui crimen aliquando meis præ mœrore obortis lacrymis abluendum. Igitur habeto gratum hominem refugam ignis ſacri amoris videlicet in filium à Deo iniuncti, in ſceleris mulctam lacrymarum fluctibus inundari. Hic profectò parum abſuit, quin Antiſtes eodem contagio amoris, vnà pateretur deliquium cordis, tenero affectu ſuorum propinquorum, ipſius viſcera colliquante. Sed vt erat vir magnanimus, & cui incumbebat concludere totam hiſtoriam, vtcumque fletus cohibens amplectitur patrem, & geſtienti ſimilis ait: Petre temetipſum hodie deuiciſti: & cum recepiſti filium in gratiã, quem hactenus vt ingratum habuiſti, ab hoc momento Deo gratum te, & hominibus omnibus effeciſti.

Ad operis colophonem operæ pretium erat inducere Hieronymum in paternas ædes, vt ibi ſalutatis Laribus antiquis, priſtini amoris, cum vtroque parente violata fœdera renouaret. Credidit eſſe è re ſua Præſul intereſſe ſolennijs, à tota familia Mautina iamdudum optatis. Idcirco parenti ait, communicandam eſſe cum tota ciuitate lætitiam, quam epiſcopale palatium eo temporis articulo perceperat, ideoque primos Hieronymi Penates eſſe eo fine citò citius inuiſendos. Vltro pater annuit, nouam ſibi viſus inſtaurare vitam præ gaudio. Interim tota ciuitate rumor increbuit, compoſitas eſſe inimicitias Petri Mautini cum filio, induſtria Epiſcopi, vt & humilitate Hieronymi, qui reuera Capucinum egit, in demulcendo patre ſuo, cui acerbum odium cor hactenus obdurarat. Concurrunt vndequaque ciues, participes & futuri communis lætitiæ, ſtipauere patrem, cum Præſule, & filio Capucino, qui vnà petebant omnes Petri Mautini ædes. quò cùm deuentum eſt, gaudio geminato, & tota familia vocata in partẽ iubili, fuere rurſus impotentia cordis exultantis lacrymæ reuocatæ.

Facilè adducor vt credam, ſubitam illam conuerſionem patris Hieronymi effectum fuiſſe precum filij, qui vt occurreret diſcrimini, in quod paterna ſalus incurrerat, odio ſerpente medullitus, demerebat ſolicite Deũ votis aſſiduis, vt decebat Capucinum, & bonæ indolis filium, repetitis eo fine precibus indefeſſis. Conductus Epiſcopus eo intento, vt rediuiuus amor filij denuo gelidum cor parentis accenderet, reuocat in memoriam meam, ſolennem ritum reparandi ignem Veſtæ, ſi quando cuſtodis Virginis incuria, flamma illa tenuis expiraſſet. Expiatio prima fuit, vocare Pontificem, qui flagro plectebat virginem hanc Veſtalem, cuius incuria defecerat ignis. Vt verecundiæ & pudori puellæ conſuleret cenſor, in conclaui, & penitus abſtruſo loco ream ſeclusis arbitris increpabat. Virgine caſtigata, focus denuo ſuſcitandus erat, his artibus. Vas æneum pellucidum, & trium angulorum obijciebatur rutilo Soli, vt coëuntes eius radij in concauo focum accenderent, idoneo ad hoc fomite præparato.

Lib.9. Ouidius lib. 3. Faſt. Iul. Obſeq. lib. prodigiorum c.62.

Hac pompa ferè fuit accenſus amor in corde patris Hieronymi Narnienſis; &, ſi ſacra licet componere cum profanis, Charitas illud idem eſt Chriſtianis, quod Romanis olim ignis Veſtæ, proximè recenſitus. Quippe tota coëunte ſchola, charitas eſt ſacer amor, quo flagrante omnia ex voto cadunt. In hanc refunditur ſumma bonorum omnium, quæ reuera peſſum eunt, ſi radici non ſunt inſita charitatis. In penitiore receſſu cordis accenditur ille diuinus amor, quo proximus, Dei tantùm intuitu amatur, & non affectu concupiſcẽtiæ, quicquid eſt in amore meriti depaſcentis. Si deſidis animæ neglectu deficit amor ſanctus, hoc ſanè dirum eſt portentum, omnia mala & æterna clamans, ſi diuinus ille focus ab anima pœnitente non rurſus ſedulo reparetur. Amici omnes, & propinqui Petri Mautini, vt audiere

Greg. hom. l. 27. in Euang.

focum

focum illum eſſe in penetralibus eius emortuum, ipſi malè ominati, inſtare ærumnas, immo malorum omniũ cumulum, ſcilicet infernum, prouidè timuerunt. Conſultus eo fine Pontifex Narnienſis, vt homini incauto conſuleret, qui ſua incuria charitatem penitus extinxerat. Ille lubens adſtitit, & vocatum patrem Hieronymi, ſeclusis arbitris in penitiore receſſu ſui palatij durius increpat, ob amorem obſtinatè prædilecto quondam ſuo filio denegatum. Acriter obiurgato reo, Pontifex vas triangulare pellucidum & diuino ardore calẽs explicat, & obijcit Petro Mautino. Vas hoc terſum fuit cor filij eius, quod trianguli formam gerens diuino amore percitum cœlitus inardebat. Cordis huius accenſi focum, concepit gelidum cor patris; & ſic emortua charitate parens exanimis, igne reaccenſo induſtria Præſulis, & filij flagrantis amore Dei, factus eſt ſubitò rediuiuus.

Reparato foco Veſtalium, Roma iubilabat: geſtijt & Narnia tota, & præſertim omnis Mautina familia, cùm reſcijt Hieronymi patrem eſſe rediuiuum, & cõpoſuiſſe odia, cum filio innoxio hactenus exercita, extremo animæ diſpendio, & infami ſcandalo populorum. Sed præcipuum lætitiæ florem decerpſit ipſe parens, in alium prorſus mutatus hominem: omnium namque bonorum agmen, in eum influxit reduce charitate.

Tota hæc hiſtoria, triumphus eſt amoris, qui vt depaſcebat intima Hieronymi Narnienſis præcordia, communicato cum parente foco, eum etiam adiutore Deo comite pariter inflammauit.

Hie-

Hieronymus ſuperiorum iuſſu vacat ſtudijs Philoſophiæ, & Theologiæ. Caput XIX.

BEATVS Franciſcus meditata ſæculi nequitia, & cauere volens alumnis ſuis, ne mundi contagio ſeſe turpiter inficerent, Deum enixè orauit, vt Ordini Minorum conſuleret inſpirando genus tutiſſimum vitæ, qua æterna ſalus certius iniretur. Deo cunctante votis annuere ſerui ſui anxij, ſecederet in eremum nec ne, Seraphicus ille Patriarcha conſuluit Sanctam Claram virginem, tunc famoſam orbe toto ſpecie ſanctitatis. Explicat illi Sanctæ ſuum propoſitum, de ſeceſſu in ſolitudinem, ne ſęculi lue infectus Ordo ſuus aliquando deficeret; & ſatius eſſe fuga declinare malum, quàm crebra, & obuia ſemper nutante ſalute, mala fortiter eluctari. Clara morem gerens, ad arbitrium Sancti Franciſci, ſuam orationem compoſuit, rata fidem Seraphici Patris præbituram pondus, & momentum pro commendato ſibi negotio precibus effundendis. Itaque virgo Deum vrget, vt de intento ſuo certiorem faciat Frāciſcum anhelum ad ea præcipuè, quæ cōducunt ad maiorem Dei gloriam. Non eſt paſſa repulſam illa iugis oratio, ſed eſt optato potita voto, omnia poſtulata, Chriſto Domino reuelante. Hæc ſumma fuit oraculi deſuper editi, cuius beata Clara fecit conſcium Seraphicum Patrem. Ego, inquit Deus, religionem Minorum non inſtitui ad hoc, vt ſibi ſoli viuendo ſeorſim attenderet; ſed profeſſores eius initiaui ſacro illo inſtituto, vt ſartam tectam omnium etiam hominum ſalutem pro

ſuo modulo procurarent.

Hoc audito oraculo Beatus Franciſcus, ſuos omnes ſectatores aptauit ad decretum ſibi deſuper indictum: & quia prædicatio verbi Dei maximè conducit ad ſalutem hominum, in diuerſas mundi plagas præcones idoneos miſit, qui debacchantes in vitia, & ſuadentes virtutum omnium praxim, regnum Dei magno fidelium commodo propagarunt. Vt cõgregatio Capucinorum ſurculus eſt emergens, ex annoſo ſtipite Minorum, ita renaſcens illa ſacra religio toties deformata ſuis deuijs alumnis, aliò pergentibus, æmulata finem Beato Franciſco oſtenſum, prædicationem verbi Dei magni fecit, eo præſertim nomine, quod Chriſtus alijs prædicando munus hoc minimè detrectauit. Verum enimuero, quia religionis intereſt idoneos tantùm inaugurare ſacro illo officio, ideo in delectu hominum magna adhibetur induſtria. In comitijs cuiuſque prouinciæ recenſio fit iuniorum omnium, qui ante triennium emiſere vota, præuio examine morum, & indolis aptæ literis: ſeliguntur aliqui toto ſeptennio Philoſophiæ, & Theologiæ ſtudijs imbuendi. Hieronymus Narnienſis, vix dum ex ephebis exceſſerat, quando concordi omnium voto adſcriptus eſt inter candidatos Philoſophiæ, & Theologiæ; quodque fuit præcipuum ſtudiorum eius, nactus eſt Magiſtrum, Patrem Mathiam Bellintani, Capucinum celeberrimum, pietate, & doctrina notum toti Italiæ, & Galliæ, vbi ſe probauit in his, quæ ad literas pertinent, & virtutem maximè ſingularem.

Eſto Thomas ille Aquinas nitidum Theologiæ iubar, fuerit ingenij ſummi, ad literas capeſſendas, multa tamen debuit curæ magiſtri ſui Alberti Magni, cuius lumine præuio, multa ſubobſcura ſcientiarum omnium ſenticeta alijs ſodalibus inuia penetrauit. Ingenij præpollebat acumine Seraphicus Doctor Bonauentura,

Tho-

Thomæ ſuppar; ſed prædiuites gazas ſanctioris diſciplinæ eum fortè non ditaſſent, Alexandro Alenſi doctore irrefragabili magiſtro eius penitus inconſulto. Quòd ergo Hieronymus Narnienſis tantùm profecerit in cōparandis ſcientijs, illud ferè totum adſcribo ſolertiæ præfati Patris Mathiæ, qui diſcipulos ſuos volebat eſſe ſui ſpiritus æmulos, & imitatores cultus, quem in oratione iugi Deo ſedulus exhibebat. Namque potiſſimum ſtudium prælectoris erat, animo verſare ſacra ſalutis noſtræ myſteria, in quæ pias meditationes ſubdidit prælo. Hieronymus Narnienſis ex præſcripto ſui magiſtri compoſitus, ita ſuum animum literis applicuit, vt orationi primas dederit ſemper, ne præpoſterus ordo, ſua literarum ſtudia gloriolæ inanis vitio temeraret. Vt oratio fœta bonis operibus ſtipatur etiam alijs virtutibus, ita & ille pius diſcipulus, orationes ſuas nolens eſſe nudas, ſectabatur ea omnia, quæ conducunt non ad comparandam perfectam ſcientiarum notitiam, ſed ijs præcipuè intendebat, quorum obſequio, ab omni vitiorum colluuie terſior anima defœcatur.

Toto affectu in primis humilitatem excoluit, cuius fundamenta quatit ſemper & defodit, diſcrimine magno animarum, humana ſcientia, ambitu ſuo grandiloquo, & quæſitis ad faſtum, & applauſum infulis intumeſcens. Specimina humilitatis edita quotidie à Hieronymo dū ſtudijs incumberet, erant iſta præcipuè. Ingenij ſui ſummi locupletes occultare dotes, ne videretur eſſe alijs illuſtrior: & hoc ego repono inter maxima argumenta humilitatis. Nam

Qui velit ingenio cedere, rarus erit

Pergratum erat illi, ſine arbitris quiſquilias culinæ ſcopis euerrere, & ſcutellas emundare; demum quidquid erat vile, & abiectum, illud præcipuè in votis erat Hieronymi Narnienſis, quando ſacris literis inſudabat. Hanc

ſtudio-

ſtudiorum normam, non à magiſtro tantùm didicerat, ſed & audierat fuiſſe Beati Bonauenturæ, qui orationi vacans, & ſtudio virtutum, doctior euaſit omnibus laureatis ſuis ſodalibus, qui ſolo adhibito librorum ſcrutinio credidere puros ſanctæ Theologiæ latices ebibiſſe. O vtinam omnes animo ſæpe ſuo voluerent hoc arcanum, ſcilicet virtutis affectum, eſſe viam compendioſam ad peruium Theologiæ aditum, & penitiora eius ſecreta facilè penetranda. Non tot ſacra forent interrupta gratis, ſtudiorum cauſa; non tot intermiſſa pietatis officia, nec omiſſa virtutis obſequia facerent inglorios hos doctores, qui ſunt plerumque ſicut æs tinniens, reſonantes inaniter ex pulpito, & facti tantum ad pruriginem aurium, ſcientes equidem multa, ſed neſcij charitatis.

Magno ſanè conſtat eis, & religioni talis ſcientia, cōparata tot & tantis animæ diſpendijs; præualet enim iactura lucro. Namque ſeorſim ſumpta, & virtutis expers doctrina, lethalis eſt, ipſo etiam teſte Paulo Apoſtolo, quo aſſertore, *Scientia inflat, charitas verò ædificat*. quippe nequaquam conſcia virtute doctior omnis animus inſoleſcit. Vnde, quia ſuperbia eſt ſicuti quædam tinea occulta vorax inſita ſcientijs, quæ depaſcit præcipuam doctrinæ partem, docti omnes cauere debent, ne in hoc præceps & abruptum cum tota ſua ſcientiarum omnium vana ſupellectile, duntaxat fabricata ad pompam, impiè deuoluantur. Vt hic compello religioſos omnes, illi conſulant annales ſuos, reſcient inde ruinam & doctrinam pietatis expertem, res eſſe concolores. Heu, & proh dolor! quot & quantos ego noui, qui ante deguſtatos ſcientiæ fructus, erant innoxij, & probitatis indubiæ; ſed vbi miſſo virtutis obſequio tincti ſunt aliquo fuco ſcientiæ, ſubitò defecerunt. Satius reuera fuiſſet eis ignorare ſalubriter illa, quæ dum

1. Cor. 8.

ne-

neſciere, ſanctiores erant; quàm ea comparaſſe paſſo deliquio pietatis, & virtutum, quas ſcioli effecti, penitus abiecerunt.

In has non impegit cautes Hieronymus, præeunte ſibi lectore probo, & virtutis emeritæ, cuius facta magis attendebat, quam ſcripta, vel ſermones; ſicque poteſt ille probus diſcipulus optimi ſui magiſtri lectiones & doctrinam, potius oculis, & manibus, in praxim compoſitis, quàm auidis ad diſcendum auribus ebibiſſe. Sicque ſibi Hieronymus primò, deinde alijs ſtuduit. Plures omnino ſui profectus incurij locos communes agglomerant de virtutibus, & vitijs, vt prædicent alijs; nec ſatagunt prædicare ſibi, nihil prorſus inde niſi Dei iram conciliantes, & vanam gloriam turpiter aucupantes.

In huiuſmodi nequam homines opportunè Bernardus inuehitur ita fatus. *Quod tuum eſt ſpargis, & perdis, ſi priuſquam infundaris tu, totus ſemiplenus feſtines effundere*. Sic ille carpens eruditè ſciolos imprudentes. Huic ſe cenſuræ prudens eripuit Hieronymus, ita ſuo ſtudiorum penſo attentus, vt quod erat potiſſimum, ſcilicet obſequium Dei ſuis omnibus partibus conſtans, ſcriptis, & eorum curæ iugiter anteferret. Nihil inde tamen paſſus eſt deliquij, aut iacturæ; nam quod temporis ſupererat omnibus pietatis officijs, ita ſuis impendebat ſcriptis, vt ſtupendum ſanè progreſſum fecerit, Deo compenſante momenta, quæ ſtudio ſuo detraxerat pietatis ergo: ſicque parum curans humanam prudentiam, quæ diuina decurtat obſequia ſtudiorum cauſa, Hieronymus Narnienſis ſublimitate ſcientiæ, ſuos omnes ſocios anteceſſit.

Bernard. ſerm. 18. in Cant.
Deut. 15.

Eſt profectò Deo fœnerari, quando ſibi ſuiſque negotijs aliquid detrahitur, vt cultui diuino totus animus occupetur. Si quid enim iacturæ patitur homo ad tempus,

pus,

pus, illud omne reſarcit Deus; vt & in Hieronymo noſtro liquet, quem ſtudiorum tempore Deo addictum, cum ſtupore vidit religio cœlitus eruditum. Quodque ferè ſuperat fidem, immatura ætate ſacerdotio, inſtitutus eſt Lector in Philoſophia,& prædicatoris eximij vices egit in pulpito Epiſcopi Interamnæ. Res erat prope prodigium, videre iuuenem corpore, & mente canum, pangere oracula diuino magis, quàm humano more: antequam enim aliquid virtutis ingereret animis, illud omne pro viribus implere præuio opere ſatagebat. Et hæc eſt norma prædicandi indicta à Propheta ſic monente. *Super montem excelſum aſcende, tu qui euangelizas Sion*. Quaſi diceret: O prædicator, vt efficaciter obeas munus tuum, hoc ſtudioſè caue, ne vita repens, & humilis ſit; ſed ſatage, vt ori magniloquo facta quadrent, ſectando vitam, ſtudio & praxi virtutum cæteris eminentem. Hieronymus ille Sanctus in hunc Iſaiæ locum incidens ita commentatur. *Vno verbo, præcipitur Apoſtolorum choro, vt ad prædicationem omnis carnis, quæ viſura ſit ſalutare Dei, excelſa conſcendat, de magniſque dicturi, in ſublimibus commorentur.*

Iſa. 40.

Hiero. l. 11. in cap. 40. Iſa.

Hieronymus nondum ſacerdotio initiatus in lectorem præficitur, ſuos diſcipulos ad virtutes & ſcientias nouis artibus inſtituens. Caput XX.

HERMAGORAS, & Demagoras peſſimi ambo, quia magiſter homo nequam, ſuam & diſcipulo nequitiam malis, & ingenio ſuo conſonis actibus affricabat. De vtroque tulit ſententiam iſtam Areopagus. Mali corui, malum ouum.

Quip-

Quippe rei inſolentis eſt ſpecimen, bonos euadere diſcipulos, præceptore malis moribus inquinato. Inſuetum hoc facinus Phalaris obſtupuit in Cleoſtrato, qui cùm nefarius eſſet, attamen eſt ſortitus aliquos diſcipulos, qui ſe præſtitere virtutis cultores eximios. Sic Phalaris hunc ſceleſtum acriter inſimulat. *Prorſus mihi cum riſu videtur admirandum, aliquos tua doctrina ſapientiores fieri. Nam qui conatur alios obiurgare, eum omni vitio carere neceſſe eſt. Tu verò cùm & eorum, quos doces, & cæteris omnibus generum flagitijs tenearis; tamen quaſi inculpatus ad omnem malitiam, ita hortaris, & mones.* Hæc ille ſeuerè carpens in magiſtro diſcolores mores, & ſermones. Quippe radices altiores agit in mente diſcipuli, vitij, aut virtutis ſpecies exhibita, quàm benè ſuada loquela bono opere viduata. Sicque magiſter ineptè dicitur is, qui in animo euertit illud idẽ, quod ore grandiloquo prædicat aduertendum. In ſimili argumento laudaui Chryſologum, qui quia opportunus, eſt etiam denuo reuocandus. *Magiſterium*, inquit, *ſtat de ſcientia, ſed magiſterij auctoritas conſtat ex vita.* Hactenus ille Sanctus, graphicè talem delineãs magiſtrum, qualem nactus erat in Patre Mathia Bellintani, Hieronymus Narnienſis, qui à magno illo viro didicit omnes partes optimi præceptoris. Vnde ſui ipſius magiſtri iudicio, iuuenis & inuitus Hieronymus Narniẽſis præfectus eſt in lectorem, immatura ſacerdotio ætate magiſter effectus, exemplo forſan hactenus inaudito.

Phalaris epiſt. 9.

Chryſolog. ſerm. 167.

Itaque delectu Mathiæ Bellintani, Hieronymus ſtudio Philoſophiæ præficitur, vt vtramque ſcientiam, vitæ ſcilicet, & ſermonis, alios edoceret. Aegrè admodum ſe aptauit huic oneri, cui ſuam videbat eſſe imparem ætatem: ne tamen ſuo deeſſet obſequentis officio, pudibundus homo iugum ſubijt, quod credidit impoſitum ſibi, ita Chriſto Domino diſpenſante. Ne autem deuius

aber-

aberraret ab intento Beati Patris Franciſci, ſuâ omnia ſtudia auſpicatus eſt ab animæ ſuæ cultu ſingulari. Dixiſſes Hieronymum inire nouum vitæ tyrocinium,& eſſe nouitium potius quàm magiſtrum: hoc nēpe ſibi negotium indixerat,ſuis diſcipulis non rutilo tātùm ſcientiæ lumini,ſed & coruſcis etiam moribus illucere. Suo ſic exemplo probans hoc Gregorij Nazianzeni dictum. *Certè*, inquit, *alios docere aggredi,priuſquam ipſi ſatis edocti ſimus, ac figulinam in dolio diſcere, hoc eſt, in aliorum animabus pietatem meditari & exercere, valde ſtultorum, aut temerariorum hominum eſſe videtur: ſtultorum, ſi ne inſcitiam quidem ſuam agnoſcunt: temerariorum, ſi cùm eam cognitam habeant, hoc tamen negotium aggredi non verentur.* Ita Gregorius. *Greg. Naz. orat. 1.*

In oratione frequens erat hic magiſter,diuinis adſtans officijs more Angelorum, quantùm patitur humana fragilitas: ſicque choro aſſiduus erat, vt ſtuperent omnes,quo modo ſufficeret indicto ſibi pēſo magiſter Philoſophiæ. Sed vt tempus Deo impenſum,ſemper in lucra cedit, ita ſacras fundente preces Hieronymo, hæc momenta Deus impertito ei dono ſcientiæ,magno cum fœnore compenſabat. Præter enim eximias naturæ dotes,quibus eminebat hic præceptor, inerat ei diuinitus hæc gratia, vt alijs inuiæ difficultates eſſent peruiæ eius indagini, quæ vt plurimum erat accenſa face precum: namque ſciebat, ea, quæ ſunt inconceſſa rationi humanæ, emendicato Dei lumine reſerari. Etenim Chryſoſtomo auctore, *Sicut Sol lucem præbet corpori, ſic animæ lumen eſt precatio. Proinde ſi cæco damnoſum eſt, non intueri lumen, & Solem, quantò grauius eſt homini Chriſtiano, ſi non aſſiduè deprecetur, neque Chriſti lucem orando in animum ſuum inducat?* Hæc ille. Rurſus,ne magiſtris dignitate typhus inſurgeret, prudens hic magiſter ætatis ſuæ non ſatis adhuc prouectæ memor,humilibus ſtude- *Chryſoſt. l. 1. de orando Deum.*

bat obſequijs,ijſdem videlicet,quibus ante ſuum lectoris officium ſedulus attendebat. Hoc præſertim de eo recolitur, quòd primus erat in ſordidis culinæ vaſculis emundandis, ſic electionis vaſa ſuos facturus diſcipulos, cùm diſcerent à magiſtro animas humilitate magis, quàm micanti ſcientiæ lumine commendari.

Hieronymus illa precum, & virtutis ſupellectile diues,ſe accinxit ad inſtruendos diſcipulos curæ ſuæ commiſſos. Vnde libet hic exclamare cum Sancto Ambroſio. *Quàm pulcher ordo, quàm plenus doctrinæ, & gratiæ. Non prius qui ſcrutantur teſtimonia eius,dixit: ſed, Beati immaculati in via. Ante enim vita, quàm doctrina quærenda. Vita enim bona, & ſine doctrina habet gratiam: doctrina ſine vita integritatem non habet. In maleuolam animam etenim non cadet ſapientia.*

Ambroſ. in Pſal. 118.

Non defuere Momi carpentes Mathiam Bellintani, quòd inaſpecto exemplo curaſſet, ſtudio Philoſophiæ præfici hominem, cui iunior ætas erat iniuria, vtpote quæ inexperta parum ad ritè obeunda magiſtri munia conducebat. Sed Hieronymus hoc præſtitit, exhibita probitate morum, vt neminem pœniteret conſilij, quo ſuffragante magiſter effectus eſt: quippe canos, & ſenectutem oſtendit, non debere vſquequaque peti ab annis,ſed ſenſibus, & vita prorſus vitijs illibata. Denique ſic ſe geſſit, vt partes omnes impleuerit, quas compendioſè Paulus Apoſtolus ſuo Timotheo diſcipulo, electo ad magiſterium,ſedulò commendabat. *Attende*, inquit,*tibi,& doctrinæ;inſta illis: hoc enim faciendo te ipſum ſaluum facies, & eos, qui te audiunt*. Quem locum verſans Ambroſius ſic illuſtrat. *Vt forma ſit omnibus, non ſolùm in bonis operibus, verùm etiam in doctrinæ exercitio admonet. Apparere enim debere ſignificat exercitij profectum, in doctrina duntaxat, & in geſtis. Bona enim arbor, bonos facit fructus. Similiter, & bona doctrina,mala opera ha-*

1. Timot. 4.
Ambroſ. in 1. epiſt. ad Timoth.

habere non poteſt; vt cùm viſa fuerint bona opera, Diuini magiſterij fructus eſſe intelligantur,& auditores poſſint proficere. Tunc vera enim, & intuenda eſſe intelligunt, quæ dicuntur,quando ab eo ipſo, qui docet magna veneratione obſeruari videntur. Hactenus ille.

Hieronymus in omnium virtutum praxi exercitus, magno hominum concurſu verbum Dei diſſeminat. Caput XXI.

SALOMON ea, qua cœlitus afflatus erat Dei ſapientia, fudit oraculum opportunum, in gratiam prædicatorum. *Bibe*,inquit,*aquam de ciſterna tua, & fluenta putei tui. Deriuentur fontes tui foras, & in plateis aquas tuas diuide.* Nota Salomonem commendaſſe prius aquas ciſternæ, & eas prætuliſſe frigidæ, cuius ſcaturigo ſalit ex puteo. Aqua nimirum ciſternæ cœleſtis eſt,vtpote fluuialis.Indubia ſanè res eſt,hoc loco ſcientiam nuncupari aquam. Vnde, quia duplex eſt ſcientia; vna videlicet, quæ pertinet ad res cœleſtes, & diuinas; alia verò, quæ attendit res humanas,& morales: ideo diuinus hic conſultor iuxta duplex ſcientiarum genus,duas etiam aquarum ſpecies indicauit. Aquæ ciſternarum deſuper influunt,ita & præalta rerum diuinarum notitia cœlitus irrorat.Huius generis ſunt lumina, quæ affulgent circa Dei amorem in nos, & circa omnia eius attributa, quæ meditata benè hominem afficiunt. Latices puteorum, & fontium cœcis terræ tubis,atque canalibus ſcaturiunt,& emergunt: ita diſciplina moribus inſtruendis idonea, Gentiles habuit,id eſt homines expertes fidei profeſſores. Vtraque debet eſſe ſcientia clarus prædicator, vſquequaque ſuo

Prou. 5.

 dignus

dignus officio. In hoc enim duplici cardine vertitur ſumma ſalutis noſtræ, quæ ab adultis hominibus nequit adſtrui, ſine aliqua peritia rerum cœleſtium, atque moralium, quarum prædicator ideas ingerit populo Chriſtiano. Hac cautela tamen diſpenſare debet aquas illas præco verbi Dei, vt ſe primum alluat, & abſtergat næuos animæ decori iniurios, antequam alijs diuidat hunc liquorem: alioquin periculum eſt, vt omnibus abundè potatis, marceſcat, & proinde malè diſpereat, huius incauti concionatoris anima ſitibunda.

Ex præſcripto Salomonis, aquas ſuas diſtribuit Hieronymus Narnienſis, homo reuera, ſi quis vmquam, ad prædicationem natus. Namque ſuis familiaribus, quos profectò raros habuit, ſolitus erat dicere, rem eſſe pudibundam, prædicatorem velle ſuadere virtutis affectum, in cuius antea praxi impigra ipſe prius minimè profeciſſet. Adijciebat, ſe præuijs actibus idoneis aptare, ad inſinuandum alijs ſtudium virtutis, ne quis ipſi pietatis inopiam obijciens, ſic longiores ſubſannando moras, in ſuo ſibi hactenus inolito vitio cauſaretur. Pudet me, inquiebat ille, ſolicitare homines ad ardua, ſi non præeuntis ago vices. Itaque Hieronymus noſter benè morem geſſit Sancto Hieronymo, cuius erat cultor eximius, & à quo didicerat, ſacerdotem, qui alios inſtituit, debere hoc præcipuè habere in votis, vt auditores aduertant, in eo ſermones, & opera concordare. *A mandatis, inquit, tuis intellexi: prius faciamus, & ſic doceamus, ne doctrinæ auctoritas caſſis operibus deſtruatur. Nec ſtatim abſoluta perfectio eſt. ſi quis ſuperhumerale, & rationale habeat. niſi hæc ipſa inter ſe forti compagine ſolidentur, & ſibi inuicem connexa ſint, vt & opera rationi, & ratio operibus hæreat, & his præcedentibus doctrina ſequatur, & veritas.* Hactenus ille ſacer inſtitutor præconum verbi Dei.

Hiero. ep. 2. ad Fabiol.

Dice-

Dicere auſim Hieronymum Narnienſem plura præſtitiſſe, quàm præfatus hic contextus exigat à doctore: ideoque mirum non eſt, ſi deterſo canale fontis, & ciſternæ, concurrerint gentes ad leuandam ſitim ſuam, ſecuræ illas aquas deſuper influxiſſe. Concurſus ille notus eſt omnibus, qui meminere ſacras conciones præconis huius ſacri. Vnam aut alteram recolam ciuitatem, vbi concionatorem egit, vt hinc aliarum vrbium propenſa erga Hieronymum indoles innoteſcat. Fulginea ciuitas nobilis in Vmbria quondam obſtupuit, ſuam amplam Eccleſiam non ſufficere ſibi, & alijs vicinis vrbibus, quæ confluxerant ad audiendum Hieronymum Narnienſem, qui toto decurſu Quadrageſimæ illic percelebres habuit more inolito conciones. Putaſſes eſſe illic indicta totius Italiæ comitia, & mulctam impoſitam tardè ſubeuntibus ædes ſacras, vbi Hieronymus ſacra Dei eloquia de pulpito populis explicabat. Nulla ferè dies abibat innoxia populo indiſcretè ſeſe gerenti ad occupanda loca ſibi propitia; quippe nullo magiſtratus habito reſpectu tanta plebis erat irruptio, vt nobiles è ſuis etiam ſubſellijs ab auido verbi Dei populo pellerentur. Eoque pietatis deuentum eſt, vt plures dum voluëre ſuæ animæ ſaluti conſulere, incurrerint in diſcrimen vitæ, nimio affluxu hominum oppreſſi. In his fuit vnus inter optimates nominatiſſimus, qui cordis deliquium paſſus, ferè exanimis à ſuis elatus eſt; hæcque tragœdia plurium oppreſſorum quotidie recurrebat. Tanta concionum Hieronymi erat vtilitas, vt ſpernerent omnes periculum vitæ, illecti commodo ſpiritali, quod redundabat in animas ſacro viri Dei pabulo ſaginatas. Multi ex longinquo ſuos obliti Lares, nolebant inde recedere, rati patriam eſſe vbicumque benè; ſicque vice nundinarum Quadrageſimale fuit tempus illic, populo mercante bona æterna, pro leui obſequio præſti-

to concioni. Ne autem nimio confluxu oppreſsi homines ſine ſolamine deficerent, lagenæ vini pendulæ in ædibus ſacris erant diſpoſitæ, vt aſpergine meri, fieret vegetior,& quaſi rediuiuus animus elangueſcens.

Profectò fuit prouidētiæ facinus Deo ſoli adſcribendum,quòd tanta coēunte plebe neſcia deferre viris illuſtribus, non emerſerint rixæ,iniuriæ,ictus incuſſi,& alia ſemina querelarum. Die Dominica Paſſionis inuectus acriter in vitia detraxit velum Crucifixi,qui pulpito ſolet infigi, & ſciſſo velo, particulas eius diſtribuit peccatoribus,vt ſic ſuum ſcelus obtegerent. Cum autem cœpiſſet vehementi zelo percitus emittere ſciſſuras,ait: Accipe tibi auare veli partem, qua detergas vitij altè inſiti fœditatem. Deo ſic moderante veli iactum, pars illa cecidit in hominem adeo auarum, vt eo nomine famoſus eſſet, & malè audiret apud omnes. Vnde adſtantes credidere Dei nutu hominem hūc fuiſſe ſic perſtrictum. Aliam denuo particulam fortiter eiaculans ait, Ecce tibi ò fœmina vana emplaſtrum, quo ſuperbiæ aſſuetæ tumor fortaſſe dehiſcet, & ad meliora conſilia conuerſo animo deprimetur. Dixiſſes inuiſibilem Dei manum, ſortes illas aptare ſuis quibuſque locis. quippe ſciſſura cadens in iuuenem fœminam pompaticè ornatam, & ſuo cultu nimio iniuriam famæ ſuæ, ſic eam affecit, vt reuerſa domum exuerit hunc ornatum, & depoſito faſtu modeſtis vſa ſit veſtibus, teſtata potens quantùm eſſet Hieronymus in vitia debacchando. Illa demum concione finita feruore quo cœperat, populus vt ſolebat, non receſſit tumultuans,& incondito clamore ſtrepens, ſubito egreſſu cauens alios à tergo inſtantes. Sed tota illa corona populi ingentis immota ſtetit,& velut interdicta loqui, vitæ retroactæ ſeriem omnem ſuſpirijs, atque crebris fletibus expiabat. Ipſi fratres Capucini,qui ſingulis quibuſque diebus duodeni confluebant ad con-

ſeſſum illum numeroſum, & peracta concione viſebant Patrem Hieronymum; illa die ſeſe recepere taciti in ſuum cœnobium, pertæſi omnia, quę ſunt mundi huius, & ad cœleſtia duntaxat votis omnibus anhelantes.

Altera Quadrageſima Tuderti prædicans, in eam ciuitatem innexit, etiam incolas vrbium vicinarum: tantus quippe rumor increbuerat præconis huius ſacri, vt concurrentibus vndequaque viris, videretur multis vrbibus ex vno licet pulpito prædicare. Aderat illic fœmina nobilis, cuius filium tulerat è medio inimicus. Sæuiens illa parens aliquot egerat annos omnis ſolaminis impatiens, eoque deuenerat, vt deſperata virus epotare vellet, mœrori ſuo conſcita ſibi morte peſſima conſultura. Religioſi viri, & magni nominis, illam ſic afflictam matrem adierant, vt eius animum inflecterent ad veniam: ſed illa pacis ineundæ cum homicida, nomen exoſa cane peius & angue, procul ſtatim amandabat illos feciales, ad ſuadenda cum infenſiſſimo mortalium fœdera concurrentes. Inualeſcente odio, mulier callum obduxerat, ſyndæreſis vel neſcia, aut prorſus incuria; ideoque nemo cogitabat amplius de ſuggerenda pace matri, quæ illatæ memor iniuriæ, impos erat ſui, & velut in rabiem acta, necem moliens inimici, ſæpe diris illum acerbo animo deuouebat. Mulier illa Patris Hieronymi fama illecta propoſuit audire vehemẽtem hunc cenſorem vitiorum: adfuit itaque die, quo recolit Eccleſia preces humiles fœminæ Chananææ. Hac concione mater illa furens antea, mitis effecta eſt, & propero greſſu ſacerdotem idoneum adijt, vt explicato vitæ ſuæ contextu, & venia inimico ſuo impertita, Deum ſic contrito animo demereret. Non ſemel & iterum, ſed ſæpe ſæpius Pęnitentiæ Sacramento gemebunda parens ſubdidit hoc delictum, refricans vltro veniam conceſſam homicidæ, magno ciuitatis applauſu, quæ ſtupebat fœmi-

minam, quam nemo parum emollire potuit, percul-ſam vna Hieronymi concione, manus illico dediſſe Deo, & nemine compellente, ſine fictione ſuo æmulo peperciſſe.

Exacta illa Quadrageſima, cùm Hieronymus ad cœnobium ſeſe reciperet, occurrerunt illi quædam fœminæ nobiles, in quibus erat hęc pręfata mulier, quę vrgente ſui ſceleris grauitate procidit ad pedes Hieronymi exclamans: Reuerende Pater, Ego ſum mulier Chananæa, facta tuo obſequio, & gratia Dei comite rediuiua. Ille blandè conſolatus fœminam pœnitentem; iuſſit eſſe bono animo, pollicitus ei ſuarum precum ſuffragium. Ibidem, id eſt, Tuderti prędicans feria ſexta maioris hebdomadę, tanto affectu expreſſit agones, & Paſſionem Chriſti, vt quid apud omnes profecerit, liquere queat vnius nobiliſſimę virginis exemplo. Illa ſic animo ſuo impreſſit iniurias Chriſto illatas, amoris hominum cauſa, vt repenſura vices mutuas non deſtiterit triduo toto querula lacrymari. Cùm autem Hieronymus audijſſet virginem illam triduanam pati inediam, veritus ne impaſta deficeret in lugenda morte Chriſti, ad eam miſit duos ex noſtris, qui ſuaſere modum poni indiſcreto illi ieiunio, quo incautè protracto ſalus poterat corporis, & animę temerari. Concionis huius de Paſſione Chriſti fuit epilogus, cenſura grauis in ingratos, qui detrectant obedire Chriſto: & hic pręſertim inuectus eſt in homines tardos imitari Dominum hunc mitem, qui moriens etiam largam indulſit veniam ſuis homicidis, & perfidis inimicis.

Illa plena zeli correctio in vindictæ auidos homines, ſic perculit auditores, vt eggreſſi foras certatim inuicem ruerint in amplexus & genibus flexis, illatas iniurias, hinc & inde fluentibus affatim lacrymis expiarint. Ideoque ſacerdotes à confeſſionibus dixęre, ciuitatem

illam

illam eſſe ita pacificam, vt nulla prorſus indigeret amnyſtiæ lege, qua quondam Athenis, ne quis in poſterum acceptæ iniuriæ memor eſſet, prouidè cauebatur. Sicque fecit vna concione ſua procul ab hac ciuitate ſimultates, & odia omnia citiùs exulare. Quia longum eſſet recenſere prodigia ſequuta conciones Hieronymi, prælibata ſufficient; vt liqueat, quàm fuerit ille potens in ſermone, cùm ipſo audito perditi, & facinoroſi homines, mutato propoſito receſſerint ab ædibus ſacris taciti ſemper, & ore gemebundo, ſua crimina deteſtantes. Gratiæ huius partem refundo in vitam innoxiam, quam agebat ille ſacer præco verbi Dei; quando nempe ſibi benè conſcius eſt prædicator, maioris eſt ponderis, & momenti in ſermone, cui & congrua opera ſuffragantur.

Eadem & mente fuit Gregorius exponens verſum illum Ezechielis, *Fili hominis ſta ſuper pedes tuos, & loquar tecum. Et audiui loquentem ad me, & dicentem: Fili hominis mitto ego te ad filios Iſrael.* Credidit Antiſtes ille pertinere locum illum ad prædicatores. *Iacenti*, inquit, *Prophetæ dicitur vt ſurgat, ſtanti autem præcipitur vt ad prædicationem proficiſci debeat. Adhuc enim nobis in infirmitatis confuſione iacentibus præberi non debet auctoritas prædicationis. Sed cùm iam in bono opere ſurgimus, cùm iam recti ſtare cœperimus, dignum eſt, vt ad lucrandos alios in prædicationem mitti debeamus.* Hæc ille Præſul, probè ſciens ſperni præaltos hominum diſcurſus, & ſermones, ſi eorum abiecta vita repit ſordidis etiam vulgi vitijs inquinata. *Greg. hom. 9. in cap. 2. Ezech.*

Ex præfatis, oſtendi mores Hieronymi, non fuiſſe pronos ad infima, ſed erectos ſurſum, quò & ipſe totus ferebatur animo tantùm cupido rerum cœleſtium. Vnde quia ſic ſurrexit, iuſſus eſt eloqui palàm ea, quæ Dominus illi cœlitus inſpirarat. Præeunte vita illibata

fuere

fuere grata eloquia Capucini huius, iuxta Gregorij ef-
Idem hom. 10 in c. 3. Ezech. fatum. *De illorum*, inquit, *ore prædicatio dulcis eſt audientibus, quando eorum actio contraria ſuis prædicationibus non eſt; quia de propria vita ſumunt, quod per linguam proximis conferunt. Liber, qui viſcera repleuit, dulcis in ore ſicut mel factus eſt; quia ipſi de omnipotenti Deo ſciunt ſuauiter loqui, qui hunc didicerint in cordis ſui viſceribus veraciter amare. In eius quippe ore Scriptura ſacra dulcis eſt, cuius vitæ viſcera mandatis illius replentur; quia ei ſuauis eſt ad loquendum, cui interius impreſſa ad viuendum fuerit*. Hæc ille, probans eruditè ſuo percitus œſtro, peti pondus, & momentum concionis à morum probitate magis, quàm à pompatica verborum ſupellectile, quæ cum vitæ defectu parum afficit auditores.

Heu quàm aberrant multi ſectantes auidè titulum hunc prædicatoris, qui reuera ſalutaris non eſt, niſi eum ſtipante toto virtutum choro, quo abſente profeſſio præconis Dei pietatis incurij vergit in præſens & ineuitabile animæ detrimentum. Hos ſic pungit laudatus
Greg. hom. 21. in Ezec. proximè ſemel & iterum Papa. *Fili Efrem*, inquit, *intendentes arcum, & mittentes ſagittas, conuerſi ſunt in die belli. Intendunt arcum, atque ſagittas mittunt, qui Scripturæ ſacræ ſententias proponunt, & verbis rectis auditorum vitia feriunt. Sed conuertuntur in die belli, quia poſt ſemetipſos redeunt in tentatione vitiorum, & pectus opponere non volunt, quia in tentationum certamine non reſiſtunt*.

Cùm ergo vita Hieronymi coruſco pietatis lumine præfulſerit alijs, conciones eius, vt faculæ ardentes, pendentes narrantis ab ore eius homines accenderunt. Vnde mihi opportuna datur anſa refundendi in Hieronymum illud egregium ſymbolum, quod viſere eſt apud Bargaglium. Pingit ille ſpeculum terſiſſimum Sole deſuper irradiante lucens, & hoc lumine cœlitus accepto

incen-

incendens ſtupam, ad concipiendum ignem, eodem ſpeculi reflexo lumine præparatam. Adiectus erat picturæ titulus hic. VNIVS SPLENDOR, ALTERI ARDOR. Fuit profectò Capucinus ille memoratus ſpeculum virtutis omnimodæ, næui cuiuſuis impatiens, ideoque Dei gratia deſuper affulgente ſuos radios ſpargens, & diffundens ex pulpito, auditores eius, amore Dei, virtutum eius conſcij facilè conflagrabant. Sicque verè VNIVS SPLENDOR, ALTERI ARDOR erat, quando reſplendens in Hieronymo virtus cultores eius, ad ſtudium pietatis, velut admotis ignibus accendebat.

Prædicatori quàm bene quadret hoc ſymbolum, Bernardus aperit, hoc contextu. *De Ioanne*, inquit, *ſcriptum eſt: Erat ipſe lucerna ardens, & lucens. Magnum teſtimonium. Eſt enim tantùm lucere, vanum; tantùm ardere, parum; ardere & lucere, perfectum*. Hactenus ille fusè enarrans, vnde prædicatoris voce reſonante, auditoris animus incaleſcat. *Bern. ſerm. de nat. Io. Bapt.*

Paulus Quintus Pontifex in prædicatorem eligit Hieronymum, & hunc ſacro Cardinalium Collegio perquam gratum. Caput XXII.

EST memoranda ſanè ſolennitas illa, quam in delectu ſuorum miniſtrorum adhibuit Rex Chaldæus Nabuchodonozor. Vt inueniat hæc cautela fidem apud homines incredulos, operæpretium eſt illam ex ſacro Codice recenſere. Ecce ſeriem hiſtoriæ. *Ait Rex Aſphenez præpoſito Eunuchorum, vt introduceret de filijs Iſrael, & de ſemine regio, & tyrannorum, pueros, in quibus* *Dan. 1.*

bus nulla eſſet macula, decoros forma, & eruditos omni ſapientia, cautos ſcientia, & doctos diſciplina, & qui poſſent ſtare in palatio Regis, vt doceret eos literas, & linguam Chaldæorum. Summi Pontifices vt ſuperant dignitate Reges, ita & nobiliore ritu voluere ſibi decerni miniſtros, & præcones Verbi Dei. Ille nimirum, cui incumbit prædicare in ſacro Palatio, adſtante Summo Pontifice ſtipato ſuo ſacro Collegio. Ille inquam prædicator Apoſtolicus debet eſſe ſine macula, id eſt, apud omnes virtutis nomine celebratus. Rurſus ad virtutis hunc cumulum, debet accedere multiplex ſcientia, cuius argumenta præfulſerint alijs in pulpitis. Denique ſingulares corporis & animæ dotes inſignire debent eum, cui eſt cura Apoſtolici pulpiti demandata.

Paulus Quintus vt infulas & pietatem Clementis induit, Capucinos ſemper amore proſequutus eſt ſingulari; dicebat enim religioſos illos in monte Quirino ſitos, afflare ſuo palatio vicino Capucinis ſuauem virtutis omnigenæ fragrantiam, qua recreabatur eius animus vſquequaque. Itaque propenſus & benè affectus erga religionem noſtram, dignus profectò Sede Petri Pontifex, vnum ex noſtris ſanxit habere ſibi in prædicatorẽ, ſuumque votum in gratiam Ordinis noſtri conceptum Patri Generali citiùs intimauit. Præpoſitus ille Generalis non hæſit in delectu; namque primus ei occurrit Hieronymus Narniẽſis, vtpote partibus omnibus accinctus, quas depoſcit illud munus, ad quod obeundum, vt par erat, idoneum hominem Pontifex inde nobis gratior expoſcebat. Hieronymus adſcitus adeſt, & ſiſtitur Paulo Quinto; qui primo eius aſpectu ſubodorans inhabitantis illic *gratiæ diuinæ ſuaueolentiam*, ſenſit ſe erga virum hunc maieſtate grauem, & venerandum, cœlitus inclinari. Aliàs Romæ prædicarat in æde ſacra Regi Galliæ Sancto Ludouico, nec dũ exoleuerat eius

fama,

fama, noua ſemper capiens incrementa. Concors Cardinalium chorus applauſit intento Papæ, quippe notus erat eis Hieronymus, vtpote ab eis ſæpius aliàs exauditus. Cùm namque Romæ prædicaret in Eccleſia noua, vna die conuenerũt ad eius concionem viginti duo Cardinales, quod profectò fuit res hactenus inaſpecta. Etenim Cardinales non turmatim eunt ad particulares Eccleſias concionis gratia; ſed illecti fama viri tanti, ad eum certatim ſacra ferè omnis purpura confluebat.

Vt in vrbe reſcitum eſt, Hieronymum Narnienſem eſſe deſtinatum ſacro Palatio, conglobatim eum audituri illuc Cardinales, Prælati quique, & nobiles aduolarunt. Res erat operoſa ſatis Hieronymo, temperare zelum ſuum, & eo ſale ſuas condire cenſuras, vt neminem offenderent, & tamen ad meliorem frugem auditores inducerent. Verumenimuero voti compos effectus eſt homo prudens, ſic moderando zelum deſtructis vitiorum propugnaculis, vt virtutis pomœria maximè propagarit. Prædicatores alij tot cenſores habere ſolent, quot & auditores: nemo namque compoſitus eſt ad omnium hominum nutum. ſed vnico fortè ſibi dato priuilegio, Hieronymus Narnienſis tot habuit præcones meritórum ſuorum, quot homines adſtiterunt ei, in vitia ex pulpito debacchanti. Tot habuit hic ſequaces, vt aula ſacri Palatij tribus horis ante patris aſcenſum in pulpitum, affluente populo redundaret. Vt nullas nouere moras auidæ mentes boni alicuius inſtantis, ita cõſcij omnes gratiarum, quæ influebant in animas audientes eloquia ſacra Hieronymi, ſeſe audacter ingerebant in ſacrum Palatium, audituri oracula, quæ vir ille Dei ſpiritu percitus effundebat. In eo præcipiti concurſu hominum Eminentiſſimus Cardinalis Torrez, aëre tepefacto halitu adſtantium, paſſus eſt animi deliquium, quo indubiè defeciſſet exanimis ſine præſenti auxilio.

Non

Non ſic opportunè ceſſit medico Eminentiſſimi Cardinalis à Sabaudia, qui in hac aula, populi frequentia oppreſſus poſtridie animam efflauit, hoc nomine fœlix, quod cauſa necis eius, id eſt, cupido audiendi verbum Dei, fuit indubiè ipſius animæ ſalutaris. Medico hoc ſublato de medio, præfatus Cardinalis dicere ſolitus erat non ſine diſcrimine vitæ adiri ſimul, & audiri poſſe Hieronymum Narnienſem. Etenim dum beneficio concionis huius oraculi, ſinguli quique ſuæ volebant animæ conſulere, de corporis cura parum ſoliciti audacter intrabant aulam illam ſacram, omnes difficultates aditus fortiter eluctati.

Vt iret obuiam periculis indubijs, in quæ adſtantes Hieronymo incurrebant, Legatus Regis Chriſtianiſſimi, annuente Summo Pontifice, aptare ſibi fecit feneſtram, ex qua tuto particeps erat concionum, quas plerique ſuæ vitæ diſpendio mercabantur. Cuius ponderis & momenti fuerint eius eloquia, conijcere eſt, per paucis hiſtorijs, quas ab ouo recolam. Homo hic imberbis adhuc, & ætate infra ſacerdotium prædicauit Interamnæ toto Quadrageſimæ tempore; tantoque amore Dei afflatus eſt, vt exacta Quadrageſima, viginti ſex iuuenes adierint Capucinos, dato libello repudij mundo, in quem audierant Hieronymum tam validè declamantem. Vbicumque conciones habuit, illic fatigauit omnes ſacerdotes à confeſſionibus, inductis hominibus ad retroacta vitia deteſtanda. Sed vt conſeſſus ſacri Palatij eminebat alijs, ita & maiori longè cura ſe aptabat ad diſſeminandum verbum Dei Pontifici, & ſacro Collegio. Præcipuum eius ſtudium erat concipere Dei afflatum, vt ſacri huius flaminis obſequio, & ſcintillis, obiectas ſibi animas inflammaret. Prædicator ille anhelus ad maiorem Dei gloriam, Deo etiam ſemper propitio vtebatur: nemo namque ſibi ſimilis exibat in-

de,

de,ſed religioſi accingebant ſe ad maiora, facinoroſi verò omnes abiurabant illic affectus ſuos iniquos, & ſubſequente confeſſione,ſua piacula fletibus abſtergebant.

Aduertit ille ſemel,in curia plures eſſe Cardinales incurios ſuas viſitare ſedes Epiſcopales,& parum inibi demorari, magno vtique detrimento ſubditarum ouium, quas malè paſtas dæmon,lupus equidem rapax,abſente Præſule iugulabat. Credidit ille ſpeculator eſſe è re ſua ſuadere Epiſcopis, vt reduces in ſuas ſeſe caulas maturè reciperent. De hoc argumento ex profeſſo concionem habuit,ea contextura factam, vt ea peracta plures Cardinales ipſo momento Pontificem adierint, vt obtenta facultate ſuas ſedes inuiſerent, illic in poſterum perpetuo moraturi. Aliàs inuectus in Præſules,qui ſacras Eccleſiæ gazas profanis vſibus impendebant, cùm ſint vota fidelium, patrimonia pauperum, & pretia peccatorum;multi adſtantes ingemuere ſibi,& propoſuere ſuorum prouentuũ partem liberali manu in pauperes erogare. Vrgente ſyndæreſi, quidam Archiepiſcopus malè ſibi conſcius, & pœnitens facti, gemebundus in palatium ſuum redit,& conuaſata ſua omni ſupellectile,egenis illam diſtribuit,paratus & quadrigas dimittere, ſi ſic viſum eſſet Hieronymo pauperum prouido conſultori.

Ea libertate verax ille præco ſuas agebat partes, vt fremerent omnes Cardinales,ipſo ſaliente in pulpitum. Eminentiſſimus Cardinalis Farneſius ſæpius eſt teſtatus, ſe Hieronymum Narnienſem prædicantem in ſacro Palatio ſemper tremulum aſpexiſſe. Eodem & tremore perculſi plures Antiſtites eiuſdẽ Collegij,ſtupebant inopem Capucinum eſſe terrori Collegio, cuius purpura Regibus eſt honori. Illo prædicante multi amanuenſes conducti,arrectis auribus, & ſtylo veloci concionis eius ſumma capita deſcribebant. Antequam Prædicator ſe in conſpectum daret, murmure ingrato tota reſonabat

aula

aula Palatij, iſtis querula voce mœrentibus ſe importunè premi, alijs altè rogātibus, vt fieret copia ſuas adeundi ſedes, & hi prænobiles erant: denique nemo tacitus erat. Sed illico componebatur omnis hic ſtrepitus, ſtatim atque Hieronymus omnium oculis è pulpito ſiſtebatur. Idcirco Romæ iſtud adagium increbuit, ſcilicet eſſe penes Hieronymū Narnienſem præſens remedium contra ſtillicida capitis & catharros: namque viro hoc prædicante nemo indulgebat tuſſi, nec ſpuebat; ſiquidem tanta virtus erat eius eloquij, vt ad ſcopum præſtitutum ſibi inuitos etiā raperet auditores. Peracta concione pater Hieronymus ad ſuos rediturus, ægrè penetrabat aulam Palatij, quippe fores Prælatis erant obſitæ, qui omnes pietate in eum inducti, pallio eius oſcula miſta fletibus infigebant.

Inter omnes encomiaſtas Hieronymi Narnienſis, Bellarminus excelluit. Siquidem ille Cardinalis pietate, & doctrina famoſiſſimus, vtpote notus orbe toto. Vir inquam ille magnus, ſi quis vnquam, dicere ſolitus erat, Deum ſuas diſtribuendo dotes, eas dare velut ad trutinam, ita vt defectu rei alicuius haberent omnes humiliter de ſe ſentiendi locuples argumentum. Sed hanc prouidendo cuique manum alijs parcam, fuiſſe prodigam erga Hieronymum, quia nullius omnino gratiæ penuriam patiebatur. Præter enim virtutes omnes, in quarum palæſtra erat à teneris vnguiculis exercitus, nactus erat habitum oris ea maieſtate, quæ decebat hominem perilluſtrem: voce ſonora fuit, & tanta, quanta potuit concludi à ſacris ædibus, quantumuis ſpatijs ampliatis. Inſita ſibi facundia conciones ſic texebat, vt adiecto lepore dictionis, quam habebat peruenuſtam, benè ſuada loquela ſibi cōciliaret affectum omnium auditorum. Dixiſſes, omnia confluxiſſe in Hieronymum, quæ conducunt ad elimandum præconem verbi Dei. Vnde paucis

cis plurima cõnexurus ait Bellarminus: Si Paulus Apoſtolus rediuiuus Romæ prædicaret eodem Quadrageſimæ tempore, quo & Hieronymus Narnienſis Capucinus, ego vtrumque alternis audirem; videlicet vna die Apoſtolum, & altera Capucinum.

Ex eadem inclyta Societate Ieſu, vir inſignis occinit Bellarmino. Ille fuit Pater Arnulphus Gallus, Regius Prædicator, & quondam Regis Chriſtianiſſimi Ludouici à confeſſionibus, homo omni ſcientiarum genere tinctus, & qui præcipua Galliæ pulpita ſuis meritis occupauit. Ille delegatus Romam, in animum ſuum induxit audire Capucinum illum, quem fama loquax, tot & tantis laudum titulis efferebat. Itaque maturè ſe contulit in aulam ſacri palatij, vbi locum idoneum nactus, attentè audijt Hieronymum; & illa die velut in ecſtaſim raptus ſubinde repetebat has voces: Ego audiui Paulum Apoſtolum, nec credo Paulum in humanis, dum vitia perſtringeret, ſtylo ditiore potentiùs in ſceleſtos homines intonuiſſe. Luculenta ſanè laus eſt, laudari à laudatis, & à quibus abeſt omnis ſuſpicio aſſentationis. Cùm ergo Bellarminus, & ille Pater Arnulphus iudices idonei, & æqui meritorum æſtimatores, Hieronymum Narnienſem cum Paulo Apoſtolo compoſuerint; liquidò eſt in eum neceſſarias omnes ad prædicandum, animæ dotes, & corporis influxiſſe.

Sacri palatij mos eſt, vt peracta concione prædicator in cubiculum inducatur, vbi eſt menſa opiparè inſtructa rebus, quæ conducunt ad reparandas vires paſſas aliquod proxima actione deliquium. Vt vocis limpidæ tenor ſit ſuauis, illic proſtant ſyrupi & confectiones omnigenæ, quippe ſalus hominis huiuſmodi, eſt vtique modis omnibus adſtruenda. Hieronymus intactis omnibus hiſce cnpedijs, ieiunus ad ſuum cœnobium inde recedebat. Quanta verò ſit intercapedo ſoli diuidens

ſacrum palatium,& Capucinorum ædes in monte Quirino ſitas, Roma nouit, attonita videre ſenem exacta ſua prædicatione redire impaſtum, & peditem, vdo plerumque cœlo, duo circiter milliaria conficere, cuncta ſibi oblata ſolatia reſpuendo. Illo redeunte ſemel de ſacro palatio, & ex prædicatione ſatis fatigato, ſubita pluuia exorta, virum hunc multa infirmitate grauem, & ſubiecto viæ luto nutantem, ſic aſperſit, vt imbre copioſo madefacta tota veſtis vbertim defluentibus aquis, vndique deſudaret. Veſtigio lubricante pater ægrè admodum ad proximas ædes ſe recepit. In illo diſcrimine poſitum eminus agnouit Cardinalis Torres, qui citato curru aduolans, vltro lubenſque deſcendit,& Hieronymum veſte madente vitæ periculum incurrentem orauit enixè, vt eodem curru vecti ambo peterent proximum ſuum palatium, vbi ſeorſim pater in idoneo cubiculo ignis luculenti obſequio veſtes madidas exſiccaret. Subridens Hieronymus ait, Illuſtriſſime Domine ſuperſede, nec faceſſe mihi negotium: gratis enim ex pulpito homines induco æquo animo ferre dura, ſi recuſo duriora pati. Benè, inquit Cardinalis, ad arbitrium tuum te caſtiga, quando tui iuris eris: ſed iam noſtra intereſt prouidere prædicatori noſtro, cuius vita labat,& in præceps abit, ſi non ei ſtatim foco accenſo ſuccurritur. Ad hæc pater in ſua veſte natans ſubijcit: Si mihi conſulis, abi cito, vt citius ego petam cœnobium: malo quippe mori pedes, iuxta meæ regulæ inſtitutum, quàm eadem viuere regula temerata.

Cardinalis illacrymans ſuum repetijt currum, ſtupens infractum animum viri, quem impauidum feriebant ruinæ nubium effuſarum. Sæpe ſæpius ſubijt hoc diſcrimen imbrium, ita vt cœnobium madidus intraret, ſuæ ſic incurius vitæ, dummodo ſalutem aliorum arduæ virtutis exemplo præſtito procuraret. Cùm itaque fini-

to

to ſermone, ſuum in cœnobium tacitus, & ieiunus rediret homo, manibus, & oculis benè compoſitis, omnes ſubmurmurantes adinuicem dicebant: Ecce ſecundam Hieronymi concionem: prima fuit ore facundo, hæc eſt actione fœcunda, & fœta virtutibus. Subitus namque receſſus è ſacro Palatio hominem prodit humilem, & ſobrium, Dei cauſa tantùm, & non hominum gratia prædicantem. Hæc concepta de Hieronymi virtutibus opinio, magnum conciliabat eius concioni pondus: auditores quippe animo verſantes, eum eſſe hominem Deo afflatum, nulla ferè mora interpoſita ad illius arbitrium ſeſe totos ſtudebant effingere, gerendo morem ſanis eius monitis incunctanter. Illo prædicandi ritu Hieronymus ſpeculatoris ſacri partes omnes impleuit, eas vtique, quas meminit Papa Gregorius, hoc diſcurſu. *Nota*, inquit, *quòd eum, quem Dominus ad prædicandum mittit, ſpeculatorem eſſe denuntiat. Cui enim aliena cura committitur, ſpeculator vocatur, vt in mentis altitudine ſedeat, atque vocabulum nominis ex virtute actionis trahat. Non eſt enim ſpeculator, qui in imo eſt. Et quiſquis populi ſpeculator ponitur, in alto debet ſtare per vitam, vt poſſit prodeſſe.* Greg. homil. 11. in Ezec.

His præfatis, adijcio, ſpeculatoris principale munus eſſe, ex edito loco, intrepida voce ſi viderit hoſtem, alios admonere. Hoc & officium luculenter egit Hieronymus, acriter inuectus in vitia, quæ ſunt capitales hominum hoſtes. Nemini indulſit, ſed omnes cuiuſuis generis homines, ſemper appendit ad eandem veritatis trutinam. Et eſto forent delicata argumenta, quæ verſabat in pulpito, nullus vnquam ei inuſſit titulum imprudentis. Cùm præſente Summo Pontifice, & ſacro collegio prædicabat, hæc erant præcipua capita cócionum: De reſidentia Epiſcoporum: De peccato Prælatorum, qui Eccleſiaſticas opes conſanguineis imper-

M 2 tiunt:

tiunt: Quàm ſit execrabilis, & damnandus luxus in Prælatis: Ad quem virtutis apicem Præſules obſtringantur. Tanta vehementia ſpiritus ille præco decurrebat hæc themata, vt eius capiti metuerent multi, neſcij Pontificem, & Cardinales conſcios, hunc hominem, Dei flamine percitum, nullis omnino vitijs indulgere. Ea libertate fecit, vt Euangelica reſonante tuba oppugnatæ ſint multæ dæmonis arces, & corruerint alta mœnia vitiorum.

Auguſt. ſerm.106. de tempo. tom.10.

Factus eſt ſic Auguſtinus in noſtro Hieronymo voti compos. *Nunc*, inquit, *oportet, vt ciuitas mundi, id eſt, ſuperbia cum ſuis turribus, auaritia cum omnibus concupiſcentijs malis corruat aſsidua ſacerdotum prædicatione.*

Hieronymo conueniant nec ne præfata tubæ encomia, non eſt inficiandi locus, cùm ex præmiſſis ſacerdotes à confeſſionibus teſtati ſint ſæpe, ſe non ſufficere hominibus, qui audita concione viri huius, ſua piacula ſuſis etiam lacrymis abiurabant. Ideoque placet illi tubæ myſticæ coaptare figuram, cuius meminit Ferrus, recenſens tubam depictam in tabula, titulo hoc deſuperimminente. INSENSATA MELOS. Namque tuba ſenſus omnis expers, ſpiritu aliunde deſumpto modulos & concentus edit, ad arbitrium eius, quo afflatur. Ita fuit Hieronymus: nihil omnino dedit ſenſui, & carni, ſed ſpiritu diuino afflata tuba fuit, quæ INSENSATA MELOS proficuum, atque gratum ingeſſit auribus auditorum. Quemadmodum Rege Saüle furente dæmon abibat, occinente Dauid: ſic Hieronymo prædicante foras trudebatur ille nequam ſpiritus, & ſæua cupido vindictæ, quæ in rabiem plerumque feros homines agit, illico ceſſabat, hac tuba myſtica perſonante.

Ferrus 2. part. Theatri.

1. Reg. 16.

Paulo Quinto mortuo, Gregorius ſucceſſor eundem Hieronymum confirmat in pulpito ſacri Palatij. Caput XXIII.

ITA more maiorum inoleuit, vt inaugurato nouo Pontifice Maximo, Roma renouetur, & præſertim in his, quæ pertinent ad ſacrum palatium. Sublato itaque Paulo Quinto Papa virtutis emeritæ, credidit Hieronymus Gregorium adſcito alio prædicatore ſuo ſic pulpito prouiſurum. Vt namque de ſe ſentiebat humiliter, non eò præſumptionis ſeſe imprudens euexerat, vt crederet, ſe poſſe diutius prædicandi munus in primo totius mundi pulpito propagare. Rurſus erat corpore infirmo, & fracto ieiunijs, atque vigilijs, ſexagenarius erat, & Capucinus annos quadraginta duos exegerat, ætatis ſuæ, religionis magno pondere fatiſcentis. Seceſſus amans homo pertæſus omnem ſæculi pompam, reliquum æui ſui deſtinabat orationi, & vitæ ſeorſim actæ, & neſciæ dignitatum. Verumenimuero Gregorius Pontifex æmulatus zelum Pauli, credidit eſſe è re ſua, reddere ſacro palatio præconem, cui mors Pauli Quinti libertatem dederat abeundi. Inuitus itaque Hieronymus præficitur huic muneri, vim paſſus Romæ, vbi aliàs lege militari, veterani, id eſt, quinquagenarij ſoluebantur ſacramento militiæ; vt qui vegeta ætate bono Reipublicæ militauerant, tandem corpore effœto ſibi, & ſuorum commodis inſudarent. Hæc lex à Seneca recenſita placuit & Perſis, qui ex Strabone, & Xenophonte dabant vacationem militiæ omnibus

 bus

Senec. l. 2. de breuit. vitæ Strabo l. 15. Xenoph. lib. 1. Cyropædiæ Cornel. Nepos in vita Pomp. Plutarch. in Camillo.

bus natis quinquaginta annos. Priuilegio legis Pomponius Atticus ſexagenarius, auſpicante Cæſare ciuile bellum, pacatam domi vitam egit, licet Roma furente tota, & morituræ præſcia libertatis.

Tamen non ſine exemplo Romano Gregorius Hieronymum ſexagenarium priſtinæ militiæ addixit. Quippe Camillus ex Plutarcho, magna mole congreſſurus cum Volſcis, & Latinis, ſeniores, quibus adhuc ſupereſſet virium, & virtutis, in ſua verba iuratos centuriauit, & intermiſſum præliandi munus eos voluit inſtaurare. Igitur vrgente Pontifice vir grandæuus, & varia infirmitate grauis, denuo redit in palæſtram, toto non annuente ſolùm, ſed & applaudente ſacro Collegio, cui apprimè notus erat ille Dei præco, cuius vt ſaluti Papa conſuleret, ſanxit, vt ex ſacro palatio cibi lautiores quotidie deferrentur in cœnobium Capucinorum, vt Hieronymus pinguiore cibo vires infirmo corpori procuraret. Sed ille ſagax, & ſedulus animæ tam cuſtos, quàm corporis incurius, has omnes pontificio apparatu dapes integras, & intactas mittebat infirmis, communi fratrum victu vtens, & parcè; nam tres dies impaſtos agebat ſingulis quibuſque hebdomadis Quadrageſimæ; eratque mirum, prædicationi poſſe ſufficere hominem ſenem, inediæ, morbi, & laboris immani pondere fatigatum.

In hoc agone, Dei præſens expertus eſt auxilium. Etenim podagra tumente pede vtroque, durum erat adire palatium: ille tamen non deerat officio, ſed vrgente zelo ſalutis animarum lento gradu ibat, morbo, quo angebatur aſſiduè, inducias aliquales, ſed modicas indulgente. Duobus tunc erat ſtipatus ſocijs, quorum vnus à tergo eum pellebat in aſcenſu palatij, & alter antecedens, fune, quo præcinctus erat, vt faciliori negotio ſcanderet adiuuabat. Tali obſequio confectis gradibus,

cor-

corpore feſſo ſubridens aiebat ſocijs, Ego bouis inſtar ad macellum ducor. Tandem hora inſtante, qua tonandum erat, tota Romana curia adſtante, nemo planè dixiſſet deeſſe ſeni quidpiam eorum, quæ conducunt ad ſalutem corporis vtentis vegeta ſanitate. Quippe rubens facies, vox ſonora, latera firma, & expeditus brachiorum motus, erant ſigna luculenta ſatis, vt hominibus illic adſtantibus imponerent; & ſartam tectam ſanitatẽ eſſe ſeni & multifariam fracto corpori prædicarẽt. Eam ob rem omnes conſcij infirmitatum eius, credidere prodigium, quòd homo effœtus ſufficeret huic operi, quod reuera Dei totum erat, cui ſemper, & præſertim inſtante momento, quo ſe accingebat ad pulpitum, ſe ſuaque omnia commendabat.

Eo inſtanti ſocius eius, ex proximo cubiculo ſemper audiens illum plus ſolito gemere, & quidpiam voce modica ſed anhela in Deum repetere; acceſſit ad occluſam ianuam tacito greſſu, & curiosè inſerto oculo foramini ſeræ, vidit Hieronymum humi proſtratum, in has voces feruidas erumpentem: Domine Deus, ſi in hac concione quæro quidpiam alienum à gloria tua, fac vt confundar. Si verò ſecus vnum te Deum præſtituo mihi in ſcopum huius actionis, adeſto mihi propitius, vt pro voto ſuccedat opus vni tuæ tantùm gloriæ conſecratũ. Hoc breui iaculo emiſſo in cœlum, humili oſculo terræ dato, ſic ſurrexit de diuino certior auxilio, quo fretus auſpicabatur concionem, velut immemor ærumnarũ, quæ effœtum corpus antea lancinabant. Hoc ſingulare fuit Hieronymo, quòd vt prædicantibus Apoſtolis aduenæ omnes audiebant idioma ſuum; ita concionante Capucino hoc præfato, omnes ex cumulo cenſurarum, in quibus multus erat, aliqua ſemper ſaluti ſuæ congrua referebant. Dixiſſes ſingulos quóſque homines alloquutum, & ſi ſuos quiſque Manes patiatur longè diuer-

ſos ab alijs. Quia Deo inconſulto nihil dicebat, idcirco Deus ſic moderabatur, & diſpenſabat eius conciones, vt ſuggereret ſemper omnibus opportuna. Eam ob rem Bellarminus cultor egregius Hieronymi, quem apprimè norat, dicebat hominem hunc illuſtrem, eſſe Dei donum ſingulare, quo dignatus Eccleſiam prouidebat ei luculenter, concionum eius obſequio, & integritate vitæ, qua coruſcante rutilo ſplendore virtutum omnibus illucebat.

Increbuerat fama, virum hunc magnum exoſum conſortia hominum, vni Deo ſemper attendere in ſui cœnobij choro, vel reſidere in cella vacando libris idoneis ad contexturam concionum. Eadem fama loquax ſparſerat inediam eius alternis diebus hebdomadæ cuiuſque Quadrageſimæ, ita vt vno die ſemel modicè paſtus, nihil omnino cibi, aut potus die poſtera deguſtaret. Alia & multa rumor diuulgarat, quæ huic præconi verbi Dei tantam conciliauere gratiam hominum, vt eum vidiſſe ſatis eſſet, ad virtutis excolendæ propoſitum conſtans, dubijs etiam mentibus ingerendum. Illa nimirum eſt indoles animarum in his, quæ pertinent ad conciones, vt primo manus attendant, ſint expeditæ nec ne, ad bonorum operum praxim; deinde ſcrutentur eloquia, vt ex concordia vitæ, & ſermonis ferant ſententiam. Parum namque prodeſt concio præconis incurij virtutum, & vitijs infecti, bona tamen ore diſſono prædicantis. Eam ob rem, vt prælibaui, Hieronymus virtutum manipulos congeſſit in horrea, antequam conciones eius ſurgerent in cumulos; & id iuxta Patrum ſanctiorum conſilium, ne deficiente requiſita virtutum ſupellectile, debito fructu ſuo doctoris incongrui concio defraudetur. Si qui confluunt ad præcones huiuſmodi egenos gratiæ Dei, illud eſt tantùm, vt auribus indulgeant, quæ pruriunt ſermonum

num curioſi hominis appetitu.

Audiendus in eo argumento Chryſoſtomus. *Perquàm facilè eſt*, inquit, *docere verbis, doce me vita tua. Hæc doctrina optima eſt. Non enim ſic inſident animæ verba, ac opera.* Chryſoſt. homil 30.

Chryſoſtomi fuit æmulus noſter Hieronymus, vtpote magis auditorum fletu gaudens, quàm affatu magniloquo, in laudem ſuarum concionum, quarum præludia fuere bona ſemper opera, ſcilicet arcta ieiunia, iugis oratio, & alia multa corpori ingrata, fortiter eluctata. Vnde potens in opere & ſermone fidem fecit Gregorio dicenti, Deum inſtruere factis, & dictis eos, qui vt par eſt annuntiant verbum Dei. Ille locum illum Iob verſans, *Numquid præbebis equo fortitudinem, aut circumdabis collo eius hinnitum?* Ita commentatur in gratiam concionatorum, qui opere, & verbo alios antecellunt. *Quid eſt*, inquit, *quod huic equo Dominus ſe prius dare fortitudinem, & poſtmodum collo eius hinnitum circumdare aſſerit? Hinnitu enim vox prædicationis exprimitur. Verius autem quiſque prædicator ante, fortitudinem, & poſt, hinnitum accipit: quia cùm prius in ſe vitia extinxerit, tunc pro erudiendis alijs, ad vocem prædicationis venit.* Ita Gregorius explicat indiuiduum bonorum operum nexum cum ſermone, ne concio ſuo fructu cadat, cùm viderint auditores eloquia prædicantis, eius vitio, & torpore virtute congrua viduari. Gregor. lib. 31. Mor. cap. 11.

In prædicante ſola vox eſt fœminina, opus vero bonum maſculum quidpiam verbis adijcit, & inde proles legitima Chriſto Domino mancipata. Quia ergo fuit in Hieronymo Capucino ratum fixumque ſemper operum, & ſermonis coniugium, ſoboles hinc emerſit, & equidem multa, tali digna conſortio. Præter enim Paulum Quintum Pontificem maximè addictum Hieronymo, Gregorius Papa conſcius meritorum eius, tanti fa

ciebat

ciebat conciones huius præconis ſacri, vt nunquam ex prædicatione recederet, quin aliquid ſalutare notaſſet pertinens ad regimen Eccleſiæ; & ne animo ſanum conſilium fortè fugax excideret, à concione ſolus in ſuo cubiculo redux, in ſchedulis placita ſibi ſermonis capita deſcribebat. Pontifex hic anxius de ſanitate ſui præconis, curam verè patris agens, ſciſcitatus eſt quale genus vitæ prædicator hic iniret. Vt audijt, illum ter tantùm, & modicè paſci ſingulis hebdomadis; ſtatim obſtupuit, illi poſſe vires ſuppetere idoneas operi, quod corpore viuaci fortiter exantlabat. Sed ne triduana illa inedia conficeret hominem, aliunde parum podagra lancinante ſanum, Pontifex ſanxit, vt in poſterum tribus his diebus, quos impaſtos agebat, aliquid acciperet. Ille ſciens obedientiam eſſe potiorem victimis ſpõtaneis, arcto pane, & aqua breui dies illos ſic diſtinxit, vt non deſineret extincta fames, ſed ſoporatus, his ſtimulis acrior ſurgeret appetitus

De corpore ſuo parum ſolicitus ille Dei præco, curam ſuam omnem refundebat in ſalutem animæ ſuæ, cuius puritati, qua poterat exquiſita ſolertia, oratione iugi, & longa inedia prouidebat. Dum illibata foret anima, ſciebat & futuras conciones ſuas Chriſto charas, & ceſſuras ad ſalutem animarum, quas Dominus eius zelo, & ſtudio commendarat. Non eum fugiebat illa præclara Bernardi ſententia. *Quantum placeat, cum puritate mentis prædicatio veritatis, oſtendit cùm dicit: Vox enim tua dulcis. Quia enim non placeat vox, ſi diſpliceat facies, demonſtrat, cùm illico ſubdit, Et facies tua decora. Quid internæ decor faciei, niſi puritas? Multi puritate neglecta, antè loqui, quàm videre conati ſunt; & aut grauiter errauerunt neſcientes de quibus loquerentur, aut turpiter viluerunt, dum qui alios docerent, ſe ipſos non docuiſſent*. Hæc appoſitè ad indolem Hieronymi Narnienſis,

Bernard. homil. 62. in Cant.

cui

cui maximè fuit cordi animam ſuam facere terſam, antequam elaboratæ concionis vox vehemens auribus inſonaret.

Gregorij Pontificis hoc ſingulare fuit teſtimonium, valde conducens ad gloriam Hieronymi: ſcilicet, hunc præconem ſemper præueniſſe ſuam mētem, ita vt Pontifice decernente apud ſe monere Hieronymum, vt texeret cōcionem de aliquo peculiari argumento; ille prima die, licet neſcius de hoc eodem themate prædicaret. Vnde Papa certior effectus, Deum ſuggerere Hieronymo congrua rebus obuijs oracula, deponebat curam omnem eorum, quæ ad cenſuram vitiorum ſpectant, & eam totam in Hieronymum ſuum ſuperno afflatum ſpiritu refundebat. Huius generis fuit illa memoranda concio facta contra apoſtatas. Audierat ille, Archiepiſcopum Spalatenſem defeciſſe à fide, & Regis Angliæ fretum auſpicijs, apoſtatam illum in hac inſula debacchari. Vir Dei defectionem illam ægrè ferens, & deteſtatus hominis transfugæ perfidiam, concionem compoſuit contra apoſtatas, dicturus illam quando Deus ſuggereret, id eſt, ſi quando occurreret occaſio temporis opportuni. Interea præfatus Archiepiſcopus ementita pietate, ſuas res cum Summo Pontifice compoſuit, Romamque venit, abiurata prius hæreſi. Vbi deſertor ille Romam appulit, Hieronymus inſcius an ille Apoſtata ſuperſtes eſſet, aut defunctus, recitat in ſacro Palatio concionem ante ſex menſes compoſitam, contra hæreticos; & huic interfuit homo nequam, vtique redux, ſed fide ore dubio ſimulata. Vt quem Deus deſpexit nemo poteſt corrigere, ita reprobus hypocrita nihilo cautior effectus, in ſe Dei iram vindicem poſtea concitauit. Facturus ita fidem Hieronymo, qui præſcia mente plura dixerat imminere mala apoſtatis, in quorum ſerie primus erat hic transfuga, cute tenus ad ſua

caſtra

caſtra redux, & ob fucos Eccleſiæ factos, tandem ignibus immolandus.

Innumeris penè argumentis conſtitit ſemper, in Hieronymum Narnienſem ea omnia confluxiſſe, quæ conducunt ad faciendum abſolutiſſimum ſuis numeris omnibus oratorem, & Deum inſuper adieciſſe dotes propitias ad ſalutem cuiuſuis animæ propagandam. Liquidò nempe fuit, Hieronymi concione Deum verſare animas: ſiquidem multi fama ſolùm perculſi confluebant audituri virum hunc, equidem magnum, ſed ſtupebant afflati eius eloquio, & vrgente Deo, potenter ad pœnitendum perciti recedebant. Itaque non erit abs re concioni eius affingere ſymbolum, cuius meminit Paradinus, qui depingit concham vnionis fœtam rore cœli, hoc titulo adiecto. PVRO FOECVNDA RORE. Id eſt, hæc concha fœcunda quidem eſt, vtpote margaritam enixa; ſed duntaxat influxu cœlico fœcundatur. Concio Hieronymi multos Chriſto parturijt, ſed hoc facinus haudquaquam humanum eſt, ſed diuinum. Concio quippe fuit PVRO FOECVNDA RORE.

Gregorio Decimo quinto mortuo, Vrbanus Octauus omnem mouet lapidem, vt Hieronymus non dimittat pulpitum ſacri Palatij. Caput XXIV.

EX Salomone tempus eſt loquendi, & tempus eſt tacendi. Vtrumque ſibi tempus idoneum nactus eſt Hieronymus, ſiquidem indicto ſibi ſilentio, nullo hominum applauſu induci potuit, vt ferias prædicationi datas in æternum, ſolueret ali-

aliquando. Exacta Quadrageſima, quam vltimam decurrit ex pulpito ſacri Palatij, vale dixit huic laborioſo officio, ſuo ſic effœto corpori conſulturus. Vtque ſibi tutius intenderet, ſeceſſit in Vmbriam, vt procul ab aula Deo propior eſſet. Namque Romæ degens, non poterat declinare Cardinalium, & Principum pompam, à qua inuitus honoris cauſa, in ſuo cœnobio premebatur. Ceſſit interim fatis Gregorius Papa, Vrbano VIII. parans iter ad ſedem Petri. Et eſto graues curæ nouum Pontificem angant, attamen Vrbanus, Hieronymi Capucini memor, quem ſæpe ſæpius audierat, ſeriò iniungit Procuratori Generali Ordinis, vt accerſat Romam præfatum Patrem, ad conciones ſacri Palatij, conſueto tempore proſequendas. Summo Pontifici Procurator ait, Hieronymum eſſe corpore effœto, & impote tantæ molis, quam inuitus ſubierat, Gregorio cogente in virtute ſanctæ obedientiæ, & mittente lecticam in Vmbriam, vt incunctante mora Romam facili negotio deueniret. Aegra valetudine ingraueſcente, malorum acceſſionem fuiſſe tantam, vt Hieronymus vni cellæ addictus eſſet, omnis penè motus impatiens, ac proinde locum non eſſe vrgendi eum, vt indubio vitæ diſcrimine ſeſe committeret itineri, eo intento à Sua Sanctitate facto palàm, videlicet ad ſacri Palatij conciones ſolitas inſtaurandas. Subiecit Procurator, ſe habere duas literas Hieronymi profitentis ſuam impotentiam circa munus illud obeundum, ſi aliqua ſui mentio fieret ab Vrbano. Iniquo animo Pontifex habuit hunc diſcurſum, quem Hieronymi auctoritate fretum credidit redolere magis humilitatem viri magni, quàm certiſſimam rei dubiæ veritatem. Itaque parum credulus ait, operæpretium eſſe venire Hieronymum, vt ſaltem inchoaret; alium verò ſuppleturum, ſi ille foret impar huic oneri. Aiebat Papa, ſua intereſſe, virum veridicum habere in præconem,

nem, ne præberet anſam maleuolis augurandi, Pontificem conſcium indolis Hieronymi, noluiſſe veracem hunc hominem ſuis auribus inſonare.

Eminentiſſimus Cardinalis Barberinus Nepos Pontificis inſtabat, debere ſibi vim inferre Hieronymum, vt annueret votis Sanctiſſimi Domini noſtri, cui & debebat obſequium tale, quale Gregorio præſtiterat. Acceſſere vota Eminentiſſimi Cardinalis à Sancto Honofrio Fratris Vrbani, qui ex Congregatione noſtra aſſumptus ad purpuram ſacri Collegij, credidit Hieronymum prædicando poſſe decus Ordinis noſtri maximè propagare. Scripſit ille vnà cum Procuratore Generali literam, qua enixè ſenem hunc rogauit, vt prædicando morem gereret Papæ, qui credebat ſe malis auibus auſpicari ſuum primum annum, Hieronymo detrectante ſuum obſequium pulpito ſacri Palatij, quod tota confluente Roma hactenus occuparat. Tot & tantis inſtantijs Hieronymus ait, impoſſibilium nullam eſſe obligationem, & medicos conſultos concordi ſuffragio minitatos eſſe necem, quam ſibi conſciſceret, ſi ſtudia repeteret, quæ conducunt ad ſacri Palatij pulpitum excolendum.

Hoc vltimo Hieronymi decreto reſcito literis explicitis, Procurator adit Palatium, certioremque facit Pontificem de miſerando ſtatu Hieronymi; qui licet ad arbitrium Dei eſſet compoſitus in perferendis æquo animo malis ſuis, hoc vno ſenſu angebatur in diuturno ſuo morbo, quòd inde fiebat impos tanto Pontifici inſolito præconis munere famulari. Hac iactura ſibi malè ominatus eſt Pontifex, probè ſciens, quàm opimam gratiarum meſſem Eccleſia Hieronymi falce demeteret: aiebat enim, non ſurrexiſſe parem Hieronymo in his, quæ pertinent ad congruas prædicandi dotes; ideoque Romam paſſuram diſpendium, alio præcone ſubeunte

vices

vices Capucini huius, concordi omnium auditorum calculo celebrati. Vrbanus adhuc Cardinalis acceperat, quo virtutum prouentu Roma diues erat, ſuaſore viro illo, quo perſtringente vitia cuiuſque generis hominum, quantumuis inſignium, fuere ſecus ampla virtutis omnigenæ ſpatia maximè dilatata. Papa curam animarum ſui muneris eſſe ſciens, magnam eius partem deponebat apud Hieronymum, quem ſperabat ab inauguratione ſua ſolito prædicatoris ſacri Palatij muneri vacaturum. Cùm itaque conclamatum eſſe didiciſſet, obſtante Hieronymi morbo, primò ſibi, deinde ſacro Collegio querulus ingemuit, vtpote certus quantùm poſſit in homines malè ſibi conſcios prædicator Deo afflatus, & vitiorum cenſor acerrimus, nulla ratione prorſus habita perſonarum. Et oculatus, & auritus erat teſtis hic Pontifex meritorum Hieronymi, quem vt ſuo pulpito præficeret, omnem mouit lapidem, arbitratus Capucini huius ope ſibi in primis, deinde totius curiæ Romanæ bono ſe optimè conſulturum,

Non deerant magni nominis homines idonei pulpito ſacri Palatij: ſed ipſo etiam Bellarmini iudicio, vt volumina antiqua lacunas habent, quas nemo ſupplere poteſt, ita viri omnes, qui prædicatoris arduum ſuſcepere munus, aliquid hiulcum habent, atque deficiens, quod nulla planè adhibita ſolertia poſſibile eſt congruè reparari. Adijciebat ille Cardinalis acris ingenij, fuiſſe dotem ſingularem Hieronymi Narnienſis, nullos habere næuos in his, quæ ſpectant integrum præconem verbi Dei, ipſo Deo liberali manu concedente dotes ei omnes, quæ ad obeunda prædicatoris abſoluti ardua munia conducebant. Res ſanè delicata fuit, tota confluente Roma, & adſtante ſacro Collegio, prędicare plures Quadrageſimas, nec incurrere notam, vel aſſentatoris, qui veritati parcit, vel ſecus vrgente zelo præcipiti, non inuſ-

inuſſiſſe ſibi ſtigma commune ſatis hominis imprudentis. Quòd ſummo honore habitus eſt à ſacro Collegio, argumentum reuera fuit hominis veridici,& vitia exoſi. Quòd verò ſibi amorem omnium conciliauit, illud arguit prudentiam vtique ſummam, qua ita cauit omnibus in cenſura vitiorum, vt neminem prorſus, tot decurſu annorum,minimo ſaltem indice deſignarit.

Habuit itaque Vrbanus Papa valdè ſolicitus de ſalute animarũ, habuit inquam vnde ſolers induceret Hieronymum, vt ſuam denuo conferret opem lugenti palatio, quia ſupparem non habebat, quem ſufficeret in locum eius,facti omnimodè ad nutum,& quaſi ex præſcripto omnium auditorum. Confluebant cuiuſuis generis homines, ad audiendum Hieronymum; & diſcolor hic conſeſſus hominum diſparium, habebat vnde Deo gratias ageret, hoc ſacro oratore ſuas conciones doctis, & indoctis modo conſono diſpenſante. In eo

Iob 29. ſenſu quadrant Hieronymo verba Iob, ita fati: *Super illos ſtillabat eloquium meum*. Quem locum pertinere ad

Greg. lib. 2. Moral. c. 2. prædicatores ait Gregorius hoc diſcurſu. *In hac ſtillatione eloquij, quid aliud quàm menſura prædicationis accipitur? Quia oportet,vt exhortationis gratia ſingulis, iuxta capacitatem ingenij conferatur. Debet enim ſubtiliter is qui docet, perſpicere, ne plus prædicet, quàm ab audiente capiatur. Debet enim ad infirmitatem audientium ſemetipſum contrahendo deſcendere; ne dum paruis ſublimia, & idcirco non profutura loquitur, ſe magis curet oſtendere, quàm auditoribus prodeſſe. Iubente autem Domino, non ſolùm phialæ ad menſam tabernaculi, ſed etiam cyathi præparantur. Quid enim per phialas, niſi larga prædicatio, quid verò per cyathos,niſi minima,& tenuis de Deo locutio deſignatur? In menſa igitur Domini, & phialæ præparantur, & cyathi: quia videlicet in doctrina eloquij, non ſolùm exhibenda ſunt magna,& arcana,quæ deebriant; ſed & parua, & ſub-*

& ſubtilia, quæ quaſi per guſtum notitiam præſtant. Huius ergo diſcretiſsimæ diſpenſationis ſuæ ſancta Eccleſia extremis preſſa temporibus reminiſcatur, & dicat: Super illos ſtillabit eloquium meum. Hæc ille Papa, modum præſcribens, ad cuius amuſſim ſuas texuit conciones noſter Hieronymus, ſic auditorum ſuorum indoli prouiſurus.

Res profectò fuit hæc ſtupenda, videre hominem ab arduis, ſeſe ſenſim ad infima demittere; vt cùm doctiſſimos quoſque rapuiſſet eloquio, daret & indoctis, vnde ſibi conſulerent, & hoc congruis argumentis. Conſcius quippe fuit conſilij Papæ Gregorij ſic monentis. *Sciendum eſt prædicatori, vt auditoris ſui animum, vltra vires non trahat, nec vt ita dicam, dum plus quam valet tenditur, mentis chorda rumpatur.* Hactenus Gregorius enucleans idoneas partes eius, qui vt par eſt è ſacro Dei pulpito modulatur. *Idem parte 3. paſtoral. cap. 5.*

Vnde Papa Vrbanus certior effectus, omnes corporis & animæ dotes neceſſarias ad hoc prędicandi munus, in hunc confluxiſſe patrem; qua potuit cura fecit, vt ille redux ex Vmbria Romam ſe conferret, incunctante mora, vt hactenus occupato digniſſimè, rurſus eidem ſacri Palatij pulpito ſiſteretur. Vt præfatus ſum, Papæ Vrbano nihil intentatum fuit eorum, quæ poterant refugam animum Capucini huius inducere ad repetendũ priſtinum officium. Hic Pontifex omniſcius apprimè norat, olim Romæ lege Curiata ratum fuiſſe, coram Pontifice Summo filios adoptare. Meminere legis huius, Gellius, Tacitus, Appianus, & Suetonius, qui paruiſſe legi Curiatæ dicit Auguſtum, cùm Agrippam nepotem ſuum, & priuignum Tiberium adoptionis iure ſibi in filios adſciuit. Vnde quia Hieronymi concionis obſequio multi homines gaudebant adoptione filiorum Dei; Vrbanus credidit eſſe è re ſua, ritum illum, coram *Gellius li 5. c. 19. Tacit. l. 17. Appia. l. 3. Belli ciuil. Sueton. in Aug. c. 65*

ſeipſo Pontifice celebrari. Ideoque modis omnibus hunc tentauit præficere negotio illi, quo animæ recenſentur inter filios Dei. Sed caſſæ fuere preces homini factæ, quem Deus decennio toto, quod ſupererat, religionis ſuæ ſeruarat obſequio. Quippe Definitor Generalis hoc totum æuum egit, diuturno languore nihil obſtante, quo minus ordini noſtro conſilijs opportunis, adiectis etiam conſonis actibus illuceret. Qui tota geſtiente Roma plures annos egit in pulpito ſacri Palatij Summorum Pontificum Pauli, & Gregorij prædicator ore grandiloquo, vltimo ſuæ ætatis decennio linguæ ſuæ ſilentium indixit, vt vocales eſſent manus, noua dialecto prædicandi. Illo nimirum tempore, quo ſuperſtes fuit, eſto velut elinguis fuerit, vtpote tacitus & cellæ affixus, ita decernente valetudine infirma; tamen voce ſonora, id eſt, virtutum praxi impigra prædicabat.

Itaque dimiſſo pulpito ſacri Palatij, Hieronymus non inertem vitam egit, ſectatus otium, animum ſoluens: ſed ad inſtar Hilarionis ingraueſcente ætate magis auſterus extitit, & immitis ſibi, linguæ defectum ſupplente manu, edito virtutum omnium ſpecimine; ſicque ſilens ſchema nouum inijt alios exhortandi. Non igitur erit incongrua Hieronymo, nuncupatio ſymboli, quod recolit Bargaglius, nauem pingens nullo prorſus ventorum flabro obſtetricante motam, titulo hoc ſubiuncto. ACCIPE REMOS. Id eſt, hactenus alieno fauore fretus emerſiſti: illo nunc abeunte flatu, conſule tibi virtutis obſequio, cuius ACCIPE REMOS, vt ſalua rate, & mercibus, appellas ad portum, tuæ animæ ſalutarem. Hieronymus appoſitè ad hoc ſymbolū, ſe ſic affatus eſt: Nunc tibi populi adblandientis aura deeſt, qua propitia ferebaris omnium hominum ore: hoc tibi brachia corporis remi parent, quod lingua lo-

Bargagl. lib. ſymb.

quax

quæ ex pulpito comparauit. Talem te moribus præſta, qualem vocibus oſtendiſti. ACCIPE REMOS.

Hieronymus inuitus, in religione ſummos honorum titulos adeptus eſt. Caput XXV.

MARCELLVS olim duo templa fecit Honori, & Virtuti ſacra, tali induſtria diſpoſita, vt ad Honoris ædes inuius eſſet aditus ei, qui delubrum Virtutis antea non luſtraſſet. Credo rationem facti peruiam omnibus hominibus, vtpote notam lippis, atque tonſoribus. nemo namque poteſt in hoc vel tantiſper hærere vado: quippe verus honor non inſidet inglorijs hominibus, ſed magno conſtat, iuſto nimirum virtutis emeritæ pretio comparatur. Honor enim ex S. Thoma eſt quoddam ſignum deforis exhibitum, in gratiam alicuius, in quo ſuſpicamur eſſe meritorum cumulum inſignem. Eam ob rem quiſquis honoris appetens eſt, ille Philoſopho aſſertore petit ſigna quædam extrinſeca, ſibi velut virtutis inſitæ teſſeras exhiberi. Potiores tituli honorum fuere ſemper infulæ, ſeu dignitates, quarum obſequio viri honore habiti præ alijs, gaudebant aliqua præfectura, quæ ius dabat in homines ob edita virtutis indubiæ ſpecimina talibus infulis obſtrictos, & deuinctos, quibus hoc erat iugum indictum, vt ſuos humili nutu Proceres honorarent. Vt conſtaret ſemper indiuiduus ille nexus honoris & virtutis, multæ leges latæ ſunt in ambitum, vt vel ſic pœna coërceret hunc pruritum honoris, qui ſæpe cadit in indignos. Ex Liuio C.Petilius Tribunus plebis, primus lege cauit, ne quis

Thom. 2.2. q. 103. art. 1. Ariſtot. lib. 8. Eth. cap. 8.

anhelus ad honores ſuffragia populi mercaretur. Plinio auctore Q. Coponius, quia candidatus amphoram vini dederat ei, cuius votum petierat, pœnas luit. Cicero, Liuius, Tacitus, & Feſtus Pompeius aiunt, Cynthium tuliſſe legem muneralem in eos etiam, qui incautè acciperent munera candidati. Meminit Aſconius in eo argumento, legis Calphurniæ, vt & Cicero leges multas recenſuit, in quibus hæ fuere præcipuæ, Fabia, Licinia, Ebutia. Denique Ius ciuile titulo expreſſo damnat hunc ambitum, aliàs execratum.

Liuius 1. Dec. l. 7. Plinius li. 35. c. 12. Cicero li. 2. de oratore. Liuius 3 Dec. li. 4. Tacit. li. 11. Feſt. Pomp. lib. 11. Aſconius Pedianus in oratio. pro Cornelio. Cic. orat. 2. de lege Agraria ff. Ad legem Iuliã de Ambitu Can. Sancimus 1. q 7. Lege Sancimus, Codice Ad legem Iuliam repetundar.

Iure Canonico itur obuiam, ne indignis dentur officia, ſeu dignitates Eccleſiæ, quæ meritis tantùm proſtare debent. Inde Canon iſte, qui decerptus eſt ex Codice. *Sancimus, huiuſmodi viros ad prouincias regendas accedere, qui ad honoris inſignia, non ambitione, vel pretio, ſed probata vita, & amplitudinis tuæ ſolent teſtimonio promoueri.*

Hanc legem Theodoſij, & Valerij, Gratianus tranſtulit in Decretum, ita vt Canonem condat, quo ambitus arcetur ab Eccleſia, vbi dignitates non probandos homines petunt, ſed poſtulant approbatos. Vita religioſa, totam ſe componit ad arbitrium Eccleſiæ; cuius canones, & decreta, velut oracula cœlitus edita veneratur. Vtque fuit ſemper propoſiti tenax ille ritus religionis non deuians à ſcopo præſtituto ſibi; ita & hactenus in humili canonum, & ſtatutorum Eccleſiæ obſequio perſeuerat. Cùm igitur iure ſacro caueatur, ne quis niſi benè meritus, euehatur ad apicem aliquem; Capucini profitentes vitam agere, ex præſcripto Eccleſiæ, hoc maximè in votis habent, dare ſolùm probatiſſimis dignitates, quæ ſunt idcirco veræ teſſeræ meritorum. Hieronymus Narnienſis, tot virtutis ſuæ argumenta licet adhuc iuuenis ediderat, vt nec dum ſacerdotio initiatus fuerit præfectus in Lectorem Philoſophię, exemplo forſan

ſan hactenus inaudito. In religione namque ſui inſtituti obſeruantiſſima, videre multos Philoſophiæ candidatos ſub magiſtro præ ætate immatura ſacerdotij impote, hoc in Doctore notat virtutis cumulum equidem magnum, quo mediante defectus ætatis, in hoc homine compenſetur.

Hunc honorem exhibitum iuueni Hieronymo, alius hinc proximè excepit, ſcilicet Guardianatus, ſeu præfectura cœnobij. Ad hos præfectos pertinet tota cura cœnobij, & dignitatis huius ſumma præcipua eſt; in Dei cultu, regulæ obſeruantia, virtutum praxi, ſtudere magis quàm inſito ſibi titulo honoris, alijs omnibus eminere. Singulis quibuſque comitijs, quæ quotannis habentur, fit examen vitæ Superiorum cuiuſque cœnobij, vt redigantur in ordinem exauctorati, ſi quidpiam næui, aut delicti eis deuijs affricetur. Eam ob rem in illa dignitate ſeries annorum protracta ſonat in hoc Superiore dotes eſſe præcipuas, quæ cœnobitam decent, & ad quarum trutinam appenduntur exactè ſtemmata dignitatum. Vt in hac præfectura virtutum ſplendore rutilus emicuit, factus eſt Definitor, & Cuſtos in ſua prouincia. His titulis auctus, & perſeuerans in cœnobij præfectura, mirum quantà virtutum ſpecimina ſemper ediderit, vt religioſos ſibi ſubditos, ad vnà decurrendum virtutis ſtadium validè prouocaret. A cœna ſemper abſtinuit, vt corpore domito ieiunijs anima foret alacrior; vt ille paſtus corpori ſubtractus cederet in ſaginam ſpiritus, ante matutinas horas media nocte dici ſolitas, præueniebat omnes, & ſolus in choro horam integram orationi dabat, qua expleta vigil ille ſono campanæ fratres alios excitabat. Agebat & ille Guardianus ſacriſtæ vices, tergens, & accendens lampades Eccleſiæ, imò vilem culinæ ſupellectilem lauans, nihil omnino abiectum, & humile detrectabat. Habeo penes me

multa ſcripta fratrum, qui eo Superiore ſuam vitam compoſuere, ſtupentes videre virum, qui virtute magis, quàm dignitate præibat alijs, quos habita comitia ipſius ductui commendabant.

Vt Hieronymi fama fecit eius merita peruia toti prouinciæ, quæ reuera ferax erat hominum illuſtrium, ille Prouincialis electus eſt, eſto foret iunior alijs, qui cum laude munus hoc geſſerant. In gratiam eius coiere vota electorum, quia quicquid ætati deerat, merita ſarciebant. Vt ſe vidit impoſitum candelabro, & obiectum omnibus in exemplum, omnem ſuam adhibuit curam regere prouinciam, vt par erat. Vnde quia ſubditi Prælatorum facta magis inueſtigant, quàm dicta; vt potens erat in hortando, ita & ſpecimine virtutum omnium edito prædicabat. Erat is abſtinentia ſingulari, & oratione iugi, procul à faſtu, & eo oris habitu exteriore, vt ſuo aſpectu virtutis ſpeciem ingereret. Denique quidquid in Prælato patres exquirunt meritorum, illud omne velut ex præſcripto fuit Hieronymo Narnienſi coelitus impertitum. Audiendus in eo argumento Chryſoſtomus ita fatus. *Eccleſiæ Præſules, audenter dixerim, nil præter victum, & veſtitum habere oportere, ne ad iſta trahantur deſiderio. Qui benè præſunt, inquit. Quid eſt benè præeſſe? Audi Chriſtum dicentem: Bonus paſtor animam ſuam dat pro ouibus ſuis. Benè igitur præeſſe hoc eſt, nulli parcere illorum regiminis gratia. De his dixerat ſupra, vaca lectioni, conſiderationi: hoc enim faciens, & te ipſum ſaluum facies, & eos, qui te audiunt. Hos maximè iubet honorari, cauſamque addit dicens: Multum enim laborem ſuſtinent. Eſt enim Prælatus linguis innumeris propoſitus ad lacerandum; alius culpat, alius laudat, alius detrahit, alius memoriam, alius compoſitionem in ius trahit, magnaque illi conſtantia ad iſta toleranda opus eſt. Multùm etiam ad Eccleſiæ ædificationem confert, ſi Præ-*

Chryſoſt. homil. 15. in c. 1, ep. 1. ad Timoth.

ſules

ſules doctrinæ gratia polleant, quæ niſi adſit, plurima Eccleſiaſticæ diſciplinæ peribunt. Neque verò eum ſermonem laudauerim, qui faſtu tumidus, externæ peritiæ iactantiam ſequitur; ſed qui virtutis ac ſucci habeat plurimum, qui ſenſibus grauis ſit, & ſapientia plenus. Hactenus ille penicillo ſuo ducens lineas omnes, quæ faciunt ad Hieronymi, vt Prælati, ſtatum graphicè depingendum.

Paucis hoc diſcurſu plurima cōcluſit Chryſoſtomus, in Prælato pietatem petens, moderationem & doctrinam: quæ omnia luculenter adeptus eſt Hieronymus Narnienſis, vt pote prorſus in omnium virtutum genere ſingularis. Quadrat & huic illa Gregorij deſcriptio. *Sublimitatem*, inquit, *dignitatis ſuæ adæquare debet paſtor ſplendore conuerſationis, quando cæleſti indutus virtute, ea vita, eaque doctrina ſubditis lucet, vt videri ab eis poſſit, diſcuti & iudicari non poſſit. Talis erat Moyſes, quando lucidiſsimo vultu à monte deſcendit, cuius ſubditi fulgorem videbant, ſed in fulgentem claritatem viſum intendere non poterant.* Hæc Gregorius: cui placet adijcere Bernardum maximè conſcium qualitatum, quæ coire debent, vt Prælatus ſuas obeundo vices, dignus hoc munere cenſeatur. Vt cuique ſua in arte credendum eſt, Bernardo par eſt adhibere fidem in his, quæ pertinent ad regimen animarum, ſiquidem ille famoſus Abbas multos annos egit in infulis, adijciens dignitati decus inſigne, ſuis moribus illibatis. Sic ille facit typum hominis euecti ad apicem dignitatis eius, cui incūbit aliorum cura. *Oportet enim irreprehenſibilem eſſe eum, qui præeſt: quoniam ea, quæ arguit in diſcipulis, oportet ſummopere vitare magiſtrum. Et fide non ficta, quia qualis eſt in conuerſatione, talis ſit neceſſe eſt etiam in occulta cogitatione, ne videatur foris humilis, & intus ſit elatus.* Hactenus ille.

Greg. lib. 4. c. 4 in c. 10 lib. 1. Reg.

Bernard. ſerm. de tribus ordinibus Eccleſ.

Præpoſiti Prouincialis munere perfuncto creatus eſt

Definitor generalis Hieronymus, & recurrentibus ſingulis quibuſque ſexennijs comitijs generalibus, ille loco non ceſſit, ſed conſenſu Patrum totius orbis Christiani Romam venientibus morte tenus fuit illo titulo decoratus. Vnde viginti circiter annos egit in hac dignitate, & mortuo Generali Miniſtro, ille vices eius geſſit, & totius ordinis Capucinorum præfectus Generalis agnitus in eo gradu ceſſit fatis; ſupremo religionis titulo laureatus. A diuerſis etiam Præfectis Generalibus in varias prouincias delegatus eſt, vt Viſitator Generalis, ipſo reluctante licet, & refuga dignitatum. Vt Procurator Generalis Hieronymus à caſtro Ferretorum, qui & ipſe Generalis ſemel & iterum fuit, vt inquam ille vir magnus audijt Clementem à Noto Generalem creaſſe Hieronymum Narnienſem, Vicarium ſuum, vt eo titulo & nomine præſideret Capitulo prouinciæ Vmbriæ: congratulans Hieronymo Narnienſi, qui hoc detrectabat onus, hoc reſcriptum miſit: Reuerendus admodum Pater Generalis per omnia ſibi conſtat, operans dignè ſicut par eſt: nihil attamen vſquequaque gratum omnibus egit, quod adæquare queat electionem Paternitatis Veſtræ admodum Reuerendæ, cuius vbique & omnium applauſu merita celebrantur.

Quanti meriti fuerit Hieronymus Narnienſis, conijcere eſt ex multis capitibus deductis ex præfatis honoribus; quibus & adijciam rem aliam, quæ conciliat illi pondus gloriæ ſingularis. Anno milleſimo ſexcenteſimo decimo tertio, Pater ille nominatiſſimus electus eſt in Definitorem Generalem, cum collega Patre Laurētio à Brunduſio, viro aliàs Generali, & pietate nota toti Eccleſiæ. In illis comitijs quæſtio difficillima eſt exorta nodis implicita tantis, vt ipſe Generalis Paulus à Ceſena timens grauitatem eius, vnum Hieronymū Narnienſem conſuluerit, Patres ſummi licet ingenij illic adfue-

fuerint, in quibus duo aliàs Præpoſiti Generales extiterant: videlicet Laurentius à Brunduſio, & Hieronymus à caſtro Ferretorum. His prætermiſſis, penes Narnienſem ſumma fuit huius negotij, in cuius argumento ſua ſenſa palàm fecit ſcripto doctiſſimo, quod ego tero præ manibus. Alius item Generalis, ſcilicet Clemens à Noto, conſcius & doctrinæ, & pietatis huiuſce viri, ſæpius eū conſuluit in his, quæ pertinent ad regimen ordinis, cui tunc præfectus erat. Habeo literas eorum vtrimque datas, quæſtiones, & reſponſa, quibus fides adſtruitur meritis Hieronymi antea recenſitis.

Præterea Cardinalis Ludouiſius Protector religionis noſtræ in vrgenti neceſſitate volens prouidere toti ordini, lecticam ſuam miſit in Vmbriam, vt ea vectum Romam adduceret Hieronymum Narnienſem, ad cuius arbitrium volebat commiſſo ſibi ordini prouidere. Hominem hunc dixiſſes oraculum eſſe mundi. Nam Cardinales, Epiſcopi, & Magnates illecti fama viri huius præclariſſimi, turmatim in Capucinorum cœnobium hominis huius inuiſendi gratia confluebant. Inſtabit fortaſſe quiſpiam, deſiderari in titulis Hieronymi Narnienſis præfecturam Generalem ordinis: quia licet mortuus ſit habens curam totius ordinis, hoc accidit ex defectu Generalis, cui mortuo ſucceſſit vt primus Definitor, ac proinde vices egit, ſine tamen titulo dignitatis. Huius inſtantiæ reſponſio petenda eſt infra, ſcilicet ex capite XXVII. De humilitate Hieronymi: illic erit palàm, bis Hieronymum Narnienſem detrectaſſe munus hoc arduum, quod concordi ſuffragio electorum ei renuenti certò certius imminebat. Itaque ſi à dignitate valet concluſio meritorum, vt reuera facit plurimum inter Capucinos, & præſertim vbi longa ſerie annorum viuitur, huiuſmodi, id eſt, virtute ſarta tecta, nullis honorum titulis abrogatis. Conceſſis his præmiſſis, ſcilicet

Hie-

Hieronymum egiſſe quadraginta annos affectum aliqua nobili præfectura inter Capucinos; neceſſe eſt inferre virum fuiſſe ſtipatum toto virtutum choro, ac proinde ſuis coæuis omnibus illucentem.

Reuera faceſſebant ei negotium tot manipuli meritorum, quia obſtabant, ne vir ille ſeptuagenarius, & infirmitate magis, quàm ætate grauis, quiete ſæpius optata liberè frueretur. Crediderat ille, ſe vale æternum dixiſſe Romæ, vt in ſua prouincia pacatam vitam agens, ſibi vni ſedulo vacaret: ſed obſtante peritia rerum, quas in ordine verſarat aſſiduè, coactus eſt denuo ſubire iugum, quod ſe gaudebat longius abieciſſe. Vnde ſaturatus honoribus, vtpote charus Paulo Quinto, Gregorio, & Vrbano, tribus ſucceſſiuè Papis, à Cardinalibus, & Prælatis in veneratione habitus, propitia afflatus aura, quæ viris illuſtribus aſpirare ſolet, eo tandem nauſeæ deuenit, vt ipſa etiam dignitatũ nomina faſtidiret. Cùm itaque Romam adſcitus eſt, illo receſſu, quo gaudebat in Vmbria, pulſus, & mortuo Generali clauum religionis acciperet, ipſe ſuo etiam inſtante fato, profectò potuit induſtrium Antonij de Leua ſymbolum querulus vſurpare. Erat Antonius ille clarus bello, & pace, Carolo Quinto Imperatori perquàm neceſſarius, à quo vt præfectus prætorio ſummam militię præfecturam acceperat. In ea dignitate ſui æui præcipuam partem egit: Igitur ætate ingraueſcente dehiſcens animus, ad ea quæ quietis, & otij ſunt, anhelare cœpit, ipſo etiam potiente rerum Carolo reluctante. Qui vt omnem Antonio ſpem fruſtra peroptatæ quietis adimeret, eum ſibi adiunxit comitem expeditionis, quam parabat in Galliã, cuius imperium animo conceperat. Principis arbitrio detrectare ſuum nequijt obſequium Antonius, qui in ea profectione ſenex occubuit, concupito ſibi otio denegato. Iouius ait hunc belli præpoſitum generalem,

recur-

recurrente nouo negotio ſemper occupatum, pinxiſſe manipulum ſegetis opimæ, pro ſymbolo deſuper his vocibus adiectis: FINIVNT PARITER RENOVANTQVE LABORES. Id eſt, vbi copioſa ſeges colligata fecit manipulos, diceres agricolam meſſe peracta ſuos omnes labores improbos eluctatum. Sed eſto quietis index eſſe queat manipulus ille propoſitus, attamen & ſudoris eſt nuntius: quippe ſementem notat, quę vt opportunè ſolo commendetur, arator induſtrius ſulco præeunte glebas debet ſubigere, ne incaſſum terræ incultæ ſemina committantur. Itaque prælibatum Antonij Leuæ ſymbolum, id eſt manipulus, æquè laborem ſignat, ac quietem. *Paulus Iouius lib. Symbol.*

Hieronymo poteſt & affingi effatum illud: quia nullus omnino finis erat ei pro Chriſtiana Republica laborandi. Cùm enim eſſet omni ſcientiarum genere inſignis, & increbuiſſet apud omnes fama viri huius nominatiſſimi, confluebant omnes ad hoc oraculum, in dubijs etiam Iuris ciuilis æquè vt & canonici; vt videre eſt ex eius ſcriptis, quæ ſuperſunt, & luſtraui attentè, miratus hominem, & huic ſuffeciſſe negotio, quamuis eſſet rebus arduis occupatus. Expedito graui negotio, ſuccedebant vndequaque preces, quæ Hieronymum vrgebant, vt conſilio ſuo adeſſet indigis eius opis: ſicque nulla ferè mora ſui iuris erat homo, iura omnium diſcutiens, quippe recens labor ei iugiter imminens, exacto veteri ſuccedebat. Vnde liquet Hieronymo in perpetuo agone rerum demortuo conuenire lemma Ducis eximij, qui vt præfatus ſum, ſuæ ſortis ſemper exercitæ indolem, hoc præclaro ſui manipuli titulo deſignauit: FINIVNT PARITER RENOVANTQVE LABORES.

Hie-

Hieronymi Narnienſis induſtria, & zelus in procuranda ſalute animarum, dum geſſit ſummas in ordine præfectu-ras. Caput XXVI.

GALBA dotes eximias animæ præ ſe ferens, ita ſibi deuinxit omnes, vt tandem delato imperio rerum potitus ſit. Sed vt fortuna vices hominum verſans, agit & in gyrum animos, ſic non conſtitit ſibi Galba, mores in honore mutans, ac proinde ſuis etiam exoſus, quorũ obſequio euectus ad ſolij apicem, inde tumens omnibus inſultabat. Itaque malis auibus auſpicatus imperium, eoque tenore clauum Reipublicę moderatus iniquè ſatis, hoc inglorio ſcommate confixus eſt. *Galba dignus imperio, ſi non imperaſſet.* Nemo planè mortalium aſſumptus ad regimen aliorum cauere poteſt dicteria, quia placere nequaquam poteſt omnibus hominibus; & quò ſanctior eſt Prælatus, eò etiã ille magis patet acerbis, & querulis vocibus improborum. Sanctus Benedictus Abbas ferre nolens proteruiam monachorum, eos ſic offendit, vt propinarint illi lethale virus. Cenſoris officium noluit Romæ ſubire Cato, ciues obſeruans derelicto patrum tramite, in fœda, & obſcœna, ideoque cenſuræ graui obnoxia vitia declinaſſe. Plato legiſlatoris immortale decus oblatum ſibi à Crotoniatis abnuit, cauſatus eorum iniquam indolem; quia tutum eſſe nequit exlegi populo, quidpiã præfinire cedens ad gloriam eius, à quo decreta plebi noxiæ decernuntur. Seraphicus Pater Franciſcus, nonne Præpoſiti Generalis officium exuit, in comitijs generalibus, quia defecerant fra-

Surius in vita S. Bened.

Plutarc. in Catone.

In Chronic. Minorum lib. 1.

fratres eius à feruore, quo perciti antea conflagrarant.

Igitur res inſulſa foret, velle dare Hieronymo ſpecie honoris hoc ſingulare encomium, ſcilicet eo adminiſtrante munus Prælati, moderandi modum eius fuiſſe fratribus vſquequaque gratum. Quaſi verò ſolus hic præfectus habuerit diſcordes hominum ſubditorum animos ſibi iugiter applaudentes. Non me latet illud Senecæ effatum, videlicet, tam turpe eſſe laudari à turpibus, quàm laudari ob turpia. Vnde in præcipuis Prælatorum encomijs, hoc eſt ſingulare, illos diſplicuiſſe malis; quippe coire nefas, virtutes hominum illuſtrium, & vitia noxiorum. Inde ſalit ſcaturigo querelarum, quibus obnoxius fuit hic Prælatus infenſus omnibus, quos vitiorum vlcus aliquod ſubegit eius nouaculæ aſſuetæ audacter & peritè ſingula quæque morbida reſecare. Hoc igitur eſto verum, & ſincerum argumentum zeli Prælati huius, videlicet, ſingulis quibuſque probis eum fuiſſe acceptum, vt & ſecus improbis inimicum.

Vt autem liquidior ſit eius induſtria, qua geſſit præcipuas in ſuo ordine præfecturas, eam ad duo capita ſuccingemus. Nimirum ad ſolicitudinem impigram propagandi cultum Dei, & ad zelum, quo feruebat ea, quæ noxia ſenſim irrepſerant, funditus extirpādi. Dum cœnobia circuiret ſuo functurus officio, hæc eius cura fuit potior, quæ ſpectabat diuinum officium. Nempe canonicas horas grauiter, & diſtinctè cani, choroque ſimul adeſſe fratres omnes, eo intento ſedulus imperabat. Publicè ſuos adhortatus, hoc vnum ingerebat, & frequenter, videlicet officium præcipuum Angelis inol tum, eſſe pſalmodiam, & ex laude Dei iubilum, & ſtare per homines tantùm, quin vſurpato illo beatorum officio Angelis adæquentur. Ideoque quia multus erat in prædicando Dei cultu, fratres conſcij quàm maximè

cordi

cordi eſſe illi recitatum officium vt par erat, qua poterant exacta ſolertia ſemper, & præſertim inſtante Hieronymi Narnienſis aduentu, Dei laudibus attendebant. Dixiſſes eos Angelis inuidere ſuam ſortem, tam ſolicitè ſe aptabant ad digne Deo perſoluendum illud penſũ. Plerumque accidit, Hieronymum peracto ſuo Prælati vigilis officio, poſt exitum ex illo cœnobio, duo confeciſſe milliaria, & poſtea retrogreſſum nemine conſcio ſubijſſe latenter Eccleſiam tempore officij; quod ſi perfunctoriè decurrebant fratres, ille redux eos verbis aſperis obiurgabat. Præcipuus cenſuræ aculeus Guardianum pungebat. Ergone, inquiebat ille, ego fui cauſa pietatis veſtræ, mihi probatæ ſatis, illo quatriduo, quod exegi? Egone vilis homũcio plus potui apud vos, quàm Dei obtutus? An excidit vobis illud terribile Vatis effatum: Maledictus omnis, qui facit opus Dei negligenter? Denique impoſita ſalutari pœnitentia recedebat, illis aſperè caſtigatis.

In his verò, quæ pertinent ad regularem obſeruantiam, vt ipſe erat ſui inſtituti ſequax, neminem prorſus excipiebat à cenſura, quantumuis illi familiaris eſſet. Idcirco ſuis ſocijs erat ſolitus dicere, habere ſibi parum æquos omnes, quos ad dignitatũ titulos euexiſſet. Cùm namque nemo ſit næuorum prorſus impatiens, Lunaque ſuas habeat & maculas, in cœlo licet poſita, fieri omnino nequit, homines eſſe ab omni vitiorum fæce ſic purgatos. vt à ſpongiæ ductu ſint penitus alieni. Adijciebat ſe amicis conſulere, quando detergebat eorum rubiginem, ijs etiam inuitis; & ſe æquo animo pati decrementum, & iacturam amicitiæ humanæ, vt diuinus eſſet amor ſartus tectus; ad quod aiebat ille, maximè cõducere cenſuras Prælatorum, quorum obſequio ſubditi procurantur. Vt neſcius erat palpare plagas, ita ſanitati ſubditorum ſic intentus erat, vt etiam morbis oc-

cur-

curreret, fratres amouendo locis vnde mali labes poterat imminere. Apud aliquos obſeruantiæ regularis incurios, malè audijt aliquando Hieronymus Narnienſis, quaſi rigidus vltra modum, in plectendis erroribus: ſed ego ex eius literis animaduerti, oleum miſericordiæ, ſic attemperaſſe vinum iuſtitiæ, vt errent ipſi, qui erroris inſimulant virum hunc magnum, præfectura totius ordinis inſignitum. Damno rigoris expertem miſericordiam, vt & indolem rigidam, quæ neſcia pietate ferit. Sed quia vtriuſque, pietatis ſcilicet, & rigoris miſtura fuit clarus Hieronymus Narnienſis; idcirco meum ſtylum ſolicitat, ne laude debita ſuo merito defraudetur.

A teneris vnguiculis exoſus erat ipſam vitij cuiuſque ſpeciem, & ideam: inualeſcente ætate adoleuit & odium in vitia, quæ ne irreperent in animam, ſedulò cauebat ille ſibi, indictis ieiunijs, inſomnes ducens noctes, in oratione vigil, ſic ſuo corpori rigidus vſquequaque. Vnde, quia ſic iudicat vnuſquiſque, ſicut affectus eſt, Hieronymus expertus hunc rigorem opportunè conſuluiſſe ſuæ ſaluti; dum alijs præfuit, vt eorum dubiam etiam ſalutem adſtrueret, illis profectò cauit, vt & ſibi, nullis omnino vitijs indulgendo. Debere in Prælato coire rigorem atque pietatem, omnes Sancti clamant, in quibus duos præfectos animarum ſeligam, & famoſos. Prior erit ille, qui & dignitate fuit ſummus, ſcilicet Gregorius Papa, ſic diſcurrens. *Circa ſubditos ſuos ineſſe rectoribus debet, & iuſtè conſolans miſericordia, & piè ſæuiens diſciplina. Hinc eſt, quòd ſemiuiui illius vulneribus, qui à Samaritano in ſtabulum ductus eſt, & vinum adhibetur, & oleum; vt per vinum mordeantur vulnera, per oleũ foueantur: quatenus vnuſquiſque, qui ſanandis vulneribus præeſt, in vino morſum diſtrictionis adhibeat, in oleo mollitiem pietatis; per vinum mundentur putrida, per oleum ſananda foueantur. Miſcenda ergo eſt lenitas cum ſeueritate,* Gregor. lib. 21. Moral. cap. 8.

tate,

tate, vt nec multa aſperitate exulcerentur ſubditi, neque nimia benignitate ſoluantur.

Appoſitè ad hæc Hieronymus Narnienſis à prolixa oratione redux, & interrogatus à fideli quodam ſocio conſcio arcanorum eius, quid adeo longas in oratione moras necteret, cùm tot & tantis negotijs vrgeretur, quæ ad curam prouinciæ pertinebant? Sic reſpondit: Si pluries in die prouinciam non luſtrarem animo, Deũ illi conciliãs oratione iugi, Viſitatoris indignè vices obirem. Sed qui toto pectore fouebat animas, ſi quid obſtaret, nihil de rigore debito relaxabat. In eo argumento palàm fecit animum ſuum infractum in his, quæ ſpectabant iuſtitiam. Nimirum ille timens cuidam ex fratribus, eum quadam vrbe famoſa mouit, ſic iturus obuiam animæ diſpendio, quod illic frater hic iuuenis incurrebat. Sed ille iniquo ferens animo, ſe aliò diſtractum, & Superiori nouo commendatum, vt par erat; omnem ſuam adhibuit induſtriam, vt eò rediret, vnde Hieronymus Narnienſis ſuo functus officio prouidè deturbarat. Arbitratus viam eſſe compendioſam purpuram ſacram deuincire ſibi, Cardinalem vnum, & equidem magni nominis, facit intento ſuo propitium, & rogat vt reſcribat Viſitatori, & ſtylo idoneo perurgeat eũ in gratiam reditus ſui, ad priſtinum ſuum cœnobium. Legi ego epiſtolam Cardinalis congruam ſanè, vt alium inflecteret. Sed quia propoſiti tenax erat hic præfectus animarum, reſpondit Cardinali, intereſſe ſalutis animæ fratris huius, vt ſiſteret vbi, eo tempore morabatur. Magnum reuera fuit eluſiſſe preces Cardinalis, & incurriſſe in diſcrimen offenſæ viri Eminentiſſimi: ſed ego pluris facio curam animæ fratris, cui denegando gratiam illam prouidè conſulebat. Quando ratum aliquid animo ſibi præfixerat, arbitratus illud conducere ad ſalutare regimen ordinis, nemo planè ſuis precibus eum poterat infle-

flectere, vt remitteret aliquid de zelo, quo mediante toti prouidens ordini vigil ſedulus excubabat.

Vna fuit induſtria, qua frangebatur ille animus alioquin auſterus: ſi videlicet aliqua pœna inflicta, videret fratrem æquo animo ſubire ſibi mulctæ iugum impoſitum. Tunc illacrymans paſtor in caulas humeris huic ſubiectis, ouem morbidam inferebat. Miſeratus enim infirmam hominum indolem, ſi quid ſpei ad emendationem ſuperſtes erat, pœnitentiæ pondus ad miſericordiæ trutinam appendebat. Bernardi nimirum placebat illi ſententia: *Blanda*, inquit, *pietate ſunt portandi, qui pro ſua infirmitate non poſſunt increpari. Prælati Eccleſiæ portare debent ſubditos ſuos, quos corrigunt, & corrigere, quos portant. Hinc Salomon in baſibus templi Domini, imaginem Leonis, & Bouis, & Cherubim opere ſculptorio fecit pingere. Quid aliud deſignant baſes in templo, niſi Prælatos in Eccleſia? Quicumque ſolicitudinem regiminis ſuſcipiunt, tamquam baſes portant onus ſuppoſitum. Cherubim, plenitudo ſcientiæ interpretatur: in baſibus Cherubim monſtratur, quia Prælati Eccleſiæ pleni debent eſſe cœleſtis ſcientiæ. Per Leonem, terror ſeueritatis figuratur. Per Bouem verò patientia manſuetudinis oſtenditur.* *Bernard. lib. de modo benè viuēdi ſerm. 18.*

Ex literis eius, quas habeo multas penes me repoſitas, vt indices animi, qui dictauit eas, obſeruaui hanc eius induſtriam, cuius & vtinam hodie ſequaces eſſent omnes regulares. Vt ſcandalis occurreret, quæ emergunt ex nimia familiaritate fratrum cum ſæculo, inculcabat identidem Guardianis, ne ſingulis quibuſque imprudenter copiam facerent adeundi domos ſæculariũ, ne iniqua libertas vnius incurij ſtatus ſui, cederet in iacturam ordinis, hinc magno opprobrio ſæculi ſubiacentis. Hac familiari mulcta plectebat omnes, quibus erant ſuſpecta ſæculi conſortia, ne dubiæ pietatis animi, ſua libertate famam læderent ordinis illibati. Aliàs, vrgente

te graui deliquio, deportabat in alteram prouinciam illos, quibus erat hæc pœna cautè decernenda. Vna nimirum cura conſulitur corpori ſimul & animo, ſcilicet præeunte ſagaci ſolertia, ſingula quæque noxia declinando. Vnde, quia noxius eſt aer ille, quem ſpirant homines ſæculi, quotidiano experimento liquet, regulares nimia ſæculi frequentia, conſeruatam in clauſtro diu lædere lethaliter animæ ſanitatem. Hieronymus idcirco cauens ſaluti ſuorum,& ordinis nomini magno ſatis, penitiore receſſu cœnobij dubiæ ſanitatis homines, ſeruabat incolumes, etiam & inuitos, & plerumque ſuſurro importuno Prælati huius auribus inſultantes. Vt difficile eſt verba dare ſeni, ita & nihil profecere renitentes animi; ſed indicta ſolitudo fuit irreuocabile verbum, quod malè ſibi conſcios exulcerans inſenſos reddidit huic Prælato, qui profectò fuit incurius hominum improborum, vtpote ſalutem eorum quærens, non amorem.

Vtinam Prælati quique ſuo gregi ſic cauerent! non turmatim regulares abhorrentes à ſeceſſu vicos tererēt, nec magno ſæcularium faſtidio, clauſtra deſerta flerent eſſe plena ſuis profana compita cœnobitis. Scio infracto animo opus eſſe Superiori,vt prurientes in clauſtro pedes ſiſtant: Sed quid obſtat, quin exemplo Hieronymi, in his, quæ Dei ſunt, & ordinis ſui ſplendoris, armati zelo religionis coerceant hunc pruritum,contempto, Dei gratia comite, indiſcreto & procaci murmure dyſcolorum. Eò malorum deuentum eſt,vt ſinguli quique boni nolint, vel tantiſper limina cœnobij deſerere, vt pote experti, quàm conducat ad prouentum omniũ virtutum,corporis & animæ ſolitudo. Alij verò ſecus, extinctæ pietatis homines, memores alliorum & ollarũ ſæculi; ſuæ profeſſionis faſtidio capti, forum perambulant,veſte tenus tantùm religioſi,animo ſæculares.Hanc

in ſua

in ſua religione cladem luxit Bernardus, multos hodie, in hac & querela ſocios habiturus. *Audi, inquit, quomodo Ieremias noſtras iniquitates plorat dicens: Quomodo obſcuratum eſt aurum, mutatus eſt color eius optimus. Diſperſi ſunt lapides ſanctuarij in capite omnium platearum. Per aurum, intelligimus vitam religioſorum hominum, quæ antea erat per gloriam virtutum clara, nunc verò per turpes operationes eſt obſcura. Color optimus auri, ſignificat habitum ſanctitatis, qui per bona opera prius erat pretioſus, atque optimus, nunc vero per vitia, & ſæcularia opera eſt mutatus, & vilis, atque deſpectus effectus eſt.* *Bern lib. de modo benè viuendi ſerm. 66.*

Ne ergo Capucinorum ſacra peſſum irent, Hieronymus Narnienſis ſanxit, & ſeuerè, ne religioſi tenellæ famæ foras excederent, ne quod pietatis fortè temeratæ ſuperſtes erat, ſæculi iniqui frequentia noxia penitus exhalaret. In quod diſcrimen, quando quis impegit, faſtidit ille ritus omnes ſui cœnobij, & animo hilari ſemper quaſi redux in fæculo cõmoratur. Nauſeat ad pauperem apparatum clauſtri ſui, & idcirco menſis benè & opiparè inſtructis inhiat, more inolito paraſytis. *Bernard. vbi ſupra.*

Si igitur Hieronymus Narnienſis agens curã animarum, quæ ſe Capucinorum clauſtro deuouerant, ſeueriore diſciplina ſuos fratres ibi concluſerat, vbi ſe Chriſto Domino conſecrarunt: Illud omne fuit cautela viri conſcij, quàm conducat ad virtutis omnigenæ cumulũ, hic ſeceſſus, quo prudenter ab anima, quæ ſunt ei noxia declinantur. Placuit huic Prælato lymacis indoles, & aſtutia contra deforis illatas iniurias, quibus vt occurrat, ſe totum ſuo concludit ergaſtulo. Et inde emerſit pictura, cuius meminit Camerarius in tabula, delineans lymacem conchyliata theca latentem, hoc titulo deſuper appenſo. VNDIQVE TVTVS. Ita planè religioſus, intra ſui cœnobij ſepta ſe tutatur aduerſus vitia deliteſcens. Eſto foris mundus obmurmuret, cœno- *Camerarius lib. Centur.*

bità tamen in clauſtro vigiles agens excubias, eſt VNDIQVE TVTVS. Nempe clauſtra ſuos incolas accingunt armis idoneis, ad eludendos dæmonis impetus, quibus vt plurimum ratione frequentiæ virtutibus iniuriè, homines addicti ſæculo profligantur. Adijce ex Bernardo, fugam ſæculi, eſſe velut obſtetricem animæ, quæ concepit propoſitum vitæ cultioris, cui obſtare ſtrepitum mundi, nemo niſi inſanus ibit inficias; vt & ſecus in ſeceſſu clamant omnes Sancti, ſuo experimento edocti, virtutibus adijci maximum incrementum.

Bernard. epiſt. 341. Inde ſumit argumentum Bernardus, fauſta omnia ominandi viris, qui procul à ſæculo vitam agunt. *Bene feciſtis*, inquit, *alienando vos magis ac magis, ab actibus ſæculi huius, quæ eſt munda, & immaculata religio. Modicum fermentum, fratres, totam maſſam corrumpit; & muſcæ morientes perdunt ſuauitatem vnguenti. Quid prodeſt tanti corporalis, & ſpiritualis laboris, atque exercitij fructum viliſſima aliqua conſolatione, immò deſolatione minus acceptabilem fieri?* Hæc ille fauens Hieronymo Narnieñſi, qui concludendo fratres virtutis ancipitis, eis & ordini quoque cauit, exortas inde voces querulas aſpernatus.

Humilitas Hieronymi nulla honorum pompa potuit temerari. Caput XXVII.

INDVSTRIA & perita manu ficta ſimulacra proceræ molis, non adæquata ſolo palàm fiunt, ſed præalta baſi erecta, vt inde venuſtas operis appareat, ſtatua ſurſũ euehitur, ſuis numeris omnibus abſoluta. Quia ſic ab arte fuit comparatũ, huic & ego modo me aptaui hacte-

hactenus, quippe depicturus omnes; aut ſaltem præcipuas animæ dotes, quæ ditarunt Hieronymum Narnienſem, præmiſi capita, quæ pertinent ad dignitates eius. Dixi eum Prædicatorem ſacri Palatij à tribus ſucceſſiuè Papis electum: adieci eum affectum ſupremis honoribus ordinis ſui: & hæc omnia fuere baſes, quibus impoſita virtus eius clarior eluceſcit. Vt enim gemma pretioſa venuſtior eſt auro inſerta, quàm plumbeo laterculo; ita & virtutes quando inſident animis hominũ illuſtrium ratione dignitatis alicuius, inde ſumunt ingens luminis incrementum. Quippe rarò coëunt virtutes, & poteſtas. Itaque catalogum virtutum Hieronymi Narnienſis auſpicabor ab ea, quæ alijs ſubſtrata, molem ſuſtinet aliarum. Hæc eſt humilitas, quam Bernardus ait eſſe bipartitam. *Humilitas*, inquit, *duplex eſt, altera cognitionis, altera affectionis. Priore cognoſcimus quod nihil ſumus; & hanc diſcimus à nobis ipſis, & ab infirmitate propria. Poſteriore calcamus gloriam mundi; & hanc ab illo diſcimus, qui exinaniuit ſemetipſum formam ſerui accipiens; qui etiam quæſitus in regnum fugit; quæſitus ad tanta probra, & ignominioſum ſupplicium crucis, ſponte obtulit ſemetipſum*. Hæc ille. *Bern ſerm. 4. aduent.*

Nemo ſanè adeo mente captus eſt, vt neſciat ſe habere precariò totum illud quod eſt, ac proinde latè patet humilitas illa ſui ipſius notitiæ, quam probare fuiſſe in Hieronymo Narnienſi, non illi grande decus adijciet; quandoquidem illa virtus ad omnes pertinet homines vſquequaque. Sed humilem eſſe affectu, & ab alijs velle haberi pro nihilo, & refellere honores cum imminẽt, ſicut & æquo animo opprobria amplecti, quando nobis, etiam innoxijs magno famæ diſpendio à liuidis æmulis irrogantur: Hoc opus, hic labor eſt: nam in paucis concordes ſunt notitia, & affectus. Namque rarus eſt ille qui conſcius infirmitatis ſuæ, velit alios hanc reſcire, &

qui non ægrè ferat ſeſe haberi deſpectui, licet ſe noxium eſſe & dignum contemptu intimè fateatur. Miſeratur hanc hominum indolem, vt perfidam Bernardus, quia diſcolor ille affectus honoris cum notitia propriæ miſeriæ, prodit homines illos eſſe prorſus neſcios æquitatis.

Bernard. homil. 42. in Cant.

Audiendus ille Sanctus, *Si*, inquit, *tu temetipſum intus ad lumen veritatis, & ſine diſſimulatione inſpicias, & ſine palpatione diiudices; non dubito, quin humilieris & tu in oculis tuis, factus vilior tibi, ex hac vera cognitione tui, quamuis nec dum fortaſſe id eſſe patiaris in oculis aliorum. Eris igitur humilis, ſed de opere interim veritatis, & minimè adhuc de amoris inſuſione. Nam ſi veritatis ipſius, quæ te tibi veraciter, atque ſalubriter demonſtrauit, ſicut ſplendore illuminatus, ita affectus amore fuiſſes; voluiſſes procul dubio, quod in te eſt, eamdem de te omnes tenere ſententiam, quam ipſam apud te veritatem habere cognoſcis.* Hæc Bernardus luculenter ait; quæ fuere prælibanda mihi, vt Hieronymi Narnienſis humilitas liquidior omnibus appareret.

Quàm abiecta ſui ipſius æſtimatione deorſum inflecteret actus ſuos, inde patet, quòd arbitratus ſuas eſſe preces parui ponderis & momenti ante Deum, cuius obtutu ſe indignum credebat; ſemper obuiorum fratrum ſe orationibus ſedulò commendabat. Nihil omnino dabat ſuis meritis, eſto forent quàmmaximè Deo grata; ſed quidquid gratiæ, & virtutis erat inſitum ſibi, fatebatur ingenuè, illud omne precum fratris alicuius obſequio cœlitus influxiſſe. Vt erat in omnium ore, in quot homines incurrebat, tot & præcones ei occurrebant. Sed vbi tantillum laudis ſuæ audiebat, ipſo encomij primo ſuſurro canebat verſum, Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto; ſicque decus omne ſuorum meritorum reponendo penes Deum, ab humanis lau-

dibus

dibus abhorrebat. Omnium hominum ſuffragio Hieronymus Narnienſis ea prædicandi facultate fuit, quæ ſumma poteſt eſſe. Eam ob rem tribus ſucceſſiuè Papis ſic placuit, vt & inuitus ab eis pronuntiatus ſit, ſacri eorum pulpiti prædicator. Tamen nullo planè typho vir humilis intumuit, vt pote ratus, ſe imparem eſſe tanto officio: licet enim conciliaret ſuo prædicandi modo gratiam omnium adſtantium, ipſe ſibi ingratus, ſuas ſemper conciones, vt hiulcas, cenſor rigidus improbabat. Vnde licet Pontificum, & Cardinalium aura ſecunda ſuas videret accipi parænefes, nemo mortalium audiuit vnquam hominem hunc, vel muſſitare quidem, in gratiam officij huius, quod geſſit induſtriè ſi quis vnquam. Ea dictante humilitate, ſuas voluit eſſe tacitas omnes, quas habuit ſummas in ordine, dignitates. Nullus enim ex eius ſermone potuit deprehendere, fuiſſe virū hunc prædicatorem ſacri Palatij, & aſſumptum ad præcipuas religionis ſuæ præfecturas: ſiquidem homo ille Deo plenus, humilitatis argumenta capiebat, vnde datum eſt ei copioſo gratiarum influxu cæteris eminere.

Gregorius ingenium illud eſſe Sanctorum ait, vt dignitate dehiſcant, & ad ima magis vergant. *Sancti viri*, inquit, *quò apud Deum altius virtutum dignitate proficiunt, eò ſubtilius indignos ſe eſſe deprehendunt.* Hæc ille ſatis appoſitè ad ſeriem rerum, quas recolo. Cœlitus acceptas alto ſilentio præterire dotes, indicium ſanè verax eſt humilis hominis: ſed hic ea virtus haudquaquam ſiſtit, quippe gradus ille negatiuum aliquid duntaxat innuit, vt pote ſitus in virtutibus, & gratijs minimè propalandis. Alia ſunt argumenta, quibus innoteſcit humilitas, nempe poſitiua quædam acta ſuperbis inuiſa, cuius generis ſunt illa, quæ Hieronymus noſter, quantauis dignitate potens, vt pote Prædicator ſacri Palatij, & Definitor Generalis, ſedulus exercebat.

Greg. li. 32. Moral. c. 1.

O 4 Pauca

Pauca recenſebo, ne ſeries longa tenore ſuo faſtidium ingerat. Hieronymus Narnienſis eſto decus ordinis ſui eſſet, & curiæ Romanæ verax oraculum, priſtini ſui ſtatus in religione memor, perfunctus honoribus ſummis, humilitati, quam iuuenis eſt profeſſus, omnino nihil detraxit, ſed maiora potius addidit incrementa. Ille namque licet primas in religione vices gereret, ad abiecta ſeſe demittebat obſequia, quibus & antea ſeſe vir humilis oblectabat. Namque culinæ ſordes abſtergere, & ſcutellas abluere, lauare pedes aduenarum, & eis oſcula deuota infigere; res erat gratioſa Patri Hieronymo, qui ſic erat ſuæ dignitatis immemor, vt ſe ſemper humilem Capucinum opere congruo meminiſſet. Antelucanis horis, & nemine conſcio, infirmorum cellas latenter ingreſſus, fæces purgabat, vaſa ferendo foras, quæ mundata ſuis manibus, infirmis etiam inſcijs in locum priſtinum inferebat. Noctu ſine arbitris adibat Eccleſiam, noctes ferè inſomnes agens in oratione iugi, & ſubducta viſibus hominum, vt ſalua humilitate foret placita Deo ſoli, & à ſuſpectis aliorum laudibus illibata. Ille meditatus, lubricante pedum veſtigio caſum ſemper inſtare nobis, valde pronis ad peccandum, humilitate cauit ſibi, vt aduerſus omnimodos lapſus pharmaco ſalutari. Sic ſibi conſulebat Auguſtinus, ita fatus. *Duo nobis neceſſaria ſunt, vt nos cognoſcamus: videlicet, quales ſimus ad malum, & quales ad bonum. Proni ſumus ad malum, &, ſi miſericordia Dei non teneret nos, in omne vitium poſſemus cadere, nec inde ſurgere, niſi miſericordia Dei ſubſequeretur.*

August. lib. de Spiritu, & anima.

Hieronymus Narnienſis probè ſciens comparari habitum virtutis, pedetentim, & non in inſtanti, præuijs ſcilicet actibus idoneis; ad omnia abiecta facinora, quæ conducunt ad humilitatem, ſeſe æquo animo componebat. In publico refectorio Definitor Generalis ſua

recenſebat deliquia, quæ licet nullius eſſent ponderis, & momenti, attamen illa recolebat, vt grauia, verſans animo ſuo, næuos vel minimos hominum illuſtrium, eſſe velut lubricum infirmis facilè cadentibus, cùm maiorum lapſibus inuitantur. Animaduertit ſemel Hieronymus Narnienſis fratrem vnum iniquo animo excepiſſe ſalutarem correctionem, quam ipſe charitate ſola percitus vſurparat. Vt inquam conſcius effectus eſt mœroris, & luctus, quo angebatur ille tenellus animus, & cenſuræ prorſus impatiens; Hieronymus adſtante tota corona fratrum ad genua fratris illius anxij, veniam humiliter deprecans procidit aduolutus. Obſtupuere omnes, virum tantum innoxium, eò ſe demittere, vt procumberet tanquam reus ad pedes hominis, quem non læſerat, ſed potius arctè ſibi deuinxerat, congrua cenſura ſalutem eius animæ procurando.

Hac humiliatione vt compendioſa via deuenit tandē ad apicem virtutis huius, iuxta Bernardi ſententiam. *Humiliatio*, inquit, *via eſt ad humilitatem, ſicut patientia ad pacem, ſicut lectio ad ſcientiam. Si virtutem appetis humilitatis, viam non refugias humiliationis. Nam non poteris ad humilitatem prouehi ſine illa. Prodeſt itaque mihi meam inſipientiam ſciri, & à ſcientibus iure confundi; cui ſæpe contigit à neſcientibus iniuſtè laudari.* Hæc ille; cui ritè morem geſſit Hieronymus noſter, abiecta ſectatus obſequia, ſemper aſpernatus illa dicteria, & ſcommata, quibus vt plurimum humiles animi configuntur.

Bern. epiſt. 87.

Illud etiā inſigne fuit ſpecimen humilitatis eius, quod ſecretò conueniebat illos ex fratribus cœnobij, quos videbat eſſe ſingulares in aliqua virtute, petens ab eis, qua methodo ſibi familiarem feciſſent hanc virtutem; deinde gemens aiebat: Video ſingulos quoſque dotes animæ magnas præ ſe ferre, cùm vnus ego premar pondere peccatorum. Spectaculum reuera Deo gratum fuit, vide-

re hominem conſulentem indoctos plerumque fratres de his, quæ pertinent ad comparandas virtutes, cùm ipſe foret oraculum, ad quod Cardinales, immò & Summi Pontifices confluxere, rati virum eſſe Deo afflatum; & præſertim quando ex ſacri palatij pulpito reſonabat. Sæpe ſæpius accidit, vt Cardinales, & alij Præſules, vel magni nominis homines, hunc laudarent ipſo coram adſtante. Sed ipſe pudore tunc ſuffuſus, pallio ſuo faciem obducens aiebat: Heu heu, homo peccator ſum, illa carens ſupellectile virtutum, quas vos blandiloqui, & vitiorum meorum neſcij prædicatis. Si verò quiſpiam fratrum in cœnobio referret eo præſente encomia, quæ vulgo iactabantur de ipſo Romæ, Hieronymus aures obturans exclamabat: Superſede frater, dicta tua meis auribus iniuria ſunt, quippe nihil in me ſcio conſonum eloquio, quod incautè mei gratia ventilaſti. Vt autem omnibus innotuit Hieronymum Narnienſem lædi recenſione ſuarum actionum, nemo niſi imprudens ipſo Patre conſcio talia iactitabat.

Inſtabit fortaſſe quiſpiam, præfata hæc omnia poſſe conducere ad gloriam conquirendam, quæ plerumque fictitia humilitate ſolet ab hypocritis peti; Namque cute tenus ſe demittunt, & anhelo ad inanem gloriam animo ſcatente vitijs intumeſcunt. In hos Bernardus acriter inuehitur hac cenſura. *Appetere de humilitate laudem, humilitatis non eſt virtus, ſed ſubuerſio. Verus humilis, vilis vult reputari, non humilis prædicari. Gaudet contemptu ſui, hoc ſolo ſuperbus, quod laudes contemnit. Quid peruerſius, quidue indignius, quàm vt humilitatis cuſtos confeſſio, ſuperbiæ militet, & inde velis videri melior, vnde videris deterior? Mirabile iactantiæ genus, vt non poſſis putari ſanctus, ſi non appareas ſceleratus! At talis confeſſio ſpeciem habens humilitatis, non virtutem; non ſolùm veniam non meretur, ſed & prouocat iram.* Hæc Bernardus, cui

Bernard. ſerm. 16. in Cant.

cui & ego ſubſcribo dicens, eſſe ſuſpectam illam humilitatem, quæ dubijs actibus gloriæ humanæ litans, duntaxat deforis innoteſcit.

Itaque operæ pretium eſt Hieronymum Narnienſẽ vindicare ab hac ingloria ſuſpicione, probando virum hunc inſignem fuiſſe procul ab honoribus omnibus aucupandis. Creatus ille Viſitator Generalis, & delegatus in Vmbriam à Clemente à Noto Generali, qua potuit induſtria tẽtauit onus illud graue ſuis humeris ſubducere. Vidi ego literas, quas eo fine Procuratori Generali ſcripſit, eius opem implorans, vt tutò refellere poſſet illud opus iniunctum ſibi, cui obeundo minus idoneum ſe humili animo fatebatur. Scripſit item Patribus Vmbriæ, ſe ineptum eſſe tali officio, ac proinde viderent poſſent nec ne, ipſo renuente munus hoc præfatum, ſua pro more Capucinis inolito comitia annua celebrare. Tandem vt irrita vota ſua vidit, inuitus aggreſſus eſt illud officium. Eo degente Neapoli Paulus Quintus Pontifex illectus fama meritorum eius, deſtinauit eum pulpito ſacri palatij, deferens abſenti honorem, qui reuera fuit virtutis, & ſcientiæ illius maximum argumẽtum. Adeo conſternatus eſt hoc nuntio Hieronymus, vt pote refuga honorum, vt totus abiens in lacrymas aliquos egerit dies, querula voce lugens ſortem ſuam, vitæ ſeorſim poſitæ denegatam. Præcipui patres cœnobij timuere viro tam acerbè ferenti titulos inſignes; ideoque ſuam adhibuerunt induſtriam, vt ſolarentur hunc hominem mœſtum, & amarorem eius animi mitigarent.

Mortuo Paulo Quinto, vt audijt Gregorium nolle alteri dare ſuum pulpitum, propoſuit declinare vices illas, quas tota applaudente Roma, & magno prouentu adſtantium obierat vtique luculenter. Sed Pontifex cõſcius humilitatis eius, ne ille ſuam cauſaretur infirmita-

tem,

tem, lecticam miſit in Vmbriam, adiecto præcepto ſanctæ obedientiæ, vt incunctante mora Romam veniret, ſuo functurus officio, tanquam ſacri pulpiti prædicator. Præcepto vrgente morem geſſit Hieronymus, apprimè ſciens, obedire viam eſſe ad comparandum humilitatis habitum. Gregorio extincto, Vrbanus oleum, & operam perdidit, in hortando Hieronymo, vt pergeret in aſſueto ſibi officio, & ſacri palatij pulpito denuo ſiſteretur. Mortuo Generali Præpoſito totius ordinis, cura religionis erat deuoluta penes Hieronymum, qui primus erat Definitor: ille tamen obſtitit vt potuit, nec niſi coactus ſubiecit humeros huic oneri, iuxta morem ſuum, illuſtria ſemper onera detrectandi.

Paulo Quinto ſuperſtite, cui perquam charus erat, noluit inuiſere Cardinalem Burgheſium nepotem eius, ne ſic in ſuſpicionem incurreret alicuius ſacrarum ambitus infularum. Tota namque Roma rumor increbuerat Paulum Quintum cogitare de Hieronymo aggregãdo ſacro collegio: immò & intimi Capucini, quos familiares adhibebat ille pater, aliquando iocantes dixerunt ei, vt caueret à purpura. Ille zelo ſuæ profeſſionis accenſus exclamauit: Nihil mihi & purpuræ ſacræ; ſatius eſt quippe mori in habitu paupere Capucini. Sciſcitatus eſt ab eo quidam, quid faceret accedente præcepto Papæ, vt Cardinalis infulas aſſumeret. Ego, inquit, in ſyluas errabundus irem, nec inde ſecederem morte tenus, hoc vnum dolens, quod me inter Cardinales ætas poſtera recenſeret. Hæc dixiſſe parum, ſed & feciſſe rarum eſt, atque humilitatis indicium, quod nullas patitur inſtantias. In re graui Paulus Quintus Hieronymũ Narnienſem adhibuit conſultorem. Is ſuggeſſit conſilium opportunum. Agebatur de componendo iurgio imminẽte inter Sedem Apoſtolicam, & Philippum III. Regem Catholicum: intererat totius Eccleſiæ, ne Pontifex

tifex

ſex oppreſſus ſuccumberet, idcirco Papa dolens conſuluit Hieronymum, qui ſuo more fuſis Deo precibus ait, ſe ſcripturum nomine Pontificis literam Regi Catholico, quam operæpretium erat commendare ſacerdoti à confeſſionibus Regis, vt eam Regi confeſſionis tempore reſignaret. Suggeſſit hunc Regem eſſe pium, & ei accidere, quod & alijs plerumque Dynaſtis, quibus inſcijs optimates multa, & heu quàmplurima indigna nomine regio moliuntur. Ideoque fore, vt in procinctu ſacramenti pœnitentiæ legens literam Summi Pontificis, annueret ſtatim legitimis eius votis. Pontifex hoc Hieronymi affatu recreatus ait, illud conſilium non eſſe humanum, ſed Deo afflante cœlitus inſpiratum.

Itaque procurante Papa ſcribit epiſtolam Hieronymus, qua benè ſuada Regem emollijt, & ad nutum Pontificis effinxit totum: qui reſponſum Regis accipiens in palatio Tuſculano decimo ab vrbe lapide, tanta lætitia perfuſus eſt, vt illuc Hieronymum Narnienſem citò citiùs aduocarit. Nempe viro illi magno debebat facilem, & fœlicem exitum negotij grauiſſimi, quod inſtabat ſummo etiam diſcrimine Reipublicæ Chriſtianæ. Tres effluxerant menſes ab epiſtola tranſmiſſa ad Hiſpanos; inde cura importuna laceſſebat animum Papæ metuentis, ne Rex iniquo animo ſuas literas accepiſſet. Quodque rei cardo præcipuus erat: timebat Pontifex ne mali labes ſerperet, & ſcintilla leuis incendia magna breui accenderet: denique de propitio euentu Papa prudens incaſſum effluxo tempore deſperabat. Sed vt vidit Hieronymo moderante grauem illàm difficultatē, omnia ceſſiſſe ſecundum omen eius; credidit Paulus eſſe è re ſua, immò & conducere ad optimum regimen Eccleſiæ, Capucinum hunc aggregare ſacro Cardinalium collegio, & ſic à cœnobio ſuo paupere ſegregare. Vt ergo venit Tuſculum Hieronymus, ſiſtitur illico Pontifici,

tifici, qui eum poſt oſcula pedum charè amplexatum ſic compellat: Hieronyme ſat ſuperque tibi laboraſti, vitam agens ſeorſim à ſæculo, hactenus in penitiore receſſu cellæ omnibus inuiæ deliteſcens. Eccleſia nunc experta. curas tuas eſſe ſalutares ipſi, tuam charitatem ſolicitat, vt qua polles induſtria conſulas eius rebus valde afflictis, quod vt præſtes maiori pompa, volo te ſacra Cardinalium purpura decorare. Titulus ille manet te, & inuitum: dictante Deo concepi propoſitum illud, eſto tibi ingratum. Nihil inde ſalus tua diſpendij patietur, imò laboranti tibi pro ſalute omnium, Deus inuigilabit eis, quæ tua ſunt, adiecto etiam cumulo gratiarum. Caue ne tua ſola curans, videaris incurius eorum, quæ Dei ſunt, & ne condemnes ſacrum collegium, dicendo te timere damna, quæ inuoluunt hodie purpuratos. Omnia ſana ſanis. Sanctus Bonauentura nihil pietati ſuæ detraxit purpura adauctus; & ſi quid eſſet diſcriminis in hoc honore ſubeundo, totum illud ſtatim obedientiæ merito diſſoluetur. Animæquior eſto, iugum patiendo profuturum tibi, quia pendet inde profectus Eccleſiæ, cuius incrementa debent eſſe potiora tibi, quàm ſeceſſus amor ille cedens in magnum totius Eccleſiæ detrimentum.

Hieronymus ad voces illas, vt ad fragorem tonitrui expauit, & attonito ſimilis obmutuit, & oris habitu mutato totus infremuit, neſcius vnde ſuos animi motus querulos auſpicari. Vrgente tamen Pontifice, ſic reſpondit ex abrupto: Quid peccaui BEATISSIME PATER? quid offendi, vnde tua Beatitudo parat ſupplicium, quod profectò mihi imminet, ſi quando cogor à paradiſi, id eſt, à cœnobij mei foribus exulare? Si quid peccatum eſt, alio modo plecte; alia tortura quàm purpura torque reum, qui ſupplex alia ſupplicia non detrectat, ſed cautè timet in propoſito honore ruinam.

Non

Non carpo viros purpura inſignes, ſed mihi malè conſcius ominor omnia infauſta animæ meæ, niſi morte tenus ſuo clauſtro rerum omnium indigo, refuga purpuræ concludatur. Si meis obſequijs fortè tibi gratis, induceris ad purpuram mihi conferendam velut ſtipendium; omne fœnus hoc reſpuo, teque ſolutum vbique dicam, dummodo honore mihi propoſito feceris abſolutum. Deum teſtor, cuius agis vices, me tuis aduolutum pedibus, non inde receſſurum, quin feceris certiorem te reuocaſſe conſilium, quo mihi deferendo ſacram purpuram ſaluti animæ meæ peſſimè cõſulebas. Si propoſiti tui tenax mihi non indulges, parce vitæ meæ, ipſa ſola mentione purpuræ fatiſcenti. Satius namque tibi erit habere Capucinum diuturnum, quàm momentaneum Cardinalem. Pontificis eſt benedicere: dic vt moriar Capucinus, & benedices; alioquin erit mihi purpura maledictum. Capucini vita, & vota Cardinalium, non concordant. Suas quiſque vices agat, & erunt vnicuique omnia ſarta tecta: me tibi Capucinum deuinxiſti, noli quæſo me inuitum perdere Cardinalem. Allegaſti publicum commodum Eccleſiæ, & ego meas inde tutor partes. Quippe credent omnes, conciones habitas in ſacro palatio litaſſe purpuræ ſacræ aucupandæ magis, quàm ſaluti adſtantium, & ſic me voce tenus tantùm Chriſto Domino militaſſe. Quicquid à me molitum eſt hactenus, illud omne demolietur honos; cui ſi annuo, eo ſolo nomine me fuiſſe abnuo Capucinum. Denique Sancte Pater, ſi quid conſilio opportuno, oratione iugi, & concione ſacri palatij iuui Beatitudinem veſtram, hoc vno donatiuo grates habebo æternas, ſi voce rata, & fixa mihi dixeris: Abſoluo te à Cardinalatu, morere Capucinus.

Dum hæc Hieronymus illacrymãs ingereret auribus Pauli Quinti, Pontifex ingemuit, & agnouit quàm tremen-

mendum eſſet onus pontificium, cùm homo virtutis emeritæ timens animæ ſuæ à Cardinalatu, lacrymis etiã teſtibus abhorreret. Vt ergo ſolaretur hominem gemebundum, proſtratum humi, ipſemet Pontifex illacrymans ait: Hieronyme ego te aliàs adſciui in paſcua Petri, vt oues eius reficeres pabulo verbi Dei; hodie non gregem, ſed paſtorem, & collegam Petri Paulum opiparè luculento ſpecimine humilitatis edito recreaſti. Te pluries audiui de pulpito ſacra referentem oracula: ſed tumet in præſentiarum factus oraculum, exemplo grandiloquo, refuga honoris, rutilam omnem mundi pompam eſſe fucum, qui incautis illudit oculis, fortiùs intonuiſti. Perorando mira ſuggeſſiſti de lubricante honorum ſorte, qua fit dubia plerumque ſalus hominum illuſtrium: dictis hiſce tuis vtique ſinceris hodie fecit purpura recuſata fidem, hoc tuo ſingulari opere confirmatam. Si tuis eloquijs defuit aliquando lumen ſufficiens, vt adſtantes virtutis amore illecti, ſua ei penderent obſequia, pertæſi hunc fugacem ſæculi faſtum; nullus eſt iam dubitandi locus, poſt humilitatis tuæ editum hoc locuples argumentum. Voce ſonora prædicaſti, tota applaudente Roma: ſed purpuræ oblatæ denegatus à te conſenſus, & defluentes lacrymæ, licet elingues dedere vocem, cuius ſuaue melos, beatorum auribus inſonuit, cœleſti tota tibi curia gratulante. Quod ad me attinet, ægrè fero, ſacrum collegium tanto collega deſtitui: ſed gaudeo, me nunc inſtitui tuo exemplo, ad ſpernendos, & flocciſaciendos ſummarum etiam titulos inſularum. Tantaque geſtio lætitia tuæ virtutis intuitu, vt hac humilitate tua ſuſpicer in te ditiores virtutum gazas, quã ſi oratione iugi duos homines extinctos feciſſes hodie rediuiuos. Quippe totus tuarum virtutum cumulus in hoc cardine vertitur, quòd vim faciente tibi Pontifice, nolueris eſſe Cardinalis. Itaque eſto voti compos, veſte

Capu-

Capucina lætior quàm purpura, quippe depono propoſitum ſacræ tibi purpuræ deferendæ.

Hoc ſermone audito reuixit Hieronymus antea ſemiuiuus, quaſque grates potuit illas egit Summo Pontifici, qui tanti fecit hoc facinus egregium, vt deinceps eum ſuſpexerit,& multò charius adamarit. Semel enim Hieronymo inuiſente Papam, Præfectus ſacri cubiculi pro foribus adſtans audiuit Paulum ſic tenellè affantem Hieronymum: Vnde potes colligere amorem meum ſingularem erga te Hieronyme, cùm nihil à me petas? Experire precor, quo te proſequar affectu, & ſcito, me non te amare ſolùm,ſed & corde intimo venerari. Quas vt voces deforis excepit præfectus cubiculi, inde retrocedens ait: Deus bone, quid audiui? Pontifex ait ſe non duntaxat eſſe benè affectum erga Hieronymum Narnienſem, ſed & inſuper eum maximè venerari. Ecce quomodo ſuos ſectatores humilitas afficiat honoribus, quos & ipſa fugit, vt Pammachij exemplo probat Sanctus Hieronymus,dicens eum depoſita purpura,vt Monachus fieret,hinc maiora percepiſſe gloriæ etiam apud homines incrementa. *Non eſt parum*, inquit, *virum nobilem, virum diſertum, virum locupletem, potentium in plateis vitare comitatum, miſcere ſe turbis, adhærere pauperibus, ruſticis copulari, de Principe vulgum fieri. Sed quantò humilior, tantò ſublimior eſt. Lucet margaritum in ſordibus, & fulgor gemmæ puriſſimæ, etiam in luto radiat.* *Hieronym. epiſt. 26.*

Gregorio Decimoquinto regnante, ſoporata recruduit anguſtia, quam Paulus ingeſſerat, deferre volens purpuram ſacram Hieronymo Narnienſi. Namque Papa Gregorius hoc animo ſuo ratum fixerat propoſitum, Capucinum hunc afficere purpura reluctantem. Vt leui ſuſurro rumor innotuit Hieronymo Narnienſi, Roma ſecedens iuit in Vmbriam, cauſatus eſſe ſuam

prouinciam, vt ſublato ſui obiecto, Papa mutaret conſilium, nec fieret ille delata purpura Cardinalis. Namque ſatis admodum ægrè ferebat ſe præfectum pulpito ſacri palatij, ab hoc Pauli ſucceſſore, ideoque ſaturatus honoribus, ad humilem vitam neſciam dignitatum, hic homo inſignis votis omnibus anhelabat. Sed quò plus declinabat, eò magis inclinabatur Antiſtes ſummus, qui vt in morbum incidit, quo exceſſit, hoc vnum luxit, quod non inauguraſſet ſacris infulis Hieronymũ Narnienſem; qui & ſecus vbi audijt extinctum eſſe Gregorium, arbitratus ſe liberatum, & purpura, & pulpito ſacri palatij, decantato hymno TeDeum laudamus, iubilans exultauit.

Ex prope infinitis, hæc paucula congeſſi ſpecimina humilitatis huius Capucini, exoſi honores, & quicquid altum ſapit; vt qui lectione vitæ viri illuſtris cautè ſibi voluerint prouidere, hunc etiam conſonis actibus aſſequantur. Hieronymo Narnienſi refugæ honorum placuit indoles eius, quem meminit Ferrus, qui nauem in littore pingit hoc titulo appenſo: ALTVM ALII TENEANT. Id eſt, ego pacatam, & tranquillam vitam priuatus ago. Alij verò ſuæ ſortis incurij alta petant. non ſtat per me, quin ſuperbo queant genio ſuo magnis adeptis titulis indulgere. Hieronymus Narnienſis non damnauit eos, quos purpura ſacra facit inſignes, ſed recolendo ſuam ſortem humilem, hac contentus aiebat: ALTVM ALII TENEANT. Id eſt, pro voto ſuo geſtiant in infulis homines, qui cæteris eminent: ſumma meæ ſalutis erit alta cauere, & habere ratum fixumque meum Capucini ſtatum, quem humilem omnibus infulis antepono.

Ferrus p. 2. theatri ſymbol.

Amore

Amore Dei Hieronymus totus incanduit. Caput XXVIII.

SPONSAE Canticorum ſpeciem elegantem, eius amaſius intulit expeditè, eam ſic affatus. *Quàm pulchri ſunt greſſus tui, in calceamentis filia Principis*. Tota nimirum animæ pulchritudo petitur à pedibus, id eſt ab humilitate, quæ in virtutum choro pedis inſtar eſt in vltimo loco ſita, & velut in puluere deliteſcit. Vt perfecta humilitas indiuidua comes eſt gratiæ, quæ ſuperbis non inſidet, ita grata Deo ſit nec ne anima, dignoſcitur hac virtute, licet illa reliquarum intuitu, quæ rutilant, & eminent oculis hominum, eſſe infima videatur. Hac humilitatis indagine Mariam placuiſſe Deo Bernardus ait, & inde ſalijſſe gratiarum omnium ſcaturiginem, quæ Deiparam hanc Virginem inundauit. *Cant. 7.* *Bern. hom. 1. ſuper Miſſus eſt.*

Quantam ergo putas fuiſſe congeriem virtutum in anima Hieronymi Narnienſis, qui præfulſit humilitate tanta, quanta poteſt eſſe maxima, vt ex recenſitis proximo capite ſcribitur argumentis? Poſito fundamento, id eſt commemorata humilitate, libet ſeriem virtutum eius auſpicari à charitate, quæ vt Regina chorum ducit. Charitas ſic eſt dicta velut chara vnitas, quippe quaſi vnum Deus & homo fiunt, huius virtutis obſequio, quo ſubiecta prius à ſe inuicem valde diſſita glutinantur. Eò collimat Apoſtolus, hoc effato: *Qui adhæret Domino, vnus ſpiritus eſt*. Illo charitatis affectu Deum habebat ſic præſentem, vt ab eo diuelli non poſſet, vtpote loquens Deo ſolus, aut de Deo, coactus cum ſocio aliquo conuerſari. Non poterat temperare ſibi, quando *1. Cor. 6.*

ſeorſim erat, & ſine arbitrîs, quin verſiculum hunc frequenter occineret, Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto. ſiquidem percitus amore Dei, ad hunc bonorum fontem, & votis, & affectui ſuo ſacro conſonis vocibùs anhelabat. Itaque placet ei affingere ſenſum huius ſententiæ Auguſtini. *Adhæſit anima mea poſt te. Vide deſiderantem, vide ſitientem, vide quomodo adhæreat Deo. Naſcatur in te iſte affectus. Si exortus iam eſt, mandet Deus nubibus, vt pluant ſuper illum, & creſcat in arborem magnam, ita vt ex toto corde dicere valeas: Agglutinata eſt anima mea. Gluten charitas eſt, qua anima Deo coniungitur. Et quia hinc ingentia oriuntur bona, ſubintulit regius Pſaltes: Ipſi verò in vanum quæſierunt animam meam. Non enim diaboli, mundus, aut caro ablaturi erant gluten: quis enim nos ſeparabit à charitate Chriſti? tribulatio, an anguſtia?* Hactenus Auguſtinus.

Auguſt. in Pſal 62.

Hieronymus noſter amore Dei flagrans, multus erat in ſermone, cuius erat amor hic diuinus præcipuum argumentum. Nemo planè eum audiuit de amore Dei colloquentem, quin ſubitò flammiuomi oris incendia conceperit: Et hoc ſanè fuit indicium eius incendij, quo amantiſſimi Patris Hieronymi præcordia intima conflagrabant. Multò namque liquet experimento diuturno, latus ſiniſtrum eius arſiſſe foco ſenſibili, ita vt corde æſtuante lintea parti huic appoſita tabeſcerent, vt fornaci appoſita: imò habitus ipſe licet panno rudi, & auſtero ſatis aſper, illa velut facula ſoluebatur. Conſulti ſuper ea re Medici, primo ſuſpicati ſunt aliquod in hepate vitium, ita vt ipſo temerato totum corpus arderet igne lethali, & noxio, potiora quæque viſcera depaſcente. Sed eo mortuo & exenterato iecur apparuit valde ſanum, & integrum, nulla foci labe, vel tantiſper intectum. Non ciborum ingeſta copia fomes huius erat incendij, nec immodicus vſus vini camino accenſo oleum

inie-

inieceɾat,quippe pleɾunque pane modico,& aqua ſuam leuabat inediam.

Hyberno tempore, & nocturnis horis, cùm frigore ingraueſcente gelu contrita ſunt omnia, Hieronymus in oratione poſitus, & animo verſans amorem Dei in nos, ab hac oratione redux, velut ex fornace copioſo ſudore madens feruidus incalebat. Fuiſſe calorem hunc ſingularem, inde liquet, quod homo ſenex poſitus in procinctu orationis hyeme inhorrēte frigebat; & quandoque rigor tremulum hoc corpus agebat dirè, ſed vbi orando recolebat Paſſionem Chriſti, ſtatim conſcio etiam corpore flagrante, focus amoris Dei acrior inſurgebat. Plerumque accidit, vt ab oratione ſuam repetens cellam, ſimilis exanimi decideret in lectulum, amoris æſtu concluſo in pectore, vitales omnes ſpiritus abſumente. Ille ſacer Dei amans, ideoque verè Capucinus, ſuo exemplo fidem fecit Bernardo, ſic verſanti locum Canticorum. *Egreſſa*, inquit, *ſponſa è cella vinaria, ſtatim loquitur: Fulcite me floribus, ſtipate me malis, quia amore langueo. Creuit amor, quia incentiua amoris, plura ſolito fuerunt, ex longa familiaritate, & colloquio cum ſponſo habito in vinaria cella: amore plena manſit ſponſa, poſt quæ omnia ſponſo ſuo more ſecedente, illa præ amore ſe languere perhibet: quò enim gratiorem fuerat experta præſentiam, eò poſtmodum abſentiam moleſtiorem ſenſit.* *Bernard. ſerm. 51. in Cant.*

Bernardus hoc contextu refert illa deliquia cordis, quibus amans anima ſubditur, quando ſacris ignibus inardeſcit. Hieronymus noſter præfata paſſus incendia, ſæpe cadens animo probauit hunc defectum virium, dum præſertim charitate Dei accenſa anima colliquatur. Sed eſto vires hunc hominem deficerent præ amore, tamen ſi quando focus amoris huius erat accendendus, vel propagandus in hominum corde, robur ei ſuppetebat ingens; vt videre fuit in concionibus eius, quas

ille, licet inedia,& vigilijs fractus, incredibili vehementia ſemper,& velut vſus compage lacertorum valida recitauit. Nempe voce ſonora,& diſtincta ſuos ſic conceptus ingerebat auribus,vt concordi omnium adſtātium ſuffragio nemo potentior extiterit in ſermone, quem & indefeſſa virtutum omnium praxi, adiecto conſono opere confirmabat.

Totus erat Hieronymus in hoc adſtruēdo foco,ſciens ignem hunc ſacrum figurari verbis iſtis Leuitici. *Ignis in altari ſemper ardebit,quem nutriet ſacerdos ſubijciens ligna manè per ſingulos dies, & impoſito holocauſto, deſuper adolebit adipes pacificorum.Ignis eſt iſte perpetuus,qui nunquam deficit in altari.* Hac lege Dei ſancitur amor,cuius extincto foco, peius accidit animæ, quàm Romanis emortua lampade Veſtalium, vnde Senatus eſt aliquando ſibi infauſta omnia ſuſpicatus. Qui namq; Dei amoris eſt expers, ille miſeranda ſorte luit pœnas criminis à ſe perpetrati, quando foci cœleſtis incurius, maximè commēdatum à Chriſto Domino charitatis ignem longius amandauit. Audiendus in eo argumento Beatus Hieronymus ita fatus. *Attendite, quòd ſine præcepto charitatis non ingreditur quiſquam ad Deum videndum. Propter hoc Apoſtolus Paulus non gloriatur in linguis Angelorum, & hominum,non in cognitione myſteriorum Dei, non in ſpiritu prophetiæ, non in aſperitatibus carnis, non etiam in eleemoſynarum operibus,quamquam ad omnia pietas valeat, dummodo charitas non deſit. Hæc itaque ſola reddit hominem Deo viuentem, hæc religioſos,hæc monachos facit, ſine hac monaſteria ſunt tartara, habitatores ſunt dæmones: cum hac verò ſunt paradiſus in terris,& in eis degentes ſunt Angeli.*

Leuit. 6.

Hieron. in regula Monachor. ad Paulum.

Hieronymus noſter illum ſacrum amoris ignem concepit,eo ferè modo,quo ſuum nutriebant ignem Perſæ litantes ei, vtpote Deum ignem eſſe fide Perſica reputan-

tãtes. Auctor eſt Strabo, cui & præiuit Herodotus, Perſis ignem fuiſſe loco numinis. Modus autem accendendi focum illis ſacrum, eodem aſſertore fuit iſte. Ligna arida aptabant cortice adempto, & hæc ſuper infuſo oleo ſuccendebant. Hieronymus Narnienſis, nullo ſæculi prorſus humore madens, reuera fuit vt aridum lignum, paupertatis obſequio totam mundi ſupellectilem abiecerat, veſte nimirum ſæculi, & opibus longè proiectis, vitam indigam omnium rerum egit, ſicque ſuo dici potuit cortice denudatus. Apparatus ille Deum ſic deuinxit, vt oleo gratiæ ſuæ adiecto Hieronymum accenderit igne cœlitus illapſo, quo vt alter Elias ſurſum euectus eſt, habitu triumphantis. Induſtrius hic Capucinus, nequando focus amoris deficeret, cauebat ſolicitè: ſed quia ſolius eſt ſtatus beatorum, amare Deum actione iugi, à qua nemo vacat; non potuit indefeſsè Capucinus ille ſuos amoris actus exerere, fatiſcẽte anima mortali corpore præpedita. Vt ergo tepori occurreret, qui quandoque viros virtutis emeritę afficit, hic Chriſti ſeruens amaſius, qua poterat induſtria ſeſe excitabat, ad amorem Dei: vtque voti compos fieret, Paſſionis acerbæ amantiſſimi Domini cruenta myſteria attento animo recolebat. Hac cautela rediuiuus erat ignis, quem actus amoris interrupti latentem, & ſopitum abdiderãt intimis animæ præcordijs, vbi fornax illa ſua ſemper incendia integra conſeruauit. Strab. l. 15. Herod. l. 3.

Singulis quibuſque ſextis ferijs, cùm licebat, ſacrum faciebat ex præſcripto Miſſæ votiuæ de Paſſione Chriſti, nec meditanti thema placebat vllum, niſi Chriſti patientis ſanguine purpuraſcens. Eſto loquela Hieronymi adſtantibus amorem Dei ſemper ingereret, alius planè tamen erat effectus, quando thema ſermonis erat de agone Chriſti: totus enim amore calens, faucibus accenſis, ſacra ſpirans incendia, benè aptatos adſtantium ani-

mos adurebat. Chriſti namque cruciati anguſtiæ, amore hominum, fomitis idonei vice debent ſolicitare affectum noſtrum, vt memor officij ſingularis vltro exhibiti, amore iugi tam benè affecti Dei, torridus inardeſcat. Ita fuit olim affectus Auguſtinus, Deum ſic affatus. *Vnum eſt, quod me plus omnibus accendit, vrget, mouet, & promouet ad te diligendum: ſuper omnia, inquam, amabilem te mihi reddit, ô bone Ieſu, ignominioſiſsima, & amara mors, quam ſuſtinuiſti opus redemptionis noſtræ. Hoc ſolùm, vel hoc omnino, totam vitam noſtram, totum laborem noſtrum, totum obſequium noſtrum, amorem denique noſtrum, facilè ſibi vendicat. Totum hoc eſt, quod deuotionem noſtram, & excitat melius, & quærit ſuauius, & auget amplius.*

Auguſt. libro de diligendo Deo.

Credo fuiſſe Dei intētum inſinuare nobis, ligno Crucis ſanctæ, focum amoris ſacri conuenienter ali, quando præcepit olim ſubijci ligna ſuis aris, vbi ſemper ardebat ignis, Paſſio quippe Dei in humanis, proponendo Crucem, lignum ſuppeditat equidem idoneum, ad diuini amoris incendia nutrienda. Hieronymus Narnienſis expertus hanc virtutem Crucis, ei deuota ſæpius infigebat oſcula, pectori ſuo ſacrum pignus amoris Dei admouens, arbitratus non ali tantum, ſed ſopitum ignem charitatis, hoc ſalutari ceſpite ſuſcitari. Hanc didicerat induſtriam à Bernardo aſſueto Crucis myſterijs, vt colligere eſt hoc diſcurſu Sancti huius Sponſæ Canticorum animum feruidum induentis. Sic ille. *Faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi. Myrrha amaritudinem Paſſionis ſignificat, faſciculus verò coadunationem multarum paſſionum oſtēdit. Fit ergo ſponſus ſponſæ ſuæ faſciculus myrrhæ, quando ipſum multiplicibus affectum iniurijs ad mentem reducit.* Hæc Bernardus ſuo experimento edoctus, Paſſionis Chriſti ærumnas eſſe efficaces, ad amorem Dei benè aptatis hominum cordibus inſpirandum.

Leuit. 6.

Bernard. tractatu de Paſſione Domini.

Vt

Vt eſſet Hieronymo Narnienſi familiaris illa meditatio Paſſionum Chriſti, libellum habebat huius argumenti, quem terebat manibus, & oculis luſtrabat aſſiduè, vt memoria cruciatuum Chriſti memoriæ altius inſideret. Illa frequens recenſio Crucis, eum ſortiebatur effectum, quem olim lignum à Magis in Lydia ſuperimpoſitum aris. Pauſanias ait, cineres ſacrificij reliquias fuiſſe reſiduas illic, vbi litatum eſt, & inde Sacerdotem Magum elicuiſſe focum, admoto ligno cineri extincto, præeunte tamen oratione Vatis, ibi latẽtis opem Numinis inuocante. Hieronymus Narnienſis ipſo crucis aſpectu, non cineres, ſed mortem Chriſti meminerat, quæ profectò fuit index amoris præcipui, quo Deus eſt dignatus hominum genus. Vnde Capucinus ille memor ærumnarum Chriſti, reciproco amoris æſtu, etiam ſenſim corde calente conſcio torrebatur. Hoc credo intento Deum in Cruce ſubijſſe dura, vt duriores ad amorem homines excitaret. *Pauſanias in Eliacis lib. 1.*

Eò vergit hic diſcurſus Bernardi: *Ad hoc*, inquit, *perforatum eſt latus tuum Domine, vt nobis pateſcat introitus: ad hoc vulneratum eſt cor tuum, vt in illo, & in te, ab exterioribus perturbationibus abſoluti, habitare poſſimus. Nihilominus, & propterea vulneratum eſt, vt per vulnus viſibile, vulnus inuiſibile amoris videamus. Quomodo hic ardor melius oſtendi poteſt, niſi quòd non ſolùm corpus, verùm etiam ipſum cor lancea vulnerari permiſit?* *Bernard. tract. de Paſſione cap. 3.*

Paſſio Chriſti meditata focos amoris ſancti ſuſcitabat in corde Hieronymi, qui & concepta cœlitus incendia ſpargebat ore ſuo, fornacis inſtar accẽſis ignibus æſtuantis. Vnde ſemel, vt fusè ſupra recenſui, ſermonem habens ad populum multum audientem illum prædicare de Paſſione Chriſti feria ſexta maioris hebdomadæ, tanto amore Dei populus arſit, vt egreſſus concione peracta, ſui affectus ſacri egregium dederit argumentum.

Hie-

Hieronymo quippe perorante, & faciente palàm amorem Dei in nos teſtatum in Paſſione ſua, quiſque reciproco Dei amore percitus incãduit, & nemo planè fuit, qui in atrio templi poſt concionem non prociderit ad pedes eius, quem ſibi crediderat hactenus inimicum. Dixiſſes ardere ciuitatem illam, cuius incendiarius extiterat Hieronymus, qui prædicatione ſua recolente moleſtias Paſſionis Chriſti, omnes accenderat, vt facula conflagrante. Et hoc equidem benè: nam in Chriſti Paſſione micat amor, præ alijs omnibus virtutibus, eſto ſuas omnes illic agant vices, vtpote choro virtutum omnium Chriſto iugiter aſſiſtente.

Bernard. ſerm. feriæ 4. hebdom. pœnoſæ.

Præſtat hic audire Bernardum ſpatiantē in hoc campo myrrhæ. *Sicut*, inquit, *& patientia ſingularis, ſic & humilitas admirabilis: vtramque tamen cauſa ipſa commendat; nimirum charitas eſt, propter nimiam quidem charitatem ſuam, qua dilexit nos Deus, vt ſeruum redimeret, nec Pater Filio, nec Filius ſibi pepercit. Verè nimia charitas, quia menſuram excedit, & modum ſuperat. Maiorem, inquit, charitatem nemo habet, quàm vt animam* Ioan. 15. *ſuam ponat quis pro amicis ſuis. Tu maiorem habuiſti Domine, ponens eam pro inimicis.* Ita Bernardus in hoc argumento decurrit, longè latèque probans, Paſſionem Domini Ieſu non amorem eius duntaxat in nos prodere, ſed & prodeſſe, ad mutui affectus optimum incentiuum.

Quid ergo mirum, ſi Hieronymus Narnienſis ferueret amore Dei, cuius in humanis acerbas anguſtias quotidie compatienti ſemper animo reuoluebat? Vt frigere nemo poteſt in camino accenſo, ita fuit congruus ille calor amoris ſacri, quo exarſit Hieronymus, obiecto ſibi iugiter amore Dei: qui nempe recuſat amorem expendere, cogitur illum rependere, præeuntis amoris ignibus inuitatus. Vt igitur affectus ſui mutui erga Deũ,

aliqua

aliqua argumenta poſſet exhibere, totus erat in pœnis infirmo ſuo,& annoſo corpori decernendis.Præcipuum votorum eius erat, mortem oppetere Chriſti cauſa, ſed martyrij gratiam tanti faciebat,vt ſe illi imparem dicens non auderet ad ſingulare donum vir humilis anhelare. Attamen vt audijt Regem Sueuiæ afflicta Germania parare expeditionem in Italiam, feruidus ille Capucinus ait: Rex ille hæreticus, me ergo voti compotem efficiet: nam cæteris abeuntibus hinc, & conſulentibus ſibi fuga, ego velut exanimis,& fractus morbo diuturno,remanebo ſolus,futurus ſic victima Principi ſæuienti. Poſtea ſuccenſens ſibi gemebundus ait:O Domine Ieſu, non te hucuſque meis obſequijs ſic deuinxi, vt audeam ad gratiam martyrij tremulus aſpirare. Denique Hieronymo Narnienſi, nihil erat tam aſperum, & horridum, quin ſtatim recenſito amore Dei miteſceret, & id more ſponſæ Canticorum,cui myrrha erat omnis amaroris expers, ob amorem, cuius ſuauitate dulcis amaſia recolens animo ſponſum ſuum, ingrata, & moleſta omnia condiebat,

Sic explicat mentem eius Bernardus ita commentatus. *Faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi inter vbera mea commorabitur. Myrrha amara res eſt, dura, & aſpera tribulationum ſignificat. Ea ſibi dilecti cauſa imminere proſpiciens, gratulabunda id loquitur, confidens ſe omnia viriliter perpeſſuram. Ibant Apoſtoli gaudentes à conſpectu concilij, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Ieſu contumeliam pati. Et propterea illa omnia,quæ pro Chriſto dilectiſſimo patitur, non faſcem, ſed faſciculum vocat: quia leue pro ipſius amore ducit omne, quod imminet ſibi. Faſciculum autem dicit,non abſolutè,ſed mihi,quæ diligo amanti. Vnde dilectum nominat, oſtendens dilectionis vim, omnium amaritudinum ſuperare moleſtiam.* Hæc ille ſacer encomiaſtes amoris Dei, quo Hieronymus noſter incandeſcens

Bern.ſerm. 43. in Cāt.

ſcens erat totus in deſiderio mortis pro Chriſto Domino fortiter obeundæ. Namque probè ſciebat impiger hic amator, huiuſmodi mortem amoris ergo, vitam eſſe, quæ nuſquam occidet; ſicque mori ſpiculo amoris terebrante præcordia amantis, proinde eſſe, ac viuere ſempiternum. Conſonant ſponſæ voces, quas Bernardus ſic expendit. *Sol iuſtitiæ Chriſtus decolorauit me, cuius amore langueo, ac in vehementi animæ deſiderio deficio, & ſenſu velut mortua iaceo.*

Idem ſerm. 18. in Cāt.

Prælibata ſatis ſuperque clamant, amorem Dei arſiſſe medullitus in corde Hieronymi, vbi focus morte tenus incanduit, qui vt præfatus ſum, non ſine prodigio torrebat lintea ſolamini quandoque data pectori deſudāti. Deforis innotere Deus voluit hunc ardorem, vt reſcirent omnes, corculum Hieronymi eſſe ſacrarium Dei, qui & ipſe voluit nomine ignis conſumentis ſacro codice nuncupari. Priſcæ etiam Gentes in igne ſubodoratæ Dei typum, ſanxere ſuis in delubris ſemper hoc ardere Dei ſymbolum; quo extincto populus inhorruit, vt ad malum omen, vtpote ſuſpicatus numina ſubirata. Ab Hebræis arbitror effluxiſſe ritum illum, ignem ſacris ædibus addicendi perpetuum. Ratione viciniæ, Perſæ venerationi magnæ habuere elementum illud, quod Heraclytus, & Parmenides dixere rerum omnium principium; vnde volebat Heraclytus cadauera comburi, vt cremata, ſuæ origini, & primo rerum ſemini redderentur. A Perſis ad Græcos illud inſtitutum pertranſijt. Nimirum ex Strabone fuit in Attica templum Poliadis Mineruæ, in quo lucis inextinctæ lychnus eſt, & virginum domus, quam Ichtinus condidit, vbi Palladiū eſt ex ebore perfectum, opus Phidiæ. Athenis ex Plutarcho in arce Mineruæ iugis erat ignis, æternum Dei præſidium ſua facula reprōmittens. Famoſus item ignis fuit Delphis, quem peruigilem vocauere, & numinis illic

Leuit. 6. Herod. l. 3. Strabo l. 15. Alex. ab Al. lib. 3. c. 2.

Strabo li. 9. Plutar. Problem. c. 75.

lic adſtantes excubias.

Apage hos ignes falsò putatos eſſe tutores vrbium: etenim non fuere diuturni, teſtante fauilla deliquium. Dignior eis longè fuit ardor, qui vegetus ad mortem vſque fuit in corde Hieronymi, velut in altari, quod fuit à momento baptiſmi ſic Deo ſacrum, vt nullo prorſus vnquam fuerit lethali ſcelere temeratum. Quippe ſacerdos, qui excepit à moribundo Hieronymo Narnienſi ſeriem actionum eius ab infantia, teſtatus eſt virum hunc magnum, vitam egiſſe ſemper innoxiam, & à mortiferis actibus illibatam. Vnde placet illi locum iſtũ affingere, vbi Gregorius ita fatur: *Altare Dei cor noſtrum eſt, in quo iubetur ignis ſemper ardere; quia neceſſe eſt, ex illo ad Dominum charitatis flammam indeſinenter accendere*. Greg. li. 25. Moral. c. 7.

Cæterum inextincto foco Hieronymi Narnienſis cõgruit hoc ſymbolum, quo quidam apud Ferrum, ſuum teſtaturus amorem vtique perennem, pinxit flammam virginum Veſtalium, hoc titulo deſuper incumbente: NOSTRA AETERNA MAGIS. Ementita voce; ſuum ille prodebat affectum, qui vt mortalis erat; ita nec æternus; quicquid namque finem aliquando poteſt ſortiri, illud idem infinito nequit eſſe tempore diuturnum. Cùm ergo ſacra Hieronymi flamma iugiter arſerit neſcia deliquij, potuit ille citra metum vſurpare lucernam Veſtæ, cum hac amorem ſuum erga Deum teſſera reſonante. NOSTRA AETERNA MAGIS.

Puritas animæ mira fuit in Hieronymo, vtpote nullis vnquam vitijs inumbrata. Caput XXIX.

THOMAS Aquinas, ſcientia æquè, ac ſanctitate clarus, credidit charitatem, & gratiam eſſe res adeo concolores, vt indiuiduo nexu implexæ, velut comites aſſiduæ animæ ſemper inſideant, & ſic minimè diſpeſcantur. Nemo namque fuit charitate inſtructus, quin etiam inde Deo gratus ſimul extiterit, fœda prius deterſa rubigine, quæ animam malè ſibi conſciam infecerat, & adſcita charitatis comite puritate. Itaque rebus ſic connexis operæ pretium eſt, nunc agere de puritate Hieronymi Narpienſis, quia mentionem vtique luculentam fecimus de charitate illius; vt ſic in contextu virtutum eius, ordinis alicuius congrua ſeries obſeruetur. Purum aliquid dicitur, quod eſt ſincerum, & omnis miſtionis expers. Verbi gratia, dicebantur olim haſtæ puræ, quæ totæ erant ligneæ, nullo prorſus eis adiecto ferro.

Donatus in l.6. Aen Seruius ibidē. Virgil l.6. Aeneid. Ita Donatus, & Seruius explicant Virgilium, nomen haſtæ puræ ſuis verſibus vſurpantem.

Ille vides, pura iuuenis qui nititur haſta?

Anima igitur effiꝺa ad imaginem Dei, ſi nihil niſi diuinum admiſerit, & à contagio rerum huius ſæculi prorſus immunis extiterit; illa profectò eius erit, quam nunc inueſtigo, conſcia puritatis. Ad hanc maximè conducit amor Dei: ſicut enim aurum in fornace purum efficitur ignis obſequio, quo cuiuſque rei deforis adiectæ miſtura conſumitur: ita ſacer amor eliminat ab anima fæces, quas ingeſſit ſordida mundi colluuies, puritati conſcien-

tiæ

tiæ penitus inimica. Hanc ſocietatem amoris ſancti atque puritatis, indicat Auguſtinus ita fatus. *Sicut amor immundus inflammat animam, & ad terrena concupiſcenda, & peritura ſectanda vocat perituram, & in ima præcipitat, atque in profunda demergit: ſic amor ſanctus ad æterna eleuat, & ad ea, quæ non tranſeunt, excitat animam, & de profundo inferni leuat ad cœlum.* Auguſt. in Pſal. 121.

Non ergo mirum eſt Hieronymum Narnienſem euectum fuiſſe cœlo tenus, amoris alis, quas vt habuit à ſæculi luto puras, ita cito niſu & volatu Deum inueſtigans ipſi adhæſit, nullo prorſus auſus ſuos huiuſce mũdi pondere remorante. Primum argumentum puritatis eius eſt ſtupor ſacerdotis, qui paulo ante mortem præfati Patris Hieronymi excepit confeſſionẽ generalem omnium defectuum, quorum ſibi malè conſcius erat à teneris vnguiculis. Exclamauit ille dimiſſo, & abſoluto Patre: Deus bone, quali puritate virum iſtum dignatus es, & ad quem ſanctitatis apicem, & cumulum gratiæ deſtinaſti! Nullo quippe piaculo lethifero infecta fuit hæc anima, cuius vtinam confeſſio generalis hominibus omnibus innoteret. O puritatem hoc ſæculo ſingularẽ. Quodque prodit adhuc illam puritatem, duos integros abſumpſit menſes; vt ſuos omnes diſcuteret actus, atque minutias, eſto nihil omnino graue, vir ille ſemper innoxius admiſiſſet. Ita fuit eius anima næuorum impatiens, vt quotidie confeſſione, velut animæ ſcopis minimas etiam offenſas euerreret, cunctatus aris adſtare ſacris, abſque frequentato pœnitentiæ præuio ſacramento. Ne quis autem carperet illam ſolertiam, qua ſtudiosè ſuas omnes actiones ad trutinã reuocabat exquiſiti examinis, has inſerendas alto animo, & dignas cedro voces quandoque ſuis fratribus ingerebat: Peccatum veniale licet charitatem non expungat, attamen eſt offenſa Dei, & hoc horrere debet animus, ſcilicet

quid-

quidpiam actitare Deo ingratum, cùm ipſe Deus nobis inuigilet, auertendo mala,& ſingula quæque bona congrua animæ ſimul, & corpori procurando.

Aiebat item, confeſſione tergi maculas animæ, quas vt plurimum inſcij contrahimus, & obſequio huius ſacramenti, quo fit ſemper aliquod incrementum gratiæ, conſuli puritati. Ab Auguſtino didicerat hanc cautelam. Sic ille. *Confeſſio, & pulchritudo in conſpectu eius. Pul-*
Auguſt. in Pſ.95. *chritudinem amas? vis eſſe pulcher? Confitere. Non dixit, pulchritudo, & confeſſio: ſed, confeſsio, & pulchritudo. Fœdus eras, confitere, vt ſis pulcher. Peccator eras, confitere vt ſis iuſtus.* Hæc ille: cui morem apprimè geſſit Hieronymus, nuſquam rem faciendo ſacram, niſi adſcita prius ſincera confeſſione facta animo gemebundo.

Vt prælibaui, quotidiana illa recenſio ſuarum actionum facta ſacerdoti, non tam erat ad abſolutionem culpæ, quæ vt plurimum nulla fuit, quàm ad illapſum gratiæ alicuius nouæ, multum ad decorem animæ con-
Pſ 103. Auguſt. in Pſ. 103. Cãt. 6. Ephеſ. 5. ferentis. Occinit Pſaltes hoc concentu. *Confeſſionem, & decorem induiſti, amictus lumine ſicut veſtimento.* Quod ſuaue melos ſpeculatus Auguſtinus ita fatur. *Anima decora eſſe non poteſt, niſi confeſſa fuerit fœditatem: tunc audiet, Quæ eſt iſta, quæ aſcendit dealbata, id eſt, illuminata? accedit gratia illuminans, & dealbans. Primò nigra fuiſti, ſed facta es alba ex gratia illius: fuiſtis enim aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.*

Si qua foret Hieronymo næui alicuius ſuſpicio, quãtumcumque leuis, ille laborabat omni induſtria ad animam ſuam ob contractas maculas expiandam. Dixiſſes ex compoſito reuocaſſe ritum illum obſoletum, & varium, quo veteres olim expurgauere ſuas vrbes, aliquo piaculo infectas, vt ſic expiata numina placarentur. Tres
Virg. Aeneid.6. præcipui fuere modi expiandi animas olim vſitati, quos meminit Maro, tedæ ſeu faces, quibus accenſis fiebat

expia-

expiatio, aqua detergens omen infauſtum, & aër, quo immunda corpora ventilantur. Ita Vates pingit in inferis animas expurgatas.

Aliæ panduntur inanes
Suſpenſæ ad ventos: alijs ſub gurgite vaſto
Infectum eluitur ſcelus, aut exuritur igni.

Geſſere vices venti gemitus crebri, quibus aerem pulſauit anhelo ſpiritu Hieronymus, ſe accingens ad facienda ſacra. Licet enim nulla graui labe decus animę ſuę infeciſſet vnquam, ſe tamen eſſe reum ingerebat, crebro ſuſpirans pectore gemebundo. Itaque fuit illud ei commune cum Iob, vt diceret: *Antequàm comedam ſuſpiro.* Aſſuetus item fuit illi purgationi, quæ fit aquarum obſequio; nempe fletus aſſiduus, quo genæ madebant hominis innoxij, fuere ſicut aquæ perennis ſcaturigo ſaliens indefeſſè. Sed vt principem obtinuere locum ignes accenſi, quando fuit indicta loci purgatio; ita Hieronymus igne ſibi conſuluit & prudenter, puritati volens ſuſpectæ ſibi animæ prouidere. Iob.

In igne duo ſunt ſpectanda, & equidem ambo propitia ad conciliandam animæ gratiam. Primum eſt, ardor, alterum eſt lux. In ardore charitatem conſidero, vt & in luce ſui notitiam. Hieronymus vtrinque ſibi cauit, ideoque puram egit vitam, ab omni contagio, & ſuſpicione vitij repurgatam. Proximo capite recenſui ardorem eius incendij, quo viri amore Dei perciti pectus incanduit: inde licet inferre, focum illum, vel minimas etiam animæ labes, & maculas abſumpſiſſe. Quippe decorus amore Dei fit animus, vt ſuggerit Auguſtinus. *Si*, inquit, *deformis fœmina virum diligit pulchrum, non continuo propter hoc efficitur formoſa: at nos amando Deum efficimur pulchri: charitas enim animæ pulchritudo eſt. Vnde creſcente charitate ad Deum, vt creſcat animæ pulchritudo neceſſe eſt*, Hæc ille, cui & conſonat illud Cantico- Aug. Tract. 9. in epiſt. can. Ioan.

rum, vbi pulchritudo ſponſæ petitur à pedibus. *Quàm pulchri ſunt greſſus tui, filia Principis, in calceamentis!* Pedes namque ſonant humilitatem, & amorem. De humilitate ſatis ſuperque fatum eſt. de amore locum accipe Auguſtini, pedes eſſe amoris teſſeras innuentis. *Tantò,* inquit, *nobis melius eſt, quantò magis in Deum pergimus, & imus quo nihil melius eſt. Imus autem non ambulando, ſed amando; & quantò purius eum diligimus, tantò nobis eſt magis præſens: quia ad eum non pedibus imus, ſed moribus: non autem faciunt bonos, vel malos mores, niſi boni, vel mali amores.* Hactenus Auguſtinus.

Cant. 7.

Aug. epiſt. 57. Tom. 2.

Ad ignis ardorem Hieronymus noſter adiecit & luce, quando ſibi inuigilans exquiſito conſcientiæ ſuæ examine, nullas omnino fæces tulit in conſcio puritatis pectore reſidere. Illa recenſio quotidiana ſuorum actuum; multum confert ad ſartum tectumque decorem animæ: terſior namque vita foret, ſi ad trutinam exacti ſcrutinij reuocata, ſuos actus noxios ſoliciti de meliori fruge homines expiarent. Ea cautela fecit ſibi grande nomen Sextius, quem & æmulatus Seneca magni fecit, factus & ipſe encomiaſtes eius, hoc contextu. *Animus quotidie ad rationem reddendam vocandus eſt. Faciebat hoc Sextius, vt conſummato die, cùm ſe ad nocturnam quietem recepiſſet, interrogaret animum ſuum: Quod hodie malum tuum ſanaſti? cui vitio obſtitiſti? qua parte melior es? Deſinet ira, & erit moderatior, quæ ſciet ſibi quotidie ad iudicem eſſe veniendum. Quid ergo pulchrius hac conſuetudine excutiendi totum diem? Qualis ille ſomnus poſt recognitionem ſui ſequitur, quàm tranquillus, altus ac liber; cùm aut laudatus eſt animus, aut admonitus, & ſpeculator ſui cenſorque ſecretus cognoſcit de moribus ſuis? Vtor hac poteſtate, & quotidie apud me cauſam dico. Cùm ſublatum è conſpectu lumen eſt, totum diem mecum ſcrutor, facta ac dicta mea remetior. Nihil mihi ipſe abſcondo, nihil tranſeo.*

Seneca li. 3. de ira c. 36

Quare enim quicquam ex erroribus meis timeam, cùm poſſum dicere: Vide nè iſtud amplius facias, nunc tibi ignoſco. Hæc Seneca profectò ſibi ſuauior in carpendis erroribus ſuis, quàm Hieronymus Narnienſis: qui ſi quid offenderet in ſuo examine deuium vel tantiſper à recto tramite virtutis, ille ſeuerus cenſor ſui, plectebat illud acerbis pœnis à ſuo corpore repetitis.

Stupenda ſanè fuit accurata ſolertia, qua ſeſe diſcutiebat ille puritatis amans animus, qui etiam moribundus orauit ſacerdotem, cuius auribus infuderat ſeriem totius æui ſui, vt ſuggereret ea, quæ conducebant ad liquidiorem ſui notitiam; vt ſiquid animo excidiſſet fatiſcentis memoriæ lapſu, illud in confeſſione recoleret, eius obſequio, ſuas ſic maculas abſterſurus. Fuiſſe morem hunc Sanctorum ait Gregorius, hoc tenore. *Sanctorum actio ab omni parte circumſpecta eſt, bona deſiderabiliter prouidens, mala ſolerter cauens. Et hoc eſt laborioſius, quia Sanctorum mens vehementer inuigilat, ne ſe ante eorum oculos mala ſub bonorum ſpecie abſcondant. Igitur quia ſancti viri ſolerter inuigilant, vt ſe vndique aſpiciant, & vbique cuſtodiant, ne aut mala propterea ipſa appetant; aut hæc eadem ſub ſpecie bonorum agant, ſcilicet ne ſe eis vitia virtutes eſſe mentiantur: totum corpus plenum in circuitu oculis habent, quia omnis eorum actio prouidentiæ ſolitudinis; & repletur, & circumdatur.* Hactenus ille Sanctus, inſinuans peruigiles excubias, quas egere viri moribus illibatis. *Greg. hom. 7. in Ezech.*

Hac exacta ſuorum actuum diſquiſitione fecit Hieronymus, ne quid impurum irreperet in animam, imitatus induſtriam Ioiadæ Pontificis, quem Scriptura meminit & commendat, hoc contextu. *Conſtituit ianitores in portis domus Domini, vt non ingrederetur eam immundus in omni re.* Illi ſola mali ſuſpicio ſatis erat, ne res etiã innoxias actitaret. Verbi gratia, dum eſſet Definitor *2. Paral. cap. 23.*

generalis, & prædicator ſacri palatij, voluit habere in ſcriptis à Clemente à Noto Generali facultatem recipiendi reculas exigui pretij, vt ſunt iconculæ & imagines, quas alioquin non niſi reclamante conſcientia ſuis vnquam vſibus adaptaſſet. Rurſus, ſi ſigno ſerotino dato pro receſſu, ſilentium vel minimo verbo ſoluiſſet, tamquam inde foret facinoroſus homo, reatum illum in publico refectorio pœna indicta die poſtera diluebat. Demum ita ſibi totus erat, vt nihil oculorum eius aciem effugeret, tanta ſagacitate ſuos actus diſcutiens, vt ſe ipſo ſemper purior eniteret.

Greg. lib. 1. Mor. c. 20. Itaque præſtitit accuratè Capucinus ille, quod Gregorius olim à ſuis ſequacibus expetebat. *Curandum*, inquit, *ne bona noſtra pauca ſint, curandum ne indiſcuſſa; ne aut pauca agentes inueniamur ſteriles, aut indiſcuſſa relinquentes, vecordes*. Illa ſui accurata deſcriptio Hieronymum ſic alijs ſubtrahebat, vt ad regimen ordinis nō niſi coactus acceſſerit; largo lacrymarum imbre ſuum ſemper animum teſtatus eſſe ab honoribus penitus alienum. Sed vt Maiorum præcepto vrgente, fuit fas quandoque clauum arripere nauis, ita & omnium ſaluti ſtuduit, quos habebat ſuæ commendatos induſtriæ; ſicut & prudenter incubuit propriæ puritati. Hoc erat effatum eius; curam aliorum magnum faceſſere negotium illis, qui curam ſui volunt, vt par eſt gerere; & neminem prorſus eſſe aptum regimini, niſi eos, qui Dei intuitu ſtatuerant apud ſe, nulla habita acceptione perſonarum, ſubditorum deliquia fortiter extirpare. Vt timebat, correctionis incuria Deum offendere, ita ſeuerus erat in perſtringendis erroribus, & præſertim cùm vergebant in religionis, & puſilli animæ detrimentum. Multis diſplicuit ille ritus aſper, quo Hieronymus vitia carpebat: hoc enim habet omnis error, vt refuga lucis habeat exoſos cenſores omnes, & præcipuè auſteros, ſupplicia cùm decer-

decernunt, vtpote palàm crimina traducentes. Quiſpiam Hieronymo charus, eum admonuit de increbreſcente ſuſurro, iniquo ſuo gubernandi modo, conciliante rumores inglorios, qui & famam eius perditè laceſſebant. Ad hæc venerandus ille ſenex ait: Vnum hoc mihi penſum indixi toto tempore, quo penes me cura regiminis erit: ſcilicet, ſoli placere Deo, & irreconciliabile bellum reprobis indicere, ſcommata, dicteria, ſuſurros, & murmur hominum aſpernando. In hæc opaca tempora deuenimus, vt diſplicere neceſſe ſit hominibus, ſuperiorem illum, cui hoc animo benè ſibi conſcio, hoc inſedit, ſuas conſcientia intemerata vices obire, litando Deo ſoli, cuius eſt duntaxat aucupanda gratia, vt & ſecus aura popularis forti animo reſpuenda.

Hoc profectò fuit ſingulare viro illuſtri, & multa virtutum ſupellectile inſtructo, quod multis ægrè ceſſit, videre clauum religionis præ manibus eius, quas aliquando graues eſſe rumor vulgauerat. Quod vt reſciuit homo infractus, ait: Chriſtus ipſe fugit applauſum in regimine animarum, vtpote paſſus iniquam hominum cenſuram: nonne mihi pulchrum eſt eadem naue vehi, & eadem cauſa pati æmulos inſectantes? Tentauit aliquando virum hunc magnum, quidam Guardianus creditus illi charus: is aliquid expetiuit à Hieronymo Narnienſi exercente vices Generalis. Re accuratè diſcuſſa negauit hanc gratiam. cui pater ille dolens ait: Quare refellis preces meas? Quia, inquit Hieronymus, non poſſum annuere voto tuo. Quaſi verò, replicat ille, quid nõ poteſt, qui omnia poteſt, & ſupremam adminiſtrat in ordine poteſtatem. Importunæ voci ſilentium ſic indixit Hieronymus: Hoc tantùm poſſum, quod æquum eſt: conſcientia mea reluctante nemo ſibi me habebit propitium. ad arbitrium Dei moderabor ea, quæ ſunt ordinis, nihil omnino curans, ſi ore falſiloquo in me

egregiè caſtigari homines inuehantur. Dummodo purum memet exhibeam Deo, quid mea intereſt, ſi ipſo Deo permittēte, æmulorum voce ſeror, vt noxius? Meas partes agam intrepidus: etiamſi fractus illabatur orbis, à iuſtitiæ propoſito nullum veteris amicitiæ nomen abſtrahet, nec vis vlla, ſolo mihi Deo in ſcopum animæ præſtituto.

Hanc animæ puritatem nulla labes vnquam potuit inficere, in illo etiam ſtatu metuendo viris ſanctiſſimis, id eſt, in ſorte Superioris Generalis; etſi potentes viri experti ſint quantùm poſſent in conſtantiam Hieronymi, quem fama loquax vbique eſſe infracto animo prædicabat. Ecce puritatis illibatæ locuples indicium. Regis potentiſſimi Legatus eum adorſus eſt ſemel, & reſignatis literis nomine regio gratiam expetijt, quam facilem obtentu crediderat, & præſertim interpoſito nomine Regis. Sed Hieronymus hoc fauore timens ordini ſuo, gratiam hanc conſtanter regio etiam titulo denegauit. Legato verò, qui acriter inſtabat, ſperni poteſtatem Regis, in hac repulſa precum, reſpōdit perhumanè Hieronymus: Domine laudo zelum, quo Domini tui maieſtatem effers; habeo in te quod demirer, & proponam mihi in exemplum; videlicet etiam integram conſeruare Chriſti Domini maieſtatem. Quæ profectò labat, ſi imprudens annuo optatis. Ad hæc Legatus ait: Adibo Papam, & eo fauente fiet voti compos Rex, quem indecorè ſatis apud te eſſe impotentem hactenus oſtendiſti: Ait ille: Pontifice ſic decernente manus dabo, quas contraho, ne offendam Regem Regum. Demum ſolitus erat aſſerere amicis ſuis, quos raros & probatæ fidei habebat, ſe ita vitam ſuam compoſuiſſe, dum aliorum curam egit, vt nec latum vnguem à recto Prælatorum tramite deuiarit.

Aliud puritatis eius indicium eſt, quòd religioſos ſan-

ctitate

ctitate cõſpicuos deperibat affectu ſingulari, alios verò, qui malè audiebant, non ferebat. Vt ſupra memini, clam adibat illos, in quibus aduerterat aliquem virtutum cultum, & ab eis vir ſcientiſſimus in omni diſciplina, petebat humiliter huic virtuti congrua dogmata comparandæ. Eo puritatis amore magis afficiebatur colloquio ſimplicium hominum, quàm magnatum; quippe ſciebat aſſertore Salomone, exiguo concedi miſericordiam; & potentes potenter eſſe tormina ſubituros. Suſpectam habebat omnem ſæculi pompam, memor huius effati:

——— Exeat aula *Lucan. lib. bell. ciuilis.*
Qui volet eſſe pius. Virtus & ſumma poteſtas
Non coëunt.

Ideoque vocatus, vt in clauſtrum deſcenderet, petitus à Prælatis, & primoribus ciuitatis, cunctabatur ire, refuga virorum nobilium & potentum. Sed dum Eminentiſſimus Cardinalis Lanti aderat, Hieronymus eò citius aduolabat. Craterus in Alexandro Regem adamabat, ſed Ephæſtion in Alexandro perſonam deperibat. Multi in præfato Cardinale purpuram coluere ſacram, ſed Hieronymus Narnienſis ſingulari affectu proſequutus eſt in hoc Principe puritatem. Quæ reuera virum hunc inſigne columen Eccleſiæ ſic adornat, vt inde ſuo Collegio purpurato magnum cõferat ornamentum. Itaque Cardinalis huius Eminentiſſimi puritate illectus Hieronymus, vnicè diligebat hunc Prælatum, in quo ſingulari exemplo coibãt infulæ Cardinalatus, & purpura charitatis. Alia purpura Tyrio colore nitens ſuſpecta fuit Hieronymo; ſed illa, quæ ſanguine Chriſti tincta rubet, ſcilicet charitas in præfato Cardinale micans, ita deuinxit Hieronymum huic Prælato, vt eum etiam ſacris inſereret altaribus, vbi quotidie ſpeciali mentione ante Deum hunc Principem excolebat. Hinc anſa fuit mœ-

roris eius, cùm audiuit illum Eminentiſſimum Cardinalem ſe abdicaſſe Epiſcopatu Tudertino, vt deponeret onus graue tenellæ conſcientiæ. Habeo penes me literam Hieronymi ſcriptam illi Antiſtiti, vt amico ſibi, qua eum ſolicitat importunè ſeruare fidem illi Eccleſiæ, cui fuerat à Chriſto Domino deſponſatus. Suggerit, homini virtutis emeritæ non eſſe metuendum in culmine, vnde velut è candelabro lucet Eccleſiæ toti, coruſca facula meritorum. Vt tardiuſculè reſignata fuit hæc litera, Eminentiſſimus Cardinalis ſeſe expedijt illa dignitate, bonorum omnium faſtidio, & præſertim Hieronymi Narnienſis, qui præſcius erat imminentis Tudertenſi Eccleſiæ detrimentj. Vt magnes eſt amoris amor, mutuo affectu rependebat Hieronymo vices ille Cardinalis, ſic erga Capucinum affectus, vt etiam hodie, multis annis elapſis ab obitu Hieronymi, ille Decanus Sacri Collegij, venerabundus eius memoriam recolat pectore gemebundo.

Præter recenſita puritatis argumẽta Hieronymo noſtro frequentia, ea etiam ſibi conſulebat induſtria, quâ Romani ſoliciti de propitianda dijs ciuitate piaculo infecta. Ex Liuio ferias indicebant, vt & lectiſternia, quæ fuere puluinaria ſtrata Ioui, ad quæ proſtrati ciues, ſupplices exorabant. Lectiſternia hæc meminere, Auguſtinus, Cenſorinus, Cicero, & Valerius Maximus. Ferias ſibi indixit Hieronymus, cùm omni ſe prælatura abdicàuit, vt & prædicationis exercitio, vni ſibi vacaturus, ſeorſim, & procul à ſtrepitu, certior factus, in ſeceſſu Deum in animas vberius influere. Res ſanè fuit digna ſpectaculo, videre hominem Definitorem Generalem, & Prædicatorem Sacri Palatij, redactum in ordinem, & priuatam vitam agere ſub Guardiano in cœnobio pauperrimo, vt ſic eſſet eius anima defæcata. Lectiſternia antiqua fuere puluinaria aptata dijs, vt illic quieſce-

Liu. 4. Dec. lib. 10.

Aug. lib. 3. de Ciu. Dei cap. 17.
Cenſorin. de die natali.
Cic. Cati. 3.
Valer. l. 2. cap. 1.

ſcerent eorum ſimulacra,& hic cultus erat valde ſolennis æuo Romanorum. Hieronymus, vt quadrageſimo ab vrbe lapide vrbe ſita natus, habuit & hunc familiarem ſibi ritum; nempe Deo ſtrauit cor ſuum, vt quotidie in illo lecto quietus accumberet: nam ſingulis quibuſque diebus rem ſacram faciebat, vel obſtante infirmitate, pane illo ſalutari, puritati ſuæ animæ conſulebat. Et hunc credo fuiſſe ritum præcipuum, quo Hieronymus Narnienſis toto ſuæ vitæ tractu æuũ egit adeo terſum, vt concordi omnium hominum voto, Capucinus ille creditus ſit ab omni vitiorum ſuſpicione penitus alienus. Crebra nimirum receptio Euchariſtiæ, vt par eſt, & fert humana conditio, procurat animæ repurgium, quando eſt infecta; & integram ei conciliat ſanitatem, ſi quando nutat aliquo vulnere ſauciata.

Bernardus in hoc argumento ſuauiter occinit. *Duo enim illud Sacramentum operatur in nobis: vt videlicet, & ſenſum minuat in minimis, & in grauioribus peccatis tollat omnino conſenſum. Si quis veſtrum non tam ſæpe modo, non tam acerbos ſentit iracundiæ motus, inuidiæ, luxuriæ, aut cæterorum huiuſmodi, gratias agat corpori, & ſanguini Domini, quoniam virtus Sacramenti operatur in eo, & gaudeat, quod peſſimum vlcus accedat ad ſanitatem.* Hæc ille congruè ad præfata. Bernard. in ſer. de Cœna Domini.

Miſſæ

Miſſæ ſacrum, qua pietate faciebat Hieronymus, illi myſterio valde affectus. Caput XXX.

INSTITVTO veteri Romanorum, ita fuit comparatum, vt vrbi luſtrandæ ſacra forent idonea, vt meminit Liuius. Et hic mos omnibus ferè fuit Gentibus inolitus, inductione facta ab Hebræis, ad reliquum hominum vulgus orbe toto poſtea propagatum. Decernente Deo, victima congrua fuit agnus, manè & ſerò oblatus, cum ſimila, id eſt, tenui farris ſubſtantia conſperſa oleo, adiecto vino ad libamen. Ecce legem: *Hoc eſt, quod facies in altari. Agnos anniculos duos per ſingulos dies iugiter, vnum agnum manè, & alterum veſperè, decimam partem ſimilæ conſperſæ oleo, quod habeat menſuram quartam partem, hin, & vinum ad libandum eiuſdem menſuræ in agno vno. Alterum verò agnum offeres ad veſperam iuxta ritum matutinæ oblationis, & iuxta ea, quæ diximus, in odorem ſuauitatis: ſacrificium eſt Domino, oblatione perpetua.* Hactenus legislator hoc contextu ſacrum Miſſæ delineans, in quo coēunt illa quatuor antea prælibata. Siquidem agnus eſt Chriſtus: oleum eſt index gratiæ, quæ influit: ſpecies panis & vini, quæ ſenſibus obuiæ ſunt, referunt ſimilam, & vinum: denique Miſſæ ſoli competit, vt ſit oblatio ſempiterna. Quippe dehiſcente Iudaiſmo, defecit & ille ritus agni, manè & ſerò oblati. vnde cùm ſit Dei ſermo verax, operæpretiū eſt oblationem illam perpetuam referre ad Miſſam, quæ eſt iuge ſacrum, conducens equidem, quàmmaximè ad ſartam tectamque animæ puritatem.

Liu. 5. Dec. lib. 2.

Exod. 29.

Hoſtia

Hoſtia humana litare fuit ritus pleriſque Gentibus inolitus,& præſertim aliquo vrgente graui negotio. Ex ſacra Scriptura liquet inualuiſſe morem illum apud Moabitas, quorum Rex obſidione cinctus ab Hebræis filium ſuum mactauit, vt ſe liberaret ab hoſte,ſuis mœnibus imminente. Ecce Regis Moab immane facinus ex Codice ſancto: *Arripiens filium ſuum primogenitum, qui regnaturus erat pro eo, obtulit holocauſtum ſuper murum: & facta eſt indignatio magna in Iſrael, ſtatimque receſſerunt ab eo, & reuerſi ſunt in terram ſuam.* Herodotus, Pomponius Mela, Solinus, & Zenodotus aiunt Scythotauros Dianæ ratos facere rem pergratam,aduenas immolare. Ex Plinio Arcades Ioui Lycæo puerum: ex Procopio, Blemmyæ, ex Strabone Cymbri, ex Cicerone, & Cæſare Galli, ſuis ſimulacris humana capita deuouebant. Inhumano more Phœnices, & Carthaginenſes, nobilitate inſignes pueros ſorte electos, & egregiè ornatos ad Saturni aras impiè iugulabant. Pueros huic carnificinæ deſignatos illa crudeli ſorte nefas erat ſubducere neci, ſicque fletu magno madebant aræ, innoxio ſanguine rubeſcentes. Omnes enim,ad quos pertinebant impuberes illi, magno eiulatu ſacra illa ciuitati noxia condemnabant. Itaque ceſſatum eſt à cæde virorum. Sed poſtea Pœni victi ab Agathocle arbitrati Deos eſſe ſubiratos, vt conciliarent ſibi numen, ducentos nobilium filios immolarunt.Silius Italicus recolit illa ſacra, ſuis his verſibus:

4.Reg.3.
Herodo.l.4.
Pomp.Mela lib.2 cap.1.
Solin. c.20.
Zenodot. ex collectan.
Plin.lib.8. cap 22.
Procop.l.1. de bello Perſic.
Strabo.l.7.
Cic. oratio. pro Fonteio.
Cæſar.l.6. belli Gallic.

Mos fuit in populis, quos condidit aduena Dido,
Inſandum dictu! paruos imponere natos.

Silius Ital. l.4. Punico.

In hæc impia ſacra ſuum acuerunt ſtylum, Plato, Dionyſius Halicarnaſſeus, Diodorus Siculus, Plutarchus, Tertullianus, Lactantius, Euſebius, & Paulus Oroſius,cum Iuſtino. Poſſem & recenſere plures Gentes eiſdem ritibus obnoxias: ſed ſuperſedeo,ſatis ſuperque

Plato in Minoe.
Dionyſ. Halicarn.l.1.
Diodo.l.20.
Plutarc. in Apoph.

Tertull. in apolog. c. 9. Lactãt. l. 1. cap. 21. Paul. Oroſ. lib. 4. cap. 6. Iuſtin. l. 19.

que credens eſſe palam, arbitratos olim homines, ad placandum Deum eſſe humanas hoſtias efficaces. Ita Deus voluit & litare ſuam Eccleſiam, homine videlicet prænobili immolato quotidie, Chriſto videlicet, qui ineffabili modo, ſuo etiam ſuperſtite corpore iugiter immolatur. Ad omnia valent illa ſacra Deo vtique perquàm grata: ideoque rei huius maximè conſcius Hieronymus Narnienſis, erga iuge ſacrificium, præcipua ſuæ pietatis edidit argumenta. Quippe ſingulis quibuſque diebus ille ſacris adſtabat altaribus, aut ſi infirma valetudo obſtaret, præſens hiſce ſacris ritibus aſſiſtebat. Namque ratum apud ſe habebat, propitiari Deum illo ſacro, vt declarat ſacra Synodus Tridentina, iſto oraculo. *Docet ſancta Synodus, ſacrificium iſtud verè propitiatorium eſſe, per ipſumque fieri, vt ſi cum vero corde, & recta fide, cum metu, & reuerentia contriti, ac pœnitentes ad Deum accedamus, miſericordiam conſequamur, & gratiam inueniamus in auxilio opportuno. Huius quippe oblatione placatus Dominus, gratiam & donum pœnitentiæ concedens, crimina, & peccata etiam ingentia dimittit: vna enim eademque eſt hoſtia, idem nunc offerens Sacerdotum miniſterio qui ſeipſum tunc obtulit, ſola ratione offerendi diuerſa.* Ita ſanxit Synodus illa ſacra.

Concil. Trid. ſeſſ. 22. ca. 3.

Concinit Auguſtinus, alios vtique commemorans effectus, & commoda huius ſacrificij, quod immolato homine conſummatur. *Quid*, inquit, *tam congruenter ab hominibus ſumeretur, quod pro eis offerretur, quàm humana caro? & quid tam aptum immolationi huic, quàm caro mortalis? & quid tam mundum, pro mundandis vitijs mortalium quàm ſine contagione carnalis concupiſcentiæ caro, nata in vtero, & ex vtero virginali? Et quid tam gratè offerri, & ſuſcipi poſſet, quàm caro ſacrificij noſtri, corpus effectum ſacerdotij noſtri?* Hactenus Auguſtinus, aſſerens homines illo ſacrificio Deo vniri. Ne autem alicuius obicis

Aug. lib. 4. de Trinit. cap. 14.

obie-

obiectu præpediretur hęc vnio, ſtudioſè cauit Hierony-mus Narnienſis; ſeſe aptando ſacris illa ſolertia, qua Dei rebus omnibus incumbebat. Apparatus eius ſumma fuit, illa quam recenſet hiſtoria ſacra, dū meminit Abraham, ſe accingentem ad ſacrificandum filium ſuum Iſaac. *Ipſe* inquit textus, *portabat in manibus ignem, & gladium*. In igne & gladio tota ſupellex præambula ſacris, ſuccinctè, & graphicè deſignatur. Gen. 22.

Ignis, vt proximo capite præfatus ſum, lumine & ardore ſuo, notitiam ſui, & amorem Dei, congruis reuera typis inſinuat. Gladius verò, Chriſto etiam aſſertore, notat ſtudium mortificationis, qua vigente ſingula quæque noxia reſecantur. Itaque totus fuit in his præludijs Hieronymus noſter, ante ſacrum, cui præmittebat quotidie confeſſionem earum actionum, quas eſſe cenſuræ obnoxias, mens eius credula nimis, & trepida verebatur. Ante peracta ſacra quidpiam agere, aut loqui, erat illi religio: ideoque nemo niſi perſoluto ſacri penſo, Patrem hunc adibat, etſi negotium plerumque graue morarum eſſet impatiens: Deo nempe primas ſuorum operum omnium, ille defæcato curis alijs pectore deferebat. Primò Dei opem mendicabat Hieronymus, auſpicatus à Deo ſuum ad Deum ipſum acceſſum. Huic intento fauebant illæ preces Auguſtini. *Lux quæ odio habes omnem maculam, vtpote mundiſſima, & immaculatiſſima quæ tibi deliciæ cum homine? quæ conuentio lucis ad tenebras? vbi enim ſunt in homine deliciæ tuæ? vbi præparaſti tibi in me dignum Sanctuarium maieſtatis tuæ, ad quod introiens habeas delicias delectationis tuæ? mundum enim cœnaculum decet te mundans virtus, quæ non niſi à mundis cordibus videri potes, multò magis nec haberi. In homine autem, vbi eſt templum tam mundum, vt te ſuſcipiat, qui regis mundum? quis poteſt facere mundum de immundo conceptum ſemine? nonne tu, qui ſolus es mundus?* Hæc ille. Auguſt. ſoliloq. c. 28.

Con-

Conſcius erat Hieronymus noſter, dormire multos, ob incuriam, qua ſiſtebantur aris. Namque tepor ille, quo franguntur ignaui & deſides in his, quæ Deum ſpectant, eſt effectus illius ſocordiæ, cui ſunt plerique obnoxij Sacerdotes, perfunctoriè ad altare iugiter accedẽtes. Eò collimant eloquia Abbatis Theonæ apud Caſſianum; *Ideo*, inquit, *inter vos multi infirmi, & imbeciles, & dormiunt multi: ſpiritales ſcilicet infirmitates, ac mortes ex hac præſumptione dicens ſpecialiter generari. Multi enim, qui eum, puta cibum, illicita præſumunt vſurpatione, infirmantur fide, & imbecilli ſunt mente, paſſionum ſcilicet languoribus inuoluti; & dormiunt ſomno peccati, ab hoc ſopore lethali nequaquam ſalutari ſolicitudine reſurgentes.* Hactenus Abbas ille valdę ſolicitus de cura ſacris adhibenda, ratus incuriam, qua laborant Sacerdotes, inuehere multa mala; quibus vt ſe ſubtraheret Hieronymus Narnienſis, multus erat in apparatu, quo ſe ad facienda ſacra quotidie ſedulus accingebat. Et vtinam tot ſequaces haberet huiuſce ritus, quot in charactere ſuo conſortes habet! maiori cultu ſacra forent peruia presbyteris, quibus hoc diceres vnum eſſe intentum, vt mente inculta ſacris ſiſtantur aris, nullo prorſus præuio apparatu inſtructi; imò magis inde Deo inuiſi, quia diuina tractant animis obſoletis. Quod tamen Auguſtinus ait eſſe cauendum ſagaci induſtria, ſic hortatus. *Diligenter*, inquit, *attendite, ſi ad menſam cuiuſcumque potentis hominis, nemo præſumit cum veſtibus ſciſſis, & inquinatis accedere; quantò magis ad conuiuium æterni Regis?* Hactenus Auguſtinus in præparatione ad Euchariſtiam mentibus inculcanda.

Caſſian. collat. 22. c. 5.

Aug. ſer. 2. de verbis Apoſtoli.

Timuiſſe ſibi Hieronymum ſonorè clamat illa quotidiana confeſſio præmiſſa ſacris, quæ adire nefas credidit, ſine magna inſpectione ſui; quam notabant olim ſpecula mulierum à Moyſe aſſumpta, & addicta ſupelle-

Exod. 38.

ctili

ctiſſi tabernaculi, vbi ex præſcripto Dei hoſtias immolabant. Ille ſagax Capucinus ſe ex præſcripto Auguſtini, ad ſacra myſteria accinxit. *Tolle te*, inquit, *à dorſo tuo, vbi te videre non vis, & conſtitue te ante te: aſcende tribunal mentis tuæ, eſto iudex, torqueat te timor, erumpat confeſſio, dic Deo tuo: Iniquitatem meam cognoſco, & peccatum meum contra me eſt ſemper; quod erat poſt te, fiat ante te, & non ſit quo fugias à te.* Hæc ille ſibi conſtans in præfata parænesi, quæ ad congruum apparatum, Euchariſtiæ conſonum homines adhortatur. Vt Sol influens in paludes; inde vapores exſuſcitat, qui in imbres reſoluti terras inundare ſolent: ita ſincera ſui notitia diſcutiens omnes actus, eos homini nudos obijcit; vt ille ſibi malè conſcius abeat in lacrymas, ſortem ſuam iniquam gemebundo pectore miſeratus. Inde ſaliebat ille lacrymarum fons perennis, quo ante ſacra madebat Hieronymus. Namque peracto præteritæ diei ſcrutinio, pertæſus ſtatum ſuum, quem adhuc eſſe terſiorem anhelus optabat, affatim erumpentes lacrymæ eum ingemiſcentem vitæ ſuæ, quam carpebat ſemper, largis fletibus inundabant. Et eſto prudens eſſet in diſſimulanda pietate ſua, abſtinere tamen non poterat à gemitu, & lacrymis, quando recolebat ſtatum ſuum parum congruere puritati, quam vendicat ſibi Miſſa, ſicut par eſt homini celebranda.

Aug. l. 50. homiliar. homil. 2.

Ad ſolamen eorum, qui æmulantes induſtriam Hieronymi, voluerint ſeſe ſagaciter expendere, vt dignè ſacris adſtent altaribus, & defleant actus ſuos ſpongiæ pœnitentum obnoxios; volo Canonem huic inſento propitium recolere, & equidem opportunè. Ecce tenorem Canonis ſtylo fuſiore digeſti. *Conſideret qualitatem criminis in loco, in tempore, in perſeuerantia, in varietate perſonæ, & quali hoc fecerit tentatione, & in ipſius vitij multiplici executione.*

Canone, Conſideret, de Pœnit. diſt. 5.

Exa-

Exacta ſui diſcuſſione Hieronymus lucem ignis adhibuit ante ſacra, ſicut & ardorem, quando diuino amore recenſito mente defixa ad altare, ſuum & amorem reciprocum, æſtu etiam ſancto torridus excitauit. Quippe faces amoris, quo exarſit Deus hominum cauſa, faculas & humanas citius inflammare queunt, vt expertus eſt quotidie noſter Hieronymus, qui meditato amore Dei in nos, erat & igne illo ſolitus æſtuare. Ideoque procul fuit ab hac cenſura, qua Bernardus in ingratos inuehitur, ita ſuum ſtylum acuens. *O duri, inquit, & indurati filij Adam, quos non emollit tanta benignitas, tanta flamma, tam ingens ardor amoris, tam vehemens amator, qui pro vilibus ſarcinulis, tam precioſas merces expendit! Non enim corruptibilibus auro, vel argento redemit nos, ſed precioſo ſanguine ſuo, quem effudit abundè. Quid vltra debuit facere, & non fecit? Illuminauit cæcos, reduxit erroneos, reconciliauit reos, iuſtificauit impios.* Hæc ille, qui amorem alibi dicit eſſe præcipuum apparatum, quo conciliatur Dei aduentus in animas, ad Dei occurſum votis omnibus anhelantes. *Et hoc,* inquit, *ſignum iſtiuſmodi aduentus eius, ſicut ab eo, qui expertus eſt, edocemur. Ignis ante ipſum præcedet.*

Bern. ſer. 2. de Pentec.

Idem ſer. 3. in Cantic.

Voluit hoc contextu Bernardus reuocare morem Perſarum, qui ex Xenophonte, Curtio, Procopio, Agathia, & Ammiano Marcellino, ſacrum ignem ſibi præferri ſanxerunt. quem & aliquando ritum, teſte Herodiano, Cæſares vſurparunt. Ignis quippe typus fuit Dei: quia ſemper aſſurgit, ſemper agit, rutilat, & confert ad multa, ſine quibus æuum hoc perennare nequit: denique ignis regiam videtur adumbrare poteſtatem, & ſingulare decus; aſſiduo namque niſu ſurſum euectus, alijs omnibus eminet elementis. Iuxta vetus inſtitutū, ignem præire ſibi vult Rex Regum, Deus. Fit autem abundè ſatis illi ſanctioni, ſi amore inardeſcat homo, illo nimirum

Xenophont. l. 8. Cyrop. Curt. lib. 3. Procop. l. 3. belli Perſici. Agathias l. 2. hiſtor. Amm. Marcell. l. 23.

rum prouocatus incendio Deus aduolat,& incũbit cordi ſibi gratis ignibus æſtuanti.

Præter ignem, Hieronymus adinſtar Abrahę gladium adhibuit, ad apparatum ſui quotidiani ſacrificij. Gladius ille fuit idem, quem venit mittere Chriſtus in terram, dum indixit bellum mundo facienti fucos, carni prurienti,& ſuſurro mendaci dæmoni blandienti. Hoc ſe gladio accinxit quotidie ante ſacrum Hieronymus noſter: vt enim gladius ille typus erat mortificationis, quam ſuo exemplo Chriſtus inſinuare venit, ita Capucinus hic quotidie deſcendens in arenam, fuit induſtrius in virtutum omnium alea gladiator. Primò ſerotinum reſecabat paſtum, vno tantùm hauſtu aquæ contentus, vt præeunte ieiunio ſe aptaret aris: quadraginta nimirum annos egit impaſtus ſerò, vt eſſet inſtanti matutino tempore vegetior ad obeunda ſacra munia ſacerdotis. Secundò flagellatione acerba ſuum lacerabat corpus innoxium, ſanguine effuſo parans hoſpitium Chriſto, qui nos repurgij cauſa ſuo ſanguine largiter inundauit. Illo velut gladio incidebat corpus ſuum, vt patiendo dura compateretur ei, qui in ara crucis, acerbiora tulit, vt nos redimeret ab æternis crucibus inferorum. Inedia ſerotina, & flagellatione matutina caro macerata, cruce ſua Hieronymum ornabat, aptioremque ſacris efficiebat; ſe namque prius lacerum, & cruentum offerebat, antequam Deo patri incruentam hoſtiam immolaret.

Chriſtus pridie quam pateretur, de Paſſione ſua longum texuit ſermonem, & præcepit, in memoriam ſui patientis ſacrificium illud inſtaurari. Rurſus in Paſchalis agni prima celebritate facta fuit commemoratio ſanguinis eius, quo erant aſpergendæ fores ædis, vbi hæc hoſtia mactabatur. Ecce legem. *Immolate Phaſe, faſciculumque hyſſopi tingite in ſanguine, qui eſt in limine, &* *Exod. 12.*

 aſper-

aſpergite ex eo ſuperliminare. Animæ noſtræ ſuperliminare eſt intellectus, qui ſanguine agni tingitur, quando rubet, ante ſacrum ſanguine Chriſti Domini recenſito. Nullus namque Deo gratior eſt apparatus ad celebrandam Miſſam, quam præuia meditatio Paſſionis Chriſti, quæ nos & viciſſim vrget ad omnia auſtera & corpori ingrata Chriſti cauſa fortiter obeunda. Ea fuit cautela frequens Bernardo ſic monenti. *Vt validius compungamur, vt amplius moueamur, & curramus per omnia; reuoluamus ſingula, contexendo reſticulum, connexendo funiculum, conuertendo faſciculum, de omnibus, & ſingulis, quæ facta referuntur, de humili Dei Filio, de ſummo Patris Vnigenito, de Redemptore piiſſimo, de amantiſſimo fratre noſtro. Occurrat itaque virtualiter, & ingerat ſeipſum cordibus noſtris Dominus Chriſtus, proditus, & venditus à diſcipulo, à Iudæis tanquam vile mancipium precio comparatus ſatis exiguo, captus, tractus, & ligatus, tanquam homo ſine adiutorio, ſciſſo etiam verberibus dorſo, vellicatis genis, facie ſputis illita, puncto vepribus capite, ſaucio latere, terebratis palmis, pedibuſque confoſſis: qui tanquam iugulatori ſuo alludens, ſeipſum non reluctans expoſuit, & nudum corpus, quaſi incudem malleatorum ictibus patienter explicuit, dum pro nobis, per huius vitæ pelagus ad patriam de exilio transferendis, rapacibus pyratis, naulum propriæ mortis exoluit.* Hæc Bernardus, vt maximè conſcius effectuum, quos parturit illa Paſſionis Chriſti memoria ſalutaris. Quæ eo potiſſimum nomine debet eſſe cuique cordi, quòd ipſe Dominus craſtina die moriturus, hanc memoriam anhelo affectu, & æſtuanti amore animo commendauit.

Bern. ſerm. 2 de Paſſio.

Ita Sanctus ille, cuius eloquio fecere fidem quotidianæ flagellationes à Hieronymo aſſumptæ poſt myſteria Paſſionis Chriſti attento animo meditata. Voluntario ſe hoc martyrij genere afflixit, ne Chriſtus moreretur

inultus: ſumpſit à carne ſua pœnas, quia Chriſtus in carne ſua luit grauiores, eſto foret innoxius; & hoc hominum ergo, quorum piacula fœda ſuis anguſtijs vtique acerbis venerat expiare.

In mutui amoris argumentum Hieronymus Narniēſis volebat obire necem Chriſti cauſa, martyrij cupidus, ſi quis vnquam. Vt namque frequens erat in recenſione mortis Chriſti, ita vices Chriſto rependere moriendo pro tutanda fide, Capucinus hic ſacro amore torridus anhelabat.

Codice ſacro ritus alter recenſetur, ſcilicet aqua copioſa ſacris aris aſperſa, ita vt quandoque madens aquis hoſtia fuerit annuente Deo cœlitus inflammata. Sic Elias aquis reſperſit holocauſtum, quod ſic inundatum ſemel, iterum & tertiò, concrematum fuit igne deſuper illapſo. Romanis inoleuiſſe morem illum, Alexander eſt auctor, dicens fuiſſe genus expiationis olim frequens, aquis tingere ſimulacra. Placuit & iſte ritus Hieronymo Narnienſi, qui rem faciendo ſacram, largo lacrymarum profluuio lintea altaris, & ſtrophiola ſæpe ſæpius abluebat. Non poterat ſibi temperare à lacrymis vbertim fluentibus, vnde ſuo lugubri affectu circumſtantes initians, eos etiam piè affectos, ad lacrymas fundendas affatim ſuis fletibus inuitabat. Facilè inducor vt credam, eum, in ipſo communionis articulo, familiarem habuiſſe vſum, illius orationis feruidæ quondam à Sancto Auguſtino crebrius vſurpatæ. *Eſuriens incipio, ne deſinam de te ieiunus; famelicus accedo, ne recedam impaſtus; & ſi antequam comedam ſuſpiro, da vel poſt ſuſpiria vt comedam.* Hactenus Auguſtinus.

3. Reg. 18.

Alex. ab Alexand. l. 5. c. 27.

Aug. lib. medit. c. 39.

Peracta re ſacra Hieronymus, ſe totum colligebat, Deo grates immortales agens, & alteri ſacerdoti facienti ſacrum, ſpeciem omnimodam pietatis ingerens, feruidus auſcultabat. Aduertit aliquando fratrem vnum

eſſe minus quàm decebat compoſitum; adſtando ſacris myſterijs; tantoque Dei zelo percitus eſt, vt eum durius exceptum docuerit acri cenſura, quonam corporis habitu eſſet ijs rebus, quæ ad Deum pertinent accedendũ. Tanta pietate ſacrum illud myſterium deperibat, vt à ſacerdotibus Miſſas auidus expeteret, conſcius gratiarum, quas huius ſacrificij obſequio dignis, & benè accinctis Chriſtus Dominus impertitur. Faxit Deus, vt lectores huius hiſtoriæ, exemplo Hieronymi Narniẽſis, ſacris ſiſtantur altaribus, eo apparatu, quem ſuggerit humana fragilitas, quæ & ab antiquis huiuſce pietatis argumenta poteſt congrua mendicare. Præter recenſitos ſupra ritus, Athenis ſacerdotes albo calceamento ſua ſacra faciebant, aſſertore Appiano; hinc fortè ſugillantes hominum animos, qui plerumque nigricant, & ex diametro referentes illo typo candorem affectuum, quo debet eſſe conſpicuus ille, qui non vult impiè celebrare. Macrobius ait, Romæ ſacerdotem Herculis, ſola lauro redimitum ad ſua ſacra fuiſſe ſolitum procedere; quaſi indicaret, eum, qui ſacrificare vellet domitori hominum, & ferarum, debere etiam æmulari virtutem eius, quem ſacris ſe aptabat excolere; ideoque coronari lauro, quaſi iam egregio aliquo facinore virtutis exantlatæ, vitia propemodum omnia profligaſſet. Vtinam Chriſtiani ſacerdotes candidè calceati accederent ad altare, affectuſque ſuos atros impuro terræ contagio detergerent largo lacrymarum imbre! maiorem inde prouentum gratiarum ditiore manu colligerent. Heu ſi laureatis tantùm pateret acceſſus ad altare, quotus quiſque ſacerdos hic eſſet, conſcius altarium? Si inquam ſolis victoribus, atque ſuperioribus ſuorum vitiorum eſſet fas celebrare ſacrum, profectò viæ Sion lugerent, & non eſſet, qui veniret ad ſolemnitatem, defectu debiti vt congruit apparatus.

Appianus lib. 5. de bello ciuil.

Ex

Ex præfatis non erit abs re Hieronymo Narnienſi affingere ſymbolum, cuius meminit Cæſar Capaccius, qui depingit duas palmas inclinatas ad inuicem, hoc titulo adiecto. HAVSERE VENIS SITIENTIBVS IGNES. Illa nimirum eſt indoles palmarum, vt differentia ſexuum ineſſe dicatur eis, ita vt arbor quærat maſcula fœmininam. Etenim vulgari experimento liquet, adinuicem hos diſparis figuræ ſtipites inclinari. Chriſtus palma fuit, & equidem maſcula: anima Hieronymi Capucini, ſæculo deuicto, poteſt & minoris palmæ nomine nuncupari. Hæc palma amore ſauciata Dei, illexit eum, vt ſe viciſſim è cœlo demitteret, quando ſacris adſtabat aris, æſtuans ille Capucinus, qui pectore anhelo Dei flammas excipiens, ſuos etiam omnes affectus eidem Chriſto Domino conſecrauit. Sicque libet de vtriſque referre typum antea prælibatum. HAVSERE VENIS SITIENTIBVS IGNES.

Cæſar Capaccius l. b. Symbol.

Diuinis officijs quo pietatis affectu Hieronymus Narnienſis aſsiſtebat. Caput XXXI.

INSTITVTO veteri Romanorum ſancitum eſt, fieri publicas aliquando ſupplicationes, in quibus Liuio aſſertore, tota progrediente Roma ſuos flexura Deos, illo religionis actu, dedicata numini carmina reſonabant. Fuit & ille frequens vſus apud Hebræos, quos conſcia Scriptura ſacra ſuaue melos muſicæ Pſalmis adiectum, maximè delectabat: & hoc præcipuè adhibebant, cùm celebriore ritu Deo rerum omnium Domino ſupplicabant. Huius generis fuit cultus exhibitus

Liuius 4. Decad. l. 1.

2. Paral. c. 7

Deo, in dedicatione templi, quæ adſtante Salomone facta eſt, adiecta melodia, quam hiſtoria meminit hoc contextu. *Sacerdotes ſtabant in officijs ſuis, & Leuitæ in organis carminum Domini, quæ fecit Dauid Rex ad laudandum Dominum. Quoniam in æternum miſericordia eius, hymnos Dauid canentes per manus ſuas. Porrò ſacerdotes canebant tubis ante eos, cunctuſque Iſrael ſtabat.* Non eſt aſpernata ritum illum Eccleſia cœlitus edocta, ſed præ Hebræis, vtpote pietate maiore prædita, hunc crebrius vſurpauit. Illa nimirum æmulata Dauidis ingenium, cuius eſt iſta profeſſio, *Septies in die laudem dixi tibi*; ſeptem horas canonicas inſtituit, quæ vocibus alternis in choro ſunt ſolitæ decantari.

Pſal. 118.

In Eccleſiæ Chriſtianæ incunabulis cantus ille naturalis erat, & nullis ab arte notis diſtinctus ab eo, qui familiaris eſt, atque vernaculus vulgo cultioris, & modulatæ muſices imperito. Quippe ſatis erat aureis his ſæculis, alta voce ſuum teſtari iubilum: namque melos præcipuum, & maximè Deo gratum, eſt diſtincta verſuum prolatio, quam pſallentis animæ cordis attentio ſedula comitatur. Eccleſia prouectiore ritus omnes, qui ad Deum pertinent, aliquid pompæ, & ſplendoris adſciuere ſibi: templa nimirum marmorea extructa ſunt, vt & conflata aurata ſupellex altarium; item ſacræ veſtes opere phrygio fuere filis aureis intertextæ. Credidit Imperator Conſtantinus eſſe è re ſua, abditam hactenus in cryptis Eccleſiam dare in conſpectum, opibus accinctam, & triumphantium more, deuictæ Gentilitatis opimis ſpolijs exornatam. Et hæc prima fuit origo ſplendoris, qui rutilus emicuit in Eccleſia, adſcitis etiam organis alijſque muſicis fiſtulis idoneis ad pruritum aurium pſalmodiæ penſum Chriſto Domino perſoluendum. Concordi ferè voto totius Eccleſiæ, mos hic inualuit orbe toto; rarique ſunt religioſi, qui orga-

na non adhibent, & aliquid melodiæ ſuis ſacris, arbitrari eſſe pietati ſimul, & auribus indulgendum.

Sanctiſſimus ſane ritus, cui Eccleſia tota ſua praxi fauet. Sed vt Capucini, Deo ſuggerente, ſuam ſortem credidere, priorem ſtatum Eccleſiæ pauperis, & latentis; ideo etiam abdicatis omnibus, quæ pertinent ad ſplendorem, priori modo pſallendi firmiter adhæſerunt. Hieronymus Narnienſis, dum Prouincialis, & Viſitatoris Generalis obiret partes, hoc cauebat, ne ſcilicet fratres aliquando deflecterent ab hoc ſimplici modo decantandi laudes Dei in choro, & huic rei quàmmaximè ſedulus attendebat. Summa fuit artis huius obſeruandæ, vt nulla prorſus in pſallendo muſicorum ſeruaretur induſtria, ſed voce ſonora, & vniformi neſcia variare tonos, pſalleretur obſeruatis debitis interuallis. Fuiſſe ritum hunc aliàs inolitum priſcis Eccleſiæ temporibus, ex Sancto Iſidoro liquet. *Primitiua*, inquit, *Eccleſia ita pſallebat, vt modico flexu vocis faceret pſallentem reſonare: ita vt pronuntianti ſimilior eſſet, quàm canenti.* Hunc cantandi morem, non duntaxat calculo ſuo adiecto probat Auguſtinus, ſed concludit eſſe alia omni muſica tutiorem. Fortè, quia periculum eſt, ne ſuaue melos induſtriæ, quæ comes eſt affectatæ melodiæ, animum à Deo abſtractum occupet, ita vt dulciſona voce illectus, non attendat ſenſum Pſalmi, quem diſcolores voce modulata toni prurientibus auribus inſuderunt. Ne ergo vocis inflexæ ſonus ſuauitate ſua nimis alliciat aures, & illæ delinitæ placito cantu demulceant animum; Auguſtinus omni derelicta melodia, credidit eſſe animæ, cantu ſimplici conſulendum. *Tutius*, inquit ille, *mihi videtur, quòd de Athanaſio Epiſcopo Alexandrino ſæpe mihi dictum commemini; qui cum modico flexu voces faciebat ſonare lectorem, vt pronunciantiſimilior eſſet, quàm canenti.* Hactenus Auguſtinus.

Iſidor. lib. 1. de offic. c. 5.

Augu. l. 10. confeſſ. c. 33

Concolor eſt Auguſtino Beata Brigitta, famoſa ſuis cum Chriſto colloquijs, à quo edocta modum pſalmodiæ, ne is excideret, hunc voluit & ſuo celebrato codice commendare. Sic illa Deo afflata: *Cantus non ſit remiſſus, non fractus, non diſſolutus; ſed honeſtus, & grauis, & vniformis, & per omnia humilis*. Hunc & pſallendo tenuiſſe ritum Sanctos Patres Aegyptios, ait Caſſianus, qui inſuper adijcit ſe ab eis accepiſſe, Angelo doctore voces ſuas compoſuiſſe modo illo, melos omne ſuo tenore ſimplici ſuperante. Duo præcipuè obſeruanda fuere, curæ Hieronymo Narnienſi, circa modum illum canendi ſimplicitate ſua conciliantem affectum adſtantium, & etiam congruum maximè Capucinis. Primò, vt nulla affectata vocis inflexione tenor vniformis aliquando dehiſceret. Secundò, vt diſtinctè, & modico tractu, cunctante voce ſonora decantati verſus medij, inſerta morula ſcinderentur. Seuerus reuera fuit in caſtigandis erroribus iniurijs pſalmodiæ, quam tanti fecit, vt diceret, eius obſequio homines occupatos, celebrandis illis officijs Angelos imitari.

Reuel. S. Brigitte c. 6.

Caſſian. l. 2. Inſtit. c. 5.

Tanta fuit pietate Pater Hieronymus circa chorum affectus, vt etiam fractus ætate, & morbis varijs, non potuerit temperare ſibi ab Eccleſiæ communi frequentia, vt canonicas horas, vnà cum fratribus, nocturno etiam, & hyberno tempore recitaret. Dixiſſes pſalmodiam fuiſſe malorum eius omnium antidotũ: licet enim, vt infra dicam infirma valetudine, & varijs morbis corpus habuerit effœtum, ſuauitate mira ſuas omnes anguſtias noſtra ſimplici pſalmodia adhibita condiebat. Idcirco multus erat in commendanda chori frequentia, ſuo experimento ſciens eſſe veridica eloquia Ambroſij perorantis in gratiam pſalmodiæ, quam ſic ille ſuo ſtylo eleganti, & rei vt eſt conſono celebrauit. *Quid*, inquit, *pſalmo gratius? Vnde pulchrè ipſe Dauid: Laudate Dominum*

Ambroſ. in prolog. ſuper Pſal.

num, quoniam bonus eſt pſalmus, Deo noſtro ſit iucunda, decoraque laudatio. Et verè: pſalmus enim benedictio populi eſt, Dei laus, plebis laudatio, plauſus omnium, ſermo vniuerſorum, vox Eccleſiæ, fidei canora confeſſio, auctoritatis plena deuotio, libertatis lætitia, clamor iucunditatis, lætitiæ reſultatio.

Itaque Hieronymus Narnienſis conſcius effectuum, quos pſalmodia parturit, omnem ſuam adhibebat induſtriam, vt hoc penſum rite Deo rerum omnium Domino penderetur. Ideoque ſacerdotes, & alios voce ſonora præditos adoptabat in ſuam familiam, quos & priuatim inſtruebat, qua grauitate Dei laudes eſſent in choro illic adſtantibus Angelis exoluendæ. Religioſi aduenæ diuertentes in cœnobium, cui præfectus erat Hieronymus, non poterant temperare ſibi à debitis encomijs illi pietati, qua curabat ille Dei laudes, vt par erat congruè decantari. Compellantes alios, qui erant illic ſubditi Hieronymo, aiebant: O vos beatos, quibus eſt conceſſum pſallere ritibus Angelorum. Hieronymus ſuo exēplo choro adſtringebat omnes, quippe præibat alijs anteuertens horam, ſicque prior in choro ſuum aptabat animum ad pſallendum ſpiritu, & mente, negotijs alijs omnibus abdicatis. De tempore congruo erat adeo ſolicitus, vt ipſe crebro pulſaret campanam, hora condicta: Et eſto foret æger, adiutus obſequio fratris alicuius, ex ſuo deductus ergaſtulo in chorum, corpore effœto ſedens, tamen ad verſum Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto, vir ille infirma compage membrorum ſtatim tremulus aſſurgebat. Sed in nocturno officio, quando deuentum erat ad locum illum: *Te ergo quæſumus tuis famulis ſubueni, quos pretioſo ſanguine redemiſti:* Hieronymus immemor infirmitatum & ætatis, vnde fiebat impos, è ſede cui affixus erat, proſiliens in medium genibus flexis, has voces voce vegeta recitabat.

Ple-

Plerumque accidit vt præualente morbo, neceſſe fuerit eum referre in cellam, vnde chori amans auidus exceſſerat: eo quippe tenebatur affectu erga chorum, vt ſuæ ſanitatis incurius, omnem ſuam curam diuinis laudibus adhiberet. Res ſanè fuit pergrata Deo, videre hominem, vrgente labe morbi multiplicis, nulla ſui parte integra conſtantem, ſeſe totum colligere, vt primus adeſſet choro, vbi reuera prior adſtitit ſemper, vt animum ſuum ad pſalmos rite decantandos, eo fine inſtitutis precibus adaptaret. Votis eius aderat Deus vtique propitius: nam ea attentione pſallebat, vt ex eius oris habitu eſſet facile conijcere, Hieronymum Narnienſem tota ſerie pſalmorum, in Deum velut in ſcopum præcipuum tota contentione animi collimare. Etſi prudens eſſet in celandis animæ motibus, vnde ſibi conciliare famam pietatis erat periculum; attamen afflante Deo, non poterat cohibere motus indices affectuum, quos reſonantes pſalmi ex eius ſibi benè conſcio pectore depromebant. Hieronymo nihil omnino fuit tacitum & elingue, cùm pſalleret; ſed cuncta vocalia: quippe manus implexæ ritu ſupplicum, & ſurſum euecti ore gemebũdo oculorum nutus, erant loquaces, vtpote pios ſenſus eius iubilantis animæ reſonantes. Omnes choro ſimul adſtantes, furtiuis aſpectibus obſeruantes oris eius habitum, dum pſallebat, concepto velut feruore nouo, ſuam ignauiam miſerati, ſtudioſè ſatagebant, hocce pietatis obiectum ſibi ſimulacrum totis viribus æmulari.

Hieronymus ſeſe compoſuerat ad amuſſim præſcriptam à Bernardo, ſic hortante. *Cùm ad orandum, ſiue pſallendum Eccleſiam intraueris, fluctuantium cogitationũ tumultus exterius relinque, curamque exteriorum penitus obliuiſcere, vt ſoli Deo poſſis vacare. Fieri enim non poteſt, vt aliquando cum Deo loquatur qui cum toto mundo etiam atcens fabulatur. Intende ergo illi, qui intendit tibi; audi il-* *Bernar. lib. Medit. c. 6.*

lum loquutum tibi, vt ipſe exaudiat te loquentem ſibi. Ita fiet, ſi diuinis laudibus ſoluendis debita reuerentia & ſolicitudine aſsiſtas, ſuper ſingula verba diuinæ Scripturæ diligenter intendas. Hæc Bernardus, cuius mentem aſſequutus eſt Hieronymus noſter, Deo pſallens iuxta recenſitas à Bernardo regulas inſtitutas.

In argumentum pietatis, quam adhibebat exoluendo ſacri officij penſo, iubilans aiebat fratri, qui reducem comitabatur in cellam: O frater, ineffabile gaudium eſt illud, quo geſtit anima, cui contingit ſe deuotam in decantandis laudibus exhibere. Exuperat omnem ſenſum lætitia, qua perfunditur anima, quæ vt patitur humana fragilitas adſtitit choro, ſuis perfuncta munijs. Ille nequit capi iubilantis animæ ſtatus, à Deo factus in ſtipendium verbi boni, quod in honorem Dei cor feruidum eructauit. O nos fœlices, quibus eſt conceſſum ſepties in die Angelorum choris aſſiſtere! O gratiam excedentem omne pretium: habere ſcilicet ad arbitrium noſtrum copiam diuini colloquij, & peruias aures eius, precibus, quas fundimus exorantes. Ad Angelos vſque diffunditur illa lætitia noſtra: Beati nimirum ſpiritus, & præcipuè cuſtodes noſtri, exultant cùm aduertunt homines benè compoſitos in choro, pſallere in terris eo ferè ritu, quo in cœlis laudes æternæ numini rependuntur. Demum Hieronymus Narnienſis hilarior erat ſolito, poſt recitatas in choro canonicas horas; & hæc alacritas erat argumentum indubium virum hunc probum difficultates omnes, quæ viris etiam Sanctis faceſſunt negotium, quando pſallunt, fortiter euiciſſe.

Eſſe perarduum pſallere ex voto, liquet querulis his Bernardi vocibus. *Miſerere mei Deus, quia ibi plus pecco, vbi peccata mea emendare debeo. In monaſterio namque ſæpe dum oro, non attendo quod dico. Oro quidem ore, ſed mente foris vagante orationis fructu priuor. Corpore ſum inte-* *Bernard lib. medit. cap. 8.*

interius, ſed corde exterius, & ideo perdo quod dico. Parum enim prodeſt ſola voce cantare, ſine cordis intentione. Hæc Bernardus querulis hiſce ſibi vocibus ingemiſcens.

Hinc arguo, Hieronymum Narnienſem fuiſſe pietatis eximiæ: nam eluctatus anguſtias, quæ fuere moleſtæ etiam Sanctis, dum pſalleret, inde redibat alacrior, & nihil obſtante infirmitate ſua, animo ſimul & corpore recreatus. Quippe caro afflicta ſuis ærumnis erat, & particeps gaudiorum, quæ in pſallentis Hieronymi animam cœlitus influebant. Quando ingraueſcente morbo podagra præpediente pedes, corpus erat omnis ferè motionis impatiens; tunc inuius erat ei chorus, & negatus vſus pſalmodiæ. Hinc adeo mœſtus erat, vt ingenuè ſocio ſuo diceret, ſe prope imparem eſſe triſtitiæ, quæ lancinabat animum à publicis Dei laudibus exulantem. Dixiſſes non fuiſſe prægrauatam animam eius ſarcina corporis infirmi: cùm enim pſallebat, ille ſui velut immemor erat corporis, ita Deum orans de ipſo Deo tantùm ſolicitus, ac proinde extorris à ſæculo, & tanquam mente ſuo corpore defæcato. Quàm ſingularis fuerit hæc gratia, colligere eſt ex diſcurſu Chryſoſtomi miſerantis hominum ſortem, in dedecus hoc damnatam, vt ſpiritu ſeſe accingente ad Dei laudes, corpus hunc abſtrahat, & deorſum inclinet; ſicque fiat vaga hominis oratio criminoſa.

Audiendus in hoc deplorando themate Auguſtinus. *Nonne*, inquit, *laudamus Dominum? Nonne quotidie hymnum nos cantamus? Nonne quotidie pro modulo noſtro ſonat os noſtrum, parturit cor noſtrum laudes Dei? Magnum eſt, quod laudamus; ſed quo laudamus, adhuc infirmum eſt.* Hæc Auguſtinus inſinuans, Dei laudes, quæ reſonant in hoc rerum ſtatu, non eſſe immunes à contagio corporis, quo fit vt inuita deorſum anima dilabatur.

Auguſt. in Pſal. 145.

Cùm ergo Hieronymus pſallendo procul extiterit ab

ideis

ideis peregrinis,quas corporis importuna moles ingerit menti,nemo iure poteſt inficiari virum hunc magnum, in his,quæ ad pſalmodiam pertinent,fuiſſe diuinitus ornatum,& dignatum gratia ſingulari. Vt inſigne bonum ſuapte natura diffunditur in plures latices, & canales, ita & attentione Hieronymi Narnienſis fiebat & ipſe chorus attentior:nemo namque viſo Patre Hieronymo dum pſallebat, poterat quidpiam à Deo alienum diſtracto diu animo recenſere. Fuiſſe Dei ſingulare donum illud, liquidò conſtat ex Gregorio affirmante,pati Sanctos in orando plures,ab argumẽto precum ſpecies alienas. *Sæpe*, inquit ille, *corda iuſtorum ſubortæ cogitationes polluunt, terrenarum rerum delectationibus tangunt: ſed dum citiùs manu ſanctæ diſcretionis abiguntur, feſtinè agitur in cordis faciem caligo operiat.* Hactenus ille Sanctus, ſuo forſan experimẽto ſciens eſſe negotium magni ponderis & momenti, offerre Deo preces animo velut ſuo corpore repurgato. Grego.l.16. Mora.c.19.

Si quis cupidus imitari Hieronymum Narnienſem in illo præſertim modo decantandi laudes Dei, ſciſcitetur, vnde fuit illi ſpecialis hæc attentio, nullis corrupta typis rerum huius ſæculi,quæ inſcijs etiam nobis, dum pſallimus in choro, noſtris mentibus obuerſantur. Dicam, fuiſſe viro illi magno facilem hunc modum attentè Dei laudes perſoluere, quia ipſo obſequente Deo, cuius eſt omne bonum, præditus erat mente prorſus à ſæculi huiuſce rebus omnibus expedita. Namque nihil animum deorſum inclinat,vt affectus nugarum,& quiſquiliarum mundi, à quo quiſquis animo procul eſt, ille poteſt ſecurè Deo ſiſti, & pſallere in choro attentè, vtpote gerens mentem nulla rerum huius mundi ſpecie præpeditam. Fauet Ambroſius hoc diſcurſu. *Non*, inquit, *ſatis eſt, vt aliquis cantabiles habeat iuſtificationes Dei, niſi terrenarum exeat ſeruitio ſolicitudinum. ideoque* Ambroſ. in Pſal.118.

addi-

addidit; In loco peregrinationis meæ. Conuenit ſibi. Siquidem & alibi ait: Aduena ſum in terra hac. Vnde & Apoſtolus non vult nos in domo Dei, fideique vocatione aduenas eſſe, atque peregrinos, ſed ciues Sanctorum, & domeſticos Dei. Qui enim domeſticus Dei eſt, exul in mundo; qui conuerſatur in cæleſtibus, peregrinus eſt terris.

Non in choro ſolùm, ſed & vbique Dei laudes familiares habuit Hieronymus Narnienſis, vtpote frequenter habens in ore verſum illum, quo optamus, vt ab omnibus ſincera & æterna Deo Patri, & Filio, & Spiritui ſancto gloria rependatur. Impubes adhuc didicerat memoriter aliquos verſus, quos animo verſans ſæpiſſimè reuocabat ad os, & voce ſonora pueri illos venuſto modo, & lepidè adſtantium auribus ingerebat. Laudata fuit olim puerorum induſtria, & ſuaue melos, & id Platonis inſtituto, qui ſanxit addiſcere muſicam homines impuberes, vt ſtudiorum acerbitas ingrata tenellulis annis ſuauitate muſicæ condiretur.

Plato de legibus dialog. 7.

Vſus hic pſallendi præſertim inualuit in epulis, & in ſacris: vt enim præfatus ſum ex Liuio, in publica ſupplicatione Deorum laudes voce modulata palàm muſicè reſonabant. Vtque Deo gratiora forent hæc carmina deducta voce canora, melos ingerente tonis induſtriè compoſitis, veteres ſuſpicati coire ſacra & puritatem, eodem Liuio aſſertore, ad placandum numen illa ſua pſalmodia virgines elegerunt. Vt caſta placent ſuperis, Eccleſia ſuos cantores initiatura ſacris, vt eorum pſalmodia Deū conciliare queat citius, illos obſtrinxit æterno vinculo caſtitatis. Eadem item Eccleſia cœlitus edocta, pſalmodiam non in ſacris tantùm habet frequentem, ſed & hanc epulis adhibuit, vbi benedictio menſæ, idoneo pſalmo velut bonis auſpicijs, & gratiarum actiones, alio etiam pſalmo congruo conſummantur. Placuiſſe Deo pſalmodiam, quam & hodie frequenter vſur-

Liu. 4. Dec. lib. 1.

vſurpat Eccleſia, teſtatur Ambroſius hoc contextu. *Hymni nobis, canticum nobis, pſalmi nobis, iuſtificationes Domini ſint. Pſallamus ſpiritu, pſallamus & mente.* *Ambroſ. in Pſal. 118.*

Hieronymus itaque recreatus vſu pſalmodiæ, quam crebro gemitu condiebat, poteſt vendicare ſibi ſymbolum, quod recenſet Ferrus, qui depingit turturem adſcitis his vocibus, IDEM CANTVS, IDEM GEMITVS. *Ferrus par. 2. Theatri Symbol.* Etenim turtur canendo gemit, & gemendo canit, ſicque melos eius eſt lugubre, quia turtur auis eſt neſcia voluptatis. Hieronymus Narnienſis non ad delicias, & pruritum aurium benè affectus erat erga pſalmodiam: nam vel ſuſpirabat deſiderio rerum æternarum, quas commemorant pſalmi; vel ſibi velut reo querulis voce ſonora tonis ſæpius ingemebat. Ideoque liquet, ei quadrare teſſeram illam turturis; quippe fuit illi IDEM CANTVS, IDEM GEMITVS.

Orationis aſſiduæ cultor eximius fuit Hieronymus Narnienſis. Caput XXXII.

PATRIS in eremo celeberrimi circumfertur effatum ſingulare: videlicet, eſſe talem religioſum, qualis eius extat oratio. *Ex vitis Patrum.* Cùm ergo Hieronymus Narnienſis adhuc tyro Capucinus, ſibi hoc penſum indixerit, ſcilicet, vt religioſi abſoluti partes obiret omnes; orationem ſemper excoluit, vtpote ad ſuum intentum maximè conducentem. Solitus erat dicere, hominem orationis incurium neſcire iacturam, quam patitur, cùm orat perfunctoriè, id eſt ore tenus tantùm, animo irretito tricis huius ſæculi, & à Deo, in quem collimare debet

oratio, penitus alieno. Singulis quibuſque diebus ſunt indictæ Capucinis duæ horæ, vt ſimul in choro vacent orationi, quam mentalem vocant; quia ſoli intenta Deo anima, cum illo mente pia colloquitur, nullo prorſus vſurpato ſtrepitu labiorum. Illæ diſpeſcuntur horæ iuxta matutinum, & ſerotinum tempus, vt auſpicata dies ab oratione, finiatur eodem ſpiritus obſequio. Sed Hieronymo Narnienſi haudquaquam ſatis erat duas horas illas impendere orationi, ideoque binis alijs horis quotidie adiectis, quater oraturus mente deuota Domino ſiſtebatur. Sæpe duas horas ſomno ſuo ſubtrahebat, vt ſine arbitris ante matutinum in choro ſolus oraret mẽtaliter; ſic ſe accingens ad pſalmodiam, qua tantopere afficiebatur, vt dum pſalleret, anima eius tota in Deum ſe efferret, nullum ferè negotium corpore faceſſente.

Placebat ei præcipuè nocturnum tempus, vt magis idoneum ad orandum; ideoque breui ſomno corpori indulgens, ſurgebat oraturus ſeorſim in Eccleſia, ſicque vigiles agens excubias, in choro velut in ſtatione poſitus alios anteibat. Hieronymus noſter Ambroſio morem geſſit, ſic monenti. *Nomen Dei inuocetur diebus ac noctibus, nullum tempus vacuum ſinat ſancta deuotio præterire. Si ſtudentes igitur ſæcularibus diſciplinis perparum ſomno indulgent, quantò magis, qui Deum cupiunt cognoſcere, non debent ſomno corporis impediri, niſi quantùm naturæ ſatis eſt? Dauid per ſingulas noctes lectum ſuum lacrymis diluebat*. Hactenus Ambroſius, inſinuans eſſe opportunum tempus ad orãdum, illud, quo maximè ſolet epulis ſomnoque calens corpus importuna pati Veneris incendia, & ad obſcœna dormiendo typis ſordidis inuitari.

Ambro. ſer. 7. in Pſal. 118.

Hæc omnia damna cauit Hieronymus Narnienſis, vtpote leui ſomno ſemper vſus, vt pharmaco; quippe quietis horas vnicuique datas licet modicas, ille vigil orationis gratia decurtabat. Inde duplex ei commo-

dum

dum acceſſit: Primum corporis ſubiectio ſpiritui: alterum orandi habitus comparatus illa frequentia, qua præcipuam noctis partem precibus impendebat. Quàm ſit congrua noctis hora ad precandum, ſcribit Ambroſius. *Non*, inquit, *ſatis eſt dies ad precandum, ſurgendum eſt, & nocte, & media nocte. Ipſe Dominus pernoctauit in oratione, vt te proprio ad deprecandum inuitaret exemplo, & vtique peccatis tuis ille indulgentiam poſtulabat. Non tibi dicit Propheta, vt tantummodo media nocte ſurgas, ſed vt ſurgas nocte, & maximè media nocte. Nocte enim ſurgendum ante præmiſit dicens: Memor fui nocte nominis tui Domine. Addidit: media nocte ſurgebam; docens te ſurgendum media nocte.* Ambro. ſer. 8. in Pſal. 118.

Ab hac noctis hora deſes abhorret animus, tantùm ſuæ ſalutis incurius, quantùm eſt de ſtertente ſuo corpore ſolicitus, multoſque vidi querulos carpere nocturnum tempus, velut incongruum ſacris precibus inſtaurandis. Hieronymus Narnienſis inſomnes ferè noctes in oratione trahens, damnat ignauiam illorum hominum ſoporis alti, & vt ſaginati corporis aſſeclarum. Tota hominum claſſis ſolita ſurgere media nocte clamat, quàm ſit opportunum tempus illud orationi, quæ eò magis eſt terſa, quò plus eſt anima ſoluta curis, quibus interlabente die eſt ſolita vellicari. Vtinam hoc attentè perpenderent omnes, qui dedere nomen ſuum religioni, promptior quippe foret eis animus, nec non hilarior ad noctis horas tinniente ſono campanæ precibus aſſignandas. Tanto animi feruore petebat Eccleſiam Hieronymus noctu, vt cùm infirmo corpore eſſet plerumque acciderit ei labente veſtigio impingere in muros, & grauiter eo caſu contuſo corpore ſauciari. Non id tamen obſtitit, quin venerandus ille ſenex orationi, quàmmaximè deditus in feruore ſuo ſibi conſtans antelucanis horis Eccleſiam, ſemper præcurrens alijs, ſe-

dulò frequẽtarit. Vt habeat hic æmulos & ſequaces pietatis eius, quam teſtatus eſt orando Deum noctu, non erit abs re luculentam Bernardi ſententiam in hoc themate recenſere. *Propter hoc ergo ſponſa non minus verecundè, quàm cautè, & lectuli ſecretum petebat, & noctis, orare, hoc eſt verbum quærere volens, vnum eſt enim. Alioquin non rectè oras, ſi orando, præter verbum, aliquid quæras, aut quod propter verbum non quæras, quoniam in ipſo ſunt omnia. Ibi remedium vulnerum, ibi ſubſidia neceſſitatum; ibi reſarcitus defectuum, ibi profectuum copiæ, ibi denique quicquid accipere, vel habere hominibus expedit, quicquid decet, quicquid oportet. Sine cauſa ergo aliud à verbo petitur, cùm ipſum ſit omnia.* Hæc Bernardus, & argutè, dicens orationem eſſe verbum, & verbum eſſe ſponſum, qui nocte debet quæri ab anima, cui inſedit precibus occupati.

Bernar. ſer. 86. in Cãt.

Hunc animæ ſuæ ſponſum Hieronymus nocte ſolicitus inquirebat, non multa loquela ſuos æſtus inſinuãs. Multi namque fratres de induſtria explorantes, quo aſſatu Deum compellaret homo orationi iugiter intentus, nihil vnquam prorſus ex anhelo pectore præter ſuſpiria, & crebros gemitus exceperunt. Non enim ore tenus, vt vſus inualuit; ſed intimo corde Deum vrgebat ille Capucinus, ea attentione preces fundens, vt eſto rigore tremens tempore hyberno ſuas inciperet preces, pergendo tamen orare copioſo ſudore madens poſtea, tanquam latente foco torridus æſtuaret. Accepi ego plerumque fratres deforis; oſtio nimirũ interpoſito, & proinde præcludente aſpectum Hieronymi, vt ſenſere virum in gemitus, & ſuſpiria effuſum, tantos inde focos concepiſſe ſacri amoris, vt eodem, quo & ipſe Hieronymus incendio ſubito conflagrarint. Heu nos miſeros, inquiebant illi curioſi exploratores actuum Hieronymi, dum oraret, heu nos deſides, & ignauos, qui vitam iner-

tiã diſſolutam agimus, nec inde tamen conterimur: & hic virtutis illibatæ pater, tot eluctatus agones Chriſti cauſa, tamen ſuis actibus ingemiſcit. Dixiſſes ex rimulis & fiſſuris oratorij, vbi pronus orabat Hieronymus, erupiſſe faces, quibus omnes illi loco proximi, & attenti quid ageret ille pater, ijſdem quibus & ipſe preces fundens ignibus inardebant. Vnus præ alijs recenſetur, qui audito ſuſpirãte patre ita exarſit, vt vitæ ſanctioris propoſitum ſtatim animo conceperit, pertæſus hunc teporem, cuius illum tantopere pœnituit, vt poſtea melioris huius conſilij lucuIenta dederit argumenta.

Ille modus orandi à Hieronymo Narnienſi vſurpatus, quo corde magis, quàm ore preces Deo funduntur, eſt præcipuus cardo, in quo vertitur oratio, ac proinde à Sanctis maximè commendatur. In his eſt Auguſtinus ita fatus. *Voce mea ad Dominum clamaui, & exaudiuit me de monte ſancto ſuo. Non corporis voce clamaui, quæ cum ſtrepitu verberati aëris promitur; ſed voce cordis, quæ hominibus ſilet, Deo autem ſicut clamor ſonat.* *Auguſt. in Pſal. 3.*

Hieronymo Narnienſi tantopere arriſit ille ritus orandi tacitè, & raro vocis obſequio, vt inde focus cordi accederet: vt namque motu crebro cuncta calent, ita Capucini huius cor amore Dei iugiter incanduit, vtpote motum continuo, ſemper aſſiduis precibus occupatum. Dicebat ille ſe multum debere Nauarro Doctori, quia legerat apud illum, eſſe crimen non modicum, & iniurium maieſtati Dei, in oratione vagum animum, & dilabentem ad profanas ideas rerum huius mundi, minimè coërcere. Illa Nauarri deciſio tam altè inſedit animo eius, vt vel latum vnguem à Deo deflectere, cùm orabat, eſſet ei religio; vnde fiebat, vt relegata cura rerum omnium, quæ ad Deum non pertinent, mentalis oratio totum eius Deo fixum animum occuparet. Feruida cordis eius eloquia, prodebant lacrymæ indices

eius affectuum, quos eliciebat orans. Erant & argumenta precum, quas magna animi contentione fudit, crebra ſuſpiria, quæ corde anhelo Pater ille ſeorſim, & ſine arbitris exhalabat. Quanti ſit facienda talis oratio, luculenter enuntiat Ambroſius. *Aduerſus diabolum*, inquit, *non vocis magnitudine, ſed magnanimitate cordis vtendum eſt. Eſt tamen vox cordis, ſicut eſt vox ſanguinis, quæ ad Deum peruenit. In ſpiritu adoptionis clamamus, Abba Pater, & ipſe ſpiritus Dei clamat in nobis.*

Ambroſ. Serm. 19. in Pſal. 118.

Præter horas, quas ante mediam noctem impendebat orationi mentali, Hieronymus erat ſolicitus præuenire diem. Etenim conceſſo leui ſomno corpori, poſt communem è choro ſeceſſum, cauebat ne producta quies, diei primitias oratione matutina ſacras Deo, ſternente corpore præpediret. Parcus erat ſomni, vtpote credens eſſe meram hanc iacturam temporis, ſi non cautè ſanitati corpori conſulens homo dormiret. Et reuera detrahitur animæ tempus ſuperfluum, quod dormienti immodicè corpori mancipatur. Ideoque nemo prior Hieronymo, qui antelucanis horis ſemper agens excubias, præueniendo lucem ſenſibilem, aliam lucem inacceſſibilem, compoſitis eo fine precibus adorabat. Namque ratus rem eſſe indignam nomine religioſo, impendere ſomno tempus orationi magis idoneum, & illud magno animæ diſpendio, inertia effœto corpori deuouere. Ne nox aëre opaco ſuperfluum conciliaret ſomnum, lampade accenſa fugabat illum: modica namque quies vt ſufficiebat ei, vigilijs locum dabat, quas legendo, & orando, ſaluti ſuæ ſic conſulens prouidus impendebat. Hæc attemperata quies eſt communis omnibus, quos terſioris vitæ ſancta cupido tenet; vt & incurijs de ſalute ſua, frequens eſt producta quies ad multam diem. & hanc ingloriam hominum ſortem Ambroſius hoc contextu, rei noxiæ congruo miſeratur.

Au-

Audiendus ille conſultor opportunus. *Graue eſt*, inquit, *ſi te otioſum in ſtratis radius Solis orientis inuerecundo pudore conueniat, & lux clara feriat oculos ſomnolento adhuc torpore depreſſos. Arguit nos tanti temporis ſpatium, ſine vllius deuotionis munere, ac ſacrificij ſpiritualis oblatione feriata tranſmiſſum. An neſcis ò homo, quòd primitias tui cordis, ac vocis quotidie Deo debeas? Quotidiana tibi meſſis, quotidianus eſt fructus. Occurre ergo ad Solis ortus, vt te oriens inueniat iam paratum, ne lumina tua madido adhuc ſopore mergentia, primus diei fulgor exagitet.* Ibidem.

Præter ſtatas horas, quas Hieronymus Narnienſis orationi dèuouerat, die tota Deo ſic intentus erat, vt cuncta illius negotia dixiſſes eſſe iugem orationem: ad omnes quippe ſuos actus, vt hi litarent tantum gloriæ diuinæ, preces congruas adhibebat. Cùm vrgente graui negotio non poterat intereſſe choro, & aſſuetis horis, Deum ſic compellabat: Tu Domine Deus es conſcius anguſtiæ, qua lancinor & crucior ob meam abſentiam à choro, vbi nunc adſtat corona fratrum attenta tibi, quem corde æſtuante ſuis precibus interpellat. Ab aduenis & ipſo inſcio ſæpius auditus eſt Hieronymus in cella ſua leui ſuſurro Deum alloquens identidem: operi ſibi indicto interſerendo moras, vt tantiſper oraret, eo fine Vatis regij multis, & ſelectis verſibus adaptatis. Ratione precum, quas fundebat aſſiduè, eius cella fuit ſicut fornax illa Babylonis, quæ circumſtantes aduſſit, dum tres pueri in medio eius incendio illæſi, ſuauiter hymnum præpotenti rerum Domino decantabant. Si quis enim curioſa indagine ſiſteretur oſtio cellę Patris huius, audiebat inde reſonare preces, vtique breues, ſed feruidas, quæ ardore ſuo eiaculato foras, exploratores illos tepidos accendebant. Ad hanc ſeſe amuſſim compoſuit aliàs Auguſtinus, vt colligere eſt iſta parænesi beneſuada.

Sic ille. *In ipſa fide, ſpe, & charitate continuato deſiderio ſemper oramus. Sed ideo per certa interualla horarum, & temporum etiam verbis rogamus Deum, vt illis rerum ſignis nos ipſos admoneamus, quantum in hoc deſiderio profecerimus, nobis ipſis innoteſcamus, & ad hoc agendum nos ipſos acrius excitemus; Ac per hoc, quod ait Apoſtolus: Sine intermiſſione orate; quid eſt aliud, quàm beatam vitam ab eo, qui eam ſolus dare poteſt, ſine intermiſſione deſiderare? Semper ergo hanc à Domino deſideramus, & oramus ſemper. Sed ideo ab alijs curis, atque negotijs, quibus ipſum deſiderium quodammodo tepeſcit, certis horis ad negotium orandi mentem reuocamus, verbis orationis nos ipſos admonentes in id, quod deſideramus intendere, ne quod tepeſcere cœperat, omnino frigeſcat, & penitus extinguatur, niſi crebrius inflammetur.*

Aug. ep. 121 ad Probam viduam Tom. 2.

Hieronymus Narnienſis præclara ratione fuit inductus, vt ſemper oraret: ſcilicet, aiebat Deum ſtatuiſſe dotes, atque chariſmata dare nobis poſt certum numerum precum, ipſi Deo ſoli notum, ac proinde preces noſtras ſolicitè, necnon & fideliter ab adiecto nobis Angelo recenſeri. Nonne Deus annuit precibus Saræ & Tobiæ poſt inſtauratas ſæpe preces, quas ſi non abſoluiſſent iuxta Dei decretum, procul dubio in caſſum, & magno ſui voti diſpendio, ab auſpicato bono precum opere deſtitiſſent. Ille Hieronymi conceptus obſtetricem habet hiſtoriam Vatis Eliſæi, qui cum Regi Iſrael dediſſet arcum & ſagittas vt eas ſæpius emitteret, ægrè tulit Regem emiſſo tertio iaculo ſubſtitiſſe. Ecce ſeriem & contextum ſacræ hiſtoriæ. *Cùm percuſſiſſet tribus vicibus, & ſtetiſſet, iratus eſt vir Dei contra eum, & ait: Si percuſſiſſes quinquies, aut ſexies, ſiue ſepties, percuſſiſſes Syriam vſque ad conſumptionem: nunc autem tribus vicibus percuties eam.* Profectò rari ſunt, qui Deum orando ſibi faciunt propitium, quippe preces eos refricare piget

4. Reg. 13.

ad

ad arbitrium Dei,qui non exaudit eò quòd non ſit oratio decurtata ſuis numeris omnibus abſoluta. Hieronymus hoc arcanum ſæpe ſuis adſtantibus explicuit,ne deficerent animo ſi quando Deus differret influere iuxta vota precum; vnde plures alacri animo multiplicauere preces, vt optatis annueret Deus, egeſtatem anhelantis animæ miſeratus. Et vtinam hoc Hieronymi effatum innoteret multis,quos in orando tepor ſoluit,quia Deus ad eorum nutum non impertit citò bona: illi nimirum in poſterum cautiores eſſent, multique forent in precando, ſicque Deum repetitis precibus inclinarent. Iniqui vitiorum habitus faceſſunt anguſtias, ſemel & iterū oramus, nec eſt vlla tamen inde ſalus; Idcirco pigra fatiſcit oratio, arbitrata numen eſſe infenſum, ſicque viget & acuitur hic ſtimulus in crimina ſolicitās, qui profectò foret obtuſus, ſi ſæpius orando Deum votis omnibus vrgeremus. Vt quiſque ſuos patitur Manes, ita & Hieronymus eſto procul à vitijs,habuit ſuas animæ moleſtias, quas vt tergeret, oratione iugi inſtabat, & pulſabat cœli fores, conſcius vt litaret, vota indeſeſſa peti, nec non & animum in ſupplicando Deo minime fatiſcentem.

In hoc argumento vices obit conſultoris tempeſtiui Gregorius ille Magnus, qui corpore decocto malis, patiētiam à Domino ſæpius efflagitans non orauit tantùm, ſed & inſtauratis crebro ſuis precibus exorauit. Ecce ſalutare monitoris oraculum. *Attendat vnuſquiſque in quo profundo iaceat, & quàm longè à Deo peruersè agens effectus ſit. Clamet ad eum totis viribus, qui intuetur abyſſos, & ſedet ſuper Cherubin, donec de profundis erutus tenebris, ſuperno illuſtretur lumine, & claritate perfruatur cognitionis diuinæ. Clamauit Ionas ad Deum de ventre ceti, de altitudine maris, de profundo inobedientiæ; & ad aures Dei oratio illius peruenit, qui eum eruit à fluctibus,* Greg. in Pſ. 6. Pœnit.

& abſoluit à culpa. Clamet & peccator, quem à Deo recedentem cupiditatum tempeſtas contriuit, quem malignus hoſtis abſorbuit, quem præſentis ſæculi fluctus inuoluit; agnoſcat ſe eſſe in profundo, vt ad Deum ſua perueniat oratio. Notandum quod non ait Dauid, De profundis clamo ad te Domine; ſed, clamaui. Habes in hoc perſeuerantiæ documentum, vt ſi primò non exaudiaris, ab oratione non deficias, immò precibus, & clamori inſiſtas. Vult Deus rogari, vult cogi, vult quadam importunitate vinci. Ideo tibi dicit: Regnum cœlorum vim patitur & violenti rapiunt illud. Eſto ergo ſedulus in oratione, eſto in precibus importunus, caue ne ab oratioue deficias.

Math. 11.

Hieronymus Narnienſis hac etiam ratione ſuum ſtudiũ orationis acuebat, quod ſcilicet nobis attentè Deus adeſſet orantibus, plura paratus impertire, precantibus vt congruit, quàm ipſimet adflanti Deo ſuis precibus explicarint. Aiebat ille Deum magni facere preces noſtras, nihilque prorſus excidere meriti benè precantibus: ſubijciebat, hanc in homines Dei indulgentiam tanti eſſe ponderis, & momenti, vt quiſquis eius eſt conſcius, debeat oratione iugi cæteros anteire. Magnam ſanè fiduciam conciliabat hic diſcurſus Hieronymi, his quos vrgebat ad orationis obſequium: qui namque Deũ præſentem atque propitium ſibi animo verſat orans, ille profectò ſolers eſt, & ſedulus in precando. Hoc argumento ſuum Gregorius acuit & ſtudium orationis. *Si qui rogatur*, inquit, *primò libenter audire cœperit, & alijs poſtpoſitis negotijs, verbis ſolummodo rogantis intendere; continuo ille, qui rogaturus aduenit, concipit impetrandi fiduciam, & ipſe quodammodo animatus ſpe, ſuam liberius proloquitur cauſam. Magnum quippe voluntatis ſuæ Dominus illi dedit indicium, cùm loquenti ſe præbuit incunctanter intentum. Sic & nos cùm dari nobis veniam à Deo quærimus, & cœleſtis gratiæ vitalia dona conferri; ſi nobis*

Gregor. vbi ſupra.

Deum

Deum præſentem aliquibus ſuauitatis, & dulcedinis ſuæ ſenſerimus indicijs, ad ipſius deſiderium ſtudioſius animamur, ſuper his quæ cupimus adipiſcendis aliquatenus certiores effecti, cum ille, quem anima noſtra deſiderat, deſiderantibus nobis per miſericordiam appropinquat. Ita perorat Gregorius, cui & concinit Bernardus multa loquens illis affinia; quæ referre frequens erat Hieronymus, illa videlicet quæ mox recenſui Hieronymum ſolitum fuiſſe ſuis fratribus inculcare. Vnde quia fortè Patris huius argumenta precum frequentiam ſuadentia petita ſunt ex Bernardo, placet hunc ſiſtere, & ſeriem ſermonum eius, conſulto ipſius codice recenſere.

Ecce ſuadam parænesim viri ſancti. *Nemo veſtrum,* inquit, *paruipendat orationem ſuam. Dico enim vobis, quia ipſe ad quem oramus, non paruipendit eam. Vnum è duobus indubitanter ſperare poſſumus, quoniam aut dabit, quod petimus, aut quod nobis nouerit eſſe vtilius. Nos enim quid oremus ſicut oportet neſcimus, ſed miſeretur ille ſuper ignorantiam noſtram, & orationem benignè ſuſcipiens, quod nobis aut omnino non eſt vtile, aut non tam citò dari neceſſe eſt, minimè tribuit.* Hæc Bernardus appoſitè ad Hieronymi Narnienſis eloquia proximè memorata. *Bern ſerm. 5. in feria 4 cinerum.*

Quamuis Capucinus iſte vitam ageret ærumnoſam, vtpote corpore laceſſito varijs vſquequaque malis; attamen illæ graues anguſtiæ, non ſuggeſſere viro illi magno ſolicitare Deum, vel vrgere ſuis precibus pro reduce ſanitate. Suſpecta namque fuit ei ſanitas corporis, imò nec Sanctis dona ſolùm conceſſa petijt vnquam, vt ſunt reuelationes, ecſtaſes, & gratia patrandi miracula: ſed eius ſpeciali ſcripto liquet, eum enixè efflagitaſſe via trita duci in cœlum, & oratione eo intento fuſa, ecſtaſes atque prodigia refugiſſe. Præcipuus cardo precum Hieronymi vertebatur in hoc, vt eſſet eius ſarta tecta ſalus, quæ vt fixa, & rata foret, perennem gratiæ Dei influxum

xum

xum petebat, & ne quando deficeret, virtutum omnium agmina conducebat. Sicque preces Hieronymi Narnienſis nihil niſi ſalutare recolentes fuerunt ad amuſſim Chriſti, hoc præſertim inculcantis olim ſuis Apoſtolis, vt quidquid oratione iugi vellent procurare ſibi, ſatagerent induſtriè, vt illud peteretur in nomine Saluatoris. Chriſti intentum bellè reſerat Auguſtinus. *Ac per hoc, quodcumque petimus aduerſus vtilitatem ſalutis, non petimus in nomine Saluatoris; & tamen ipſe Saluator eſt, non ſolùm quando facit quod petimus, verum etiam quando non facit; quoniam quod videt peti contra ſalutem, non faciendo, potius ſe exhibet Saluatorem. Nouit medicus quid pro ſua, quid contra ſuam ſalutem poſcat ægrotus, & ideo contraria poſcentis non facit voluntatem, vt faciat ſanitatem. Quapropter quando volumus vt faciat quodcumque petimus, petamus in nomine Saluatoris.* Hactenus Auguſtinus.

Aug. Tract. 73. in Ioan.

Cùm igitur oratio Hieronymi Narnienſis ea tantum quæ ad Deum ſpectant præſtituerit ſibi in ſcopum, potuit huic quadrare ſymbolum Nicolai Throni Ducis olim Venetorum, qui depinxit virginem elegantem erecta facie ſuos oculos ad ſydera dirigentem. Explicabat virginis animum adiectus hic titulus: NON EST MORTALE QVOD OPTO. Eius indolis extitit oratio Hieronymi, quippe velut incuria corporis, quod mortale fuit, nihil omnino morti obnoxium petijt, ſed æterna tantùm ab æterno rerum omnium Domino largitore. Rurſus illa virgo refert incorruptum animum Hieronymi, qui nullam vnquam lethalis peccati labem contraxit, vt ſupra memini recolens authoritatem ſacerdotis, qui in vltimo agone excepit confeſſionem, qua fuit exquiſitè vitæ Hieronymi tota ſeries explicata. Hęc innoxia vita ſuis ſtipata virtutibus colophonem impoſuit orationibus quas ferè aſſiduas fundebat ille Capucinus

Aegidius Sadeler li. iconū ſymbol.

cinus

cinus diuino magis vſus conſortio, quàm humano: ſicque bonis operibus ſuccinctæ preces eius, illis velut alis congruis inſtructæ, facilè peruios habuere cœlos, nullo prorſus eas obice remorante.

Plerumque preces hominum non aſſurgũt, eſto prolixæ ſint, quia anima in orando productior illudit oculis adſtantium, ementita pietatis ſpecie, cùm tamen illa repat humi forſan alicuius criminis vinculo præpedita. Quantum conferant ad orationis meritum bona opera innoxiæ ſociata vitæ, clamant Patres ſancti. In his ſic occinit Ambroſius. *Volare*, inquit, *facit orationem bona vita, & dat alas precibus ſpirituales, quibus Sanctorum ad Deum euehitur oratio. Sed & ſpiritus quo oramus, ſubleuat precem iuſti, maximè ſi corde contrito compatiens eam commendat affectus.* *Ambroſ. ſerm. 22. in Pſal. 118.*

Vt oratio eſt mentis aſcenſus in Deum, ita & indiget rerum omnium terrenarum, & peccati repurgio, ne mens inquinata deorſum inclinet oratura Deum. Rurſus concluſa bonis operibus oratio, vehitur vt carpento, cuius obſequio cœlos ingreditur habitu triumphantis. Hieronymi Narnienſis oratio ſic accincta fuit: nam præter illibatam Dei gratiam, cuius deliquium nunquã eſt paſſus ille Capucinus, flagellatione acerba ſuum lacerum corpus afflixit, vt & inedia & vigilijs. Denique res nimium prolixa foret recenſere quibus & quantis virtutum actibus inſudarit. Hunc orationis & operum nexũ eſſe difficilem atque rarum, ait Bernardus ſolicitans homines, vt res concolores ſint mores atque preces. Sic ille. *Nonnulli ſunt potentes in opere ſed non in ſermone. Alij in ſermone, ſed non in opere. Quidam potentes ſunt in vtroque. Qui ſtrenuus eſt in exercitatione corporali, bona, quæ paruà valet, non negligit operari; patiens in tribulatione, gaudens ad laborem obedientiæ, dici poteſt potens in opere. Sed ſi minus hunc delectat aſſiduitas orationis, ſi non eſt ſolici-* *Bern. hom. de duobus. diſcip. euntibus in Emmaus.*

tudine pia deuotus in vigilijs, potens eſt in opere, ſed non in ſermone.

His itaque dotibus inſtructa Hieronymi Narnienſis oratio, tanti viſa fuit ponderis & momenti, vt Summi Pontifices, Eminentiſſimi Cardinales, Prælati, Principes, & omnigenæ ſortis homines benè ſecum agi crediderint, ſi ſe commendatos eſſe ſcirent precibus huius feruidi Capucini. Qui quanti meriti fuerit apud viros ſummos, mihi abunde fuit perſpicuum vno luculentò exemplo fidem facturo dictis à me in gratiam orationis eius viri magni. Ego Romæ degens, aliquot iam annis elapſis à morte Hieronymi, cuius ibidem hiſtoriam conſcripſi, ſub auſpicijs Excellentiſſimi Principis Ludouiſij, quo ſuaſore prodit in lucem iſte liber, inuiſi Decanum ſacri Collegij, ſcilicet Eminentiſſimum Cardinalem Lanti, aliàs intimum Hieronymi Narnienſis, quem & hic Præſul charitate mutua deperibat. Cùm præfati Patris mentio incidiſſet, dixi Eminentiſſimo, me in chartis Hieronymi reperiſſe ſchedam, in qua manu eius erat exemplar orationis, quam quotidie in altari recolebat rem faciendo ſacram, vbi deuenerat ad locum Canonis, qui Memento, vt congruo nomine nuncupatur. Dixi me aduertiſſe nomen eius in hoc breui catalogo: licet enim pro omnibus in genere oraret Hieronymus, rari prorſus erāt illi, quos nominatim in oratione ſua, & pręſertim dum ſacris adſtaret altaribus Chriſto Domino cōmendabat. Vt audijt Cardinalis ille, decus ſacri collegij ſe alicuius fuiſſe nominis in oratione Hieronymi, tanta perfuſus eſt lætitia, vt eum verba defecerint, & ſpontaneo fletu conniuentes eius oculi deſudarint. Habuerat ille ſibi in eo affectu præeuntes Paulū V. Gregoriū XV. & Vrbanum Pontifices, qui admiſſo ſæpe Hieronymo ad priuata colloquia, eum ſic rogabant identidem: Hieronyme memor eſto noſtri, & ærumnarum, quibus angi-

tur

tur Eccleſia, Deum creber ora pro grege, & Paſtore, ſicque ſuos omnes ſermones illo breui epilogo concludebant.

Genuflexionibus ſtato numero repetitis Hieronymus die & nocte Deum adorabat. Caput XXXIII.

MOYSES Spiritu ſancto afflatus in ſerie rerum omnium conditarum, Deum non appellat Dominum, niſi tertio capite Geneſeos, poſt deſcriptam editionem hominis. & hoc credo factum de induſtria, vt reſciret homo, penes Deum ſolum eſſe ſummum dominium, vtique aſſertum titulo conditoris. Idcirco, quia dominis congrua deferri debent obſequia, Dauid omnia ſua mancipabat diuino cultui, vtpore probè ſciens, ſe Deo auctore ſatum, cui idcirco ſuum corpus, animam, imò & cuncta ſua, vt omnium rerum Domino deuouebat. Ecce vocem ſe ſuaque deuouentis illi rerum Domino. *Benedic anima mea Domino, & omnia quæ intrà me ſunt, nomini ſancto eius.* Pſal. 102. Nihil omnino ſui excepit illo iubilantis animæ tripudio, qui profitendo ſuum obſequium Deo, vt Domino ſuo omnia conſecrauit. Eadem & nos vehimur naue, qua Regius ille Vates; quippe Dei factura ſumus, & eius eſt omne, quo conſtamus; ac proinde liquet nos eſſe obnoxios eiſdem obſequijs, quæ præſtitit Dauid, quando ſua omnia, vt tributum idoneum Deo, vt ſuo & rerum omnium Domino dedicauit. Genuum & corporis inflexio conſcia anima apprehendente Deum, vt entium, & bonorum omnium fontem, eſt penſum locuples ad teſtandum noſtrum obſe-

ſe-

ſequium, & confeſſionem eius ſupremæ, & ſenſibus humanis abditæ Deitatis. Genuflexionem eſſe luculentam maieſtatis huius profeſſionem Deus ipſe clamat, & hanc exigit hoc contextu. *Ego Deus, & non eſt alius, &c. quia mihi curuabitur omne genu.* Et Paulus inferre volẽs Chriſtum eſſe Deum, aſt eſſe decretum: *Vt in nomine Ieſu omne genu flectatur, cœleſtium, terreſtrium, & infernorum.* Nempe ratus eſt Apoſtolus, ſatis ſuperque Deum genuflexione, vt par eſt præſtitâ declarari.

Iſai. 45.

Philip. 2.

Theologia nomenclatorem agens, genuflexionem huiuſmodi indicem animi Deo propenſi, vocat adorationem, & præcipuum latriæ cultum, quo intellectum, voluntatem, & compages corporis Deo vt auctori, & eorum omnium Domino deuincimus. Namque Thomas vnus ex Theologiæ coryphæis, ſcitè probat, concordi obſequio debere corpus & animam concurrere in adoratione adæquata, vt dignè Deo officia debita rependantur. Sic ille: *Quia ex duplici natura compoſiti ſumus, intellectuali ſcilicet, & ſenſibili, duplicem adorationem Deo deferimus: ſcilicet ſpiritualem, quæ conſiſtit in interiori mentis deuotione: & corporalem, quæ conſiſtit in exteriori corporis humiliatione. Et quia in omnibus actibus latriæ, id quod eſt exterius, refertur ad id quod eſt interius, ſicut ad principalius: ideo ipſa exterior adoratio fit propter interiorem: vt videlicet per ſigna humilitatis, quæ corporaliter exhibemus, excitetur noſter affectus ad ſubijciendum ſe Deo; quia connaturale eſt nobis, vt per ſenſibilia ad intelligibilia procedamus.* Hæc Angelicus ille Doctor, cuius ex contextu patet, coire corpus & animam in adoratione, qua totus homo Deo, vt ſummo Domino mancipatur.

Thom. 2. 2. q. 84. art. 2.

Anima ſuas obit partes deuouendo ſuas principes potentias, quæ ſunt intellectus, & voluntas. Intellectus agit ſuas vices apprehendendo Deum, vt primum ens, à quo

cun-

cuncta fluunt. Voluntas verò litat ei, ſuos omnes affe-
ctus in eum, vt bonorum omnium optimũ dirigendo.
Corpus verò humili genuum, manuum, pectoris, & ca-
pitis habitu, palàm facit, ſe totum eſſe Dei, cui ſubijci-
tur. Vnde patet, cuius ſit ponderis & meriti genuflexio
ſtipata ſuis actibus corporis & animæ, à Thoma Theo-
logorum apice delibatis. Hieronymus Narnienſis tanti
fecit hocce genus obſequij Deo præſtiti, vt ſingulis qui-
buſque diebus centies ſeorſim & ſine arbitris flecteret
vtrumque genu, Deum adorans corpore & ſpiritu, ſer-
uatis modicis interuallis. Cum namque Dei tantùm
propriè ſit ille latriæ cultus, illum vltro lubenſque Deo
præſtitit Hieronymus, arbitratus inde ſibi conciliari nu-
men, tot & tantis repetitis actibus adoratum. Itaque
ſublimitas huius obſequij colligitur, ab obiecto, quod
eſt Deus, cui duntaxat vt principi cauſæ, & propagatori
rerum omnium editarum, competit adorari. Etenim ab
adoratione ritè facta Deus inferri poteſt; ex Ambroſio
Pauli Apoſtoli textum ſcriptum in gratiam Chriſti Dei,
ita commentante. Sic ille: *In nomine Ieſu omne genu fle-* *Ambroſ. in*
ctatur, cæleſtium, terreſtrium, & infernorum. Hæc ſunt om- *cap.9. epiſt.*
nia, ſuper quæ Deus Chriſtus eſt. Neque enim, exceptis his, *ad Rom.*
ſunt aliqua, vt non ſuper omnia Deus Chriſtus ſit: nec po-
teſt genu flecti omnis creatura, niſi Deo. Denique Ioannes
Apoſtolus, inſcius cùm Angelum vellet adorare, audit ab eo:
Ne feceris, quoniam conſeruus tuus ſum: Deum, inquit, ado-
ra. Nec Dominus vtique ſe adorari permiſiſſet, niſi quia
Deus eſt. Hactenus Ambroſius, qui & excellentiam
huius honoris exhibiti Deo commendat ab alijs Virtu-
tibus, quæ cultum hunc ſingularem exhibitum numini
comitantur. *Rationabile,* inquit, *obſequium eſt, quod per* *Idē in c. 5.*
ſpiritum offertur Deo. Spiritus eſt, inquit Deus, & eos, qui *epiſt. ad He-*
adorant eum, in ſpiritu, & veritate oportet adorare. Quid *bræ.* *Ioan. 4.*
eſt, Deum in ſpiritu adorare, niſi in charitate, & fide perfe-

cta,

cta, & ſpe indubitata, & ſanctis animæ virtutibus, quas Apoſtolus alio loco abundantes enumerat? Hæc ille.

Genuflexiones huiuſmodi ſibi ſoli Deus vendicat, & eos, qui cunctati ſunt eas exhibere Baal, Deus eſſe ſuos
3.Reg.19. dixit, eorum curam agens vtique ſingularem. Ecce diuinum oraculum. *Et derelinquam mihi in Iſrael ſeptem millia virorum, quorum genua non ſunt incuruata ante Baal.* Quia ritus ille numen decet, cui flectitur omne genu; idcircò fuit olim ab Hebræis, benè ſibi conſcijs, & demum in Eccleſia à Sanctis omnibus vſurpatus. Salomon prolixè Deum oraturus in dedicatione templi, genuflexione ſuas preces aſſerit numini gratiores. Ita
3.Reg.9. codex ſanctus. *Factum eſt autem, cum compleſſet Salomon orans Dominum omnem orationem, & deprecationem hanc, ſurrexit de conſpectu altaris Domini: vtrumque enim genu in terram fixerat, & manus expanderat in cœlum.* Daniel eodem flamine percitus in genua procidens ſtatis ho-
Daniel.6. ris, ſe totum Domino deuouebat. Nec potuit mulcta necis à Rege Dario indicta coërcere morem illum, cui Daniel crebra genuflexione Deum ſolicitans quotidie ſedulus inſiſtebat. Ecce ſeriem hiſtoriæ. *Rex Darius propoſuit edictum, & ſtatuit. Quòd cùm Daniel comperiſſet, id eſt, conſtitutam legem, ingreſſus eſt domum ſuam, & feneſtris apertis in cœnaculo ſuo contra Ieruſalem tribus temporibus in die flectebat genua ſua, & adorabat.* Michæas Propheta eò dignitatis extulit genuflexiones, vt eas nuncupare Deo dignas minimè dubitarit. Ecce Vatis elo-
Mich.6. quium. *Quid dignum offeram Domino? Curuabo genu Deo excelſo.*

Praxis illa velut cœlo ſata priſcis Eccleſiæ temporibus increbuit. Stephanus namque Deum oraturus eni-
Act.7. xè pro ſuis æmulis, *Poſitis genibus clamauit voce magna dicens: Domine ne ſtatuas illis hoc peccatum.* Petrus Eccleſiæ vertex volens Dorcam extinctam facere ſuperſtitem

red-

reddita lucis vſura, qua moriens exciderat, præuia genuflexione Deum demeruit, ſicque fecit eam hoc humili corporis habitu rediuiuam. Lucas oculis ita rem ſubijcit. *Eiectis omnibus foras, Petrus ponens genua orauit, & conuerſus ad corpus, dixit: Tabitha ſurge.* *Act. 9.* Collega Petri Paulus, Mileto & Tyro vale dicens, poſitis genibus in litore pronus orauit. Iacobus Apoſtolus aſſiduitate genua flectendi cutim ad inſtar camelorum dicitur obduraſſe. *Act. 20. & 21.* Multis item aduenis adſtantibus, Simeon Stylites orbe toto celeberrimus, è columna ſatis eminente Deum quotidie procumbens ſæpe ſæpius adorabat. *Sur. in vita Iacobi.* Hæc præfata pietatis exempla perculere Hieronymum Narnienſem, vt illo genere obſequij, Deum inflecteret: *Ex vitis Patrum in Simeone.* namque licet ſtans, ambulando, ſedens, Deo ſuum ſemper animum ſiſteret; ille tamen orare numen crebrò genibus flexis credidit expedire. Vt Hieronymus erat corpore procero & ſpiſſo, & ingruente podagra tumeſcente, graue profectò faceſſebant ei negotium genuflexiones illæ, quas centenas quotidie præfinito ſibi tempore repetebat. Tanto feruore procumbebat homo ille ſibi immitis, & ea animi contentione preces tunc fundebat, interruptas aſſiduis ſuſpirijs, vt totus humore copioſo madens, expleto centenario numero deſudaret.

Ne indiſcretè necem procuraret ſibi, neglecto ſudore totum inundante corpus, de induſtria duos panniculos aptabat initio agonis huius, quo eluctato, defluentes aquas toto infirmo corpore detergebat. Eſto prudens eſſet in cauendis hominum oculis, ne aduerterent eius facta egregia; attamen ille latere diu non potuit, in hoc genuflexionum obſequio, & maximè cum nocte opaca & tacita pietatis huius actibus intendebat. Quippe graue corpus procidens, & aſſurgens motibus alternis, ſtrepitum edebat, cuius aura accepta vicinus quandoque frater ſomno ſoluto, ſolicitè præbebat aures, vt

ſuſurro deprecantis aduerteret verſus ſacros, quos compellando Deum in genua procidens exhalabat. Quidam explorator induſtrius obſeruauit Hieronymum, tunc temporis habuiſſe frequentes iſtas voces. *Adoro te ò fulgida, & ſemper tranquilla Trinitas, vnus Deus. Adoro te, ò Domine ſummæ maieſtatis, creator cœli & terræ, & omnium viſibilium, atque inuiſibilium. Adoro te, ò fili Dei viui Ieſu Chriſte. ſuauis Redemptor, qui incarnari, pati, & mori pro me voluiſti.* Aliàs querula voce ærumnas Eccleſiæ Chriſto Domino proponebat. Vtque ſuæ profeſſionis erat amans, ea omnia, quæ pertinent ad propagandum humile Capucinorum inſtitutum, Hieronymus & ipſe Capucinus vtroque genu flexo, ſupplex & anhelo corde Deo Domino commendabat.

Non inficior eſſe Deo gratas preces, quas homo, ſedens, vel ſtans, aut ambulans fundit: in omni namque loco, & tempore, corporiſque ſitu, Deum eſſe deprecandum, nemo ſui compos alias interdixit. Sed ipſo experimẽto palàm eſt aliquid accedere pietatis his precibus, quæ adſcita genuflexione fiunt. Vnde ſuum amoris æſtũ erga Epheſios Paulus Apoſtolus inde probat, quòd pro eis oraturus, genua ſua feruidus inclinaret. Sic ille facit

Epheſ. 3. eos certiores de ſuo affectu. *Peto ne deficiatis in tribulationibus meis pro vobis, quæ eſt gloria veſtra. Huius rei gratia flecto genua mea ad Patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti.*

Hieronym. l. 2. in c. 3. epiſt. ad Epheſios. Quem locum verſans Hieronymus ſic illuſtrat. *Hæc verba, etſi ſpiritualiter intelligantur, non ſtatim iuxta literam orandi conſuetudinem tollimus, qua Deum genu poſito ſupplices adoramus, & fixo in terram poplite magis quod ab eo poſcimus impetramus. Legimus enim & Paulum in littore ſic oraſſe, & geniculationes in oratione præceptas. Sed nihilominus dicimus veram geniculationem eſſe in animo: quia multi corporale flectentes genu, animæ nequaquam poplitem curuauerunt. Vnde genuflexio hæc ad ſubiectionem mentis, & in-*

& inclinationem animæ, cordiſque obſequium pertinet, terræ ſe coæquantis, vt Pſalmiſta quoque canit, dicens: Adhæſit pauimento anima mea. Hactenus ille, probans quammaximè ritum illum genua flectendi deprecando Deum, & præſertim ad hæc obſequia ſpiritu humili coeunte. Cùm ergo Hieronymus Narnienſis, magna attentione Deum ſibi præfixerit in cultu genuflexionum, res eſt indubia placuiſſe Deo penſum illud, quod tam religiosè præfatus ille Capucinus magno ſui corporis incommodo, & tam copioſo numero perſoluebat.

Quia genuflexionum vſus hodie percrebuit, & arridet multis, nō erit abs re hic inueſtigare ritus huius cauſam, quam hanc eſſe reor. Homo Deum rogaturus eo ſe habitu componit, quo & accingitur, quando potentis alicuius animum tentat effuſa prece ſupplici demerere. Aſt vtraque Scriptura liquet, ſacra videlicet, & profana, homines indigos gratiæ alicuius, quam conciliare ſibi voluere citò, ſtatim in genua procidiſſe. Ita Semei proſtratus coram Rege Dauid, quem conuicijs impetitum grauiter offenderat, inducias mortis obtinuit. Adhibuit *2.Reg.19.* & hanc induſtriam præfectus ille militum, quem miſit Rex Ochozias ad Eliam. Vt enim audijt duos Tribunos cum cohorte perijſſe flammis deſuper illapſis, prudenter iuit obuiam diſcrimini mortis acerbæ, quæ inſtabat ob ignium globos vindices è nubibus erumpentes. Conceptum eius conſilium accipe ex ſancta Regum hiſtoria. *Ochozias iterum miſit principem quinquagenarium tertium, & quinquaginta, qui erant cum eo. Qui cùm veniſſet* *4.Reg.1.* *curuauit genua contra Eliam, & precatus eſt eum, & ait. Homo Dei noli deſpicere animam meam, & animas ſeruorum tuorum, qui mecum ſunt. Ecce deſcendit ignis de cœlo, & deuorauit duos principes quinquagenarios primos, & quinquagenos, qui cum eis erant: ſed nunc obſecro, miſerearis animæ meæ*. Hactenus hiſtoria commemorans hunc

T 2 Pen-

Pentecontarchum vltrices flammas genuum inflexione prouida declinaſſe.

Plutarc. in Apopht. Herodot. l. 7. Valer. Max lib. 7. c. 3.

Ariſtippus Dionyſio Regi Siculo importunus, vt ab eo repulſam paſſus eſt, procidit in genua, ſicque ſibi fecit Regem propitium, quem auribus iniquis antea præſenſerat, vtpote duriore ſententia turpiter ablegatus. Vnde Philoſophus hic ſolitus erat dicere, Dionyſium inſertas aures habere ſuis pedibus. Ex Herodoto, Valerio, & Iuſtino, aditus erat inuius ad Regem Perſarum ijs omnibus, qui nolebant eſſe corpore prouoluto. Seruius ait, phyſicos dixiſſe ſedem miſericordiæ eſſe in genibus, ideoque nos ad genua procidere eorum, à quibus optamus nobis hoc humili habitu corporis indulgeri. Plinius illud idem aduerterat hoc contextu. *Hominis genibus religio quædam ineſt, obſeruatione gentium: hæc ſupplices attingunt, ad hæc manus tendunt, hæc vt aras adorant.* Hæc ille, cui præierat Virgilius, Achemenidem cum meminit exorantem.

Seruius in lib. 3. Aen. Plin. l. 11. cap. 45.

Dixerat, & genua amplexus, genibuſque volutans
Hærebat.

Aeneid. 3.

Concinit Ouidius, vtpote memor huius moris idonei ad conciliandam gratiam.

Ouid. l. 3. Metamorp.

Et genibus pronis ſupplex, ſimiliſque roganti.

Claudianus eodem ſchemate loquendi expreſſit animum hominis obſecrantis.

Claudian. lib. 1. de rapeu Proſer.

——————— *Genibuſque ſuas cum ſupplice fletu*
Admouere manus.

Homerus illis omnibus antiquior, recolit illud etiam Græcis inolitum morem orandi, eius qui colitur genibus amplexatis.

Homerus Iliad.

Κερσὶν ἀχιλλῆος λάβε γοῦνα, καὶ κύσε χεῖρας
Γούνων ἁψάμενοι λιτανεύσομεν

Manibus Achillis accipe genua, & oſculare manus
Genua tangentes ſupplicamus.

Per-

Pertinet ad hoc inſtitutum illa Diodori Siculi relatio. *Diod.Sicul. lib.17.c.1.*
Thebanus, inquit, *repertus eſt, qui Macedoni alicui, quo* *Liuius 3.*
vitæ ſuæ parceretur, ſupplicaret, aut qui victoris genua *Decad. l.6.*
humiliter amplecteretur. Liuius Legatos Syracuſarum
intromittens ad Marcellum, ſic loquitur. *Ad genua*
ſe Marcelli Conſulis proiecerunt obſecrantes. Idem comme- *Idem 3. De*
morans Sophonisbæ Reginæ preces in gratiam Sipha- *cad.lib.30.*
cis ſui coniugis captiui, & in poteſtate Maſiniſſæ, ſic
Heroinam, hunc victorem meminit alloquentem. *Si*
genua, ſi victricem attingere manum dexteram, precor, quæ-
ſoque per maieſtatem regiam, hãc veniam ſupplici des. Apu-
leius ad miſerationem excitandam ſcribit eſſe compoſi-
tum illum habitum corporis inclinati ad hominis ali-
cuius genua contingenda. Exemplum ſuggerit hominis
obſeruantis. *Ad commouendam*, inquit, *miſerationem* *Apuleius*
genua eius velle contingere ſummiſſus, atque incuruatus. *lib.9.Meta-*
Cùm itaque ritus ille procidendi ad genua eorum, quos *morphoſ.*
oramus, ſit conciliandæ miſericordiæ perquam idoneus,
homines ad Deum acceſſuri procidunt, quaſi Deus eſſet
genibus inſtructus, quæ prouoluti poſſent homines am-
plexari. Noctes inſomnes Antonius Abbas genibus in- *Hieronym.*
nixus vſque ad Solis ortum agebat orans. Et ipſe vene- *in vita An*
randus ſenex, Paulum eremitam inuenit exanimem, *to. & Pauli*
eſto viuenti ſimilis eſſet, vtpote manibus expanſis, & in
genua prouolutus.

Cùm ergo prona corporis poſitio genibus flexis exi-
gatur à Deo, prælibato Vatis oraculo: *Mihi*, inquit, *Iſa.45.*
curuabitur omne genu: Semper arriſit Sanctis ille ritus
quotidie deprecandi Deum, ſæpe repetitis vicibus in ge-
nua procidendo. Vnde quia Hieronymus Narnienſis,
exquiſita Deo præſtabat obſequia, hoc ſibi penſum in-
dixerat, vt ſingulis quibuſque diebus genua flectendo
Deum centies adoraret. Ea corporis iactatione ſuos
amoris æſtus ita accendebat, vt hoc expedito negotio

pietatis in Deum, velut ex fornace redux ſacra charitatis ſpirans incendia corpore ſimul & anima conflagraret. Ideoque reor poſſe Capucini huius animam deſcribi ſymbolo induſtrio, quod proſtat apud Bargaglium. qui facem agitatam pingit hoc adſcito titulo. AGITATA REVIVO. Anima Hieronymi Narnienſis identidem procidens in genua, motione crebra viuacior in amore fuit, ac proinde potis fuit, hoc præfatum ſymbolum vſurpare: AGITATA REVIVO.

Scipio Barg. lib. ſymbolo.

Beatam Mariam Virginem, & Sanctos pietate ſingulari Hieronymus excolebat. Caput XXXIV.

ESTO Dei miſericordia ſit intermina, tamen iuſtitia concolor ei, id eſt infinita, plerumque præpedit influxum miſericordiæ, vtpote multiplici noxiorum hominum crimine laceſſita. Eam ob rem humanæ preces ſæpe repulſam paſſæ, non ſortiuntur effectum propitium, quia miſerationum Dei latices vberrimos impiarum mentium ſcelera remorantur. Vt ergo conſuleretur homini lapſo, & iretur obuiam diſcrimini, in quod incurrerãt omnes hominum tribus vitio Adami, & coniugis Euæ; Deus Chriſtum prouidit, & Mariam, ad procurandam dubiam animarum ſalutem congruos aduocatos. Ideo Sancti omnes ſalutis ſuæ ſummam, & meritum repoſuere penes Chriſtum, ad quem vt peruium haberent aditum, ſupplices emendicarunt opem Mariæ Virginis illibatæ. Sanctorum æmulatus indolem Hieronymus Narnienſis, erga Deiparam erat benè affectus, ei præſtitis obſequijs ſuis pietate, qua potuit, & animo toto

toto Deiparæ Virgini mancipato. Suſpectum namque ſuit Hieronymo Narnienſi omne bonum inſcia Maria Deo oblatum, cùm ipſa ſub Chriſto mediatrix ſit Dei & hominum, à præpollenti, & præpotenti rerum omnium Domino conſtituta. Hæc Hieronymi opinio de Maria Virgine concepta, vadem habet Bernardum, qui vt Mariæ deuotus extitit, ita & Deo afflatus ore grandiloquo mira dixit in hoc themate diſcurrens, quæ ne quando mentibus exciderent, ſcriptis luculentis in animum ſuum induxit ætati poſteræ commendare.

Ne intempeſtiuus videatur aliquibus altus hic conceptus Hieronymi de Maria, quam colebat eximiè; non erit abs re ſubijcere oculis eloquia Bernardi ſpatiantis induſtriè & elegāter in hoc locuplete Beatæ Mariæ Virginis argumento: *Vehementer*, inquit, *nobis vir vnus, & mulier vna nocuere: ſed gratias Deo, per vnum nihilominus virum, & mulierem vnam, omnia reſtaurantur, nec ſine magno fœnore gratiarum. Neque enim ſicut delictum, ita & donum: ſed excedit damni æſtimationem, beneficij magnitudo. Sic nimirum prudentiſſimus, & clementiſſimus artifex, quod quaſſatum fuerat non confregit, ſed vtilius omnino refecit, vt videlicet nobis nouum formaret Adam ex veteri, & Euam transfunderet in Mariam. Et equidem ſufficere poterat Chriſtus, ſed nobis bonum non erat eſſe hominem ſolum. Congruum magis vt adeſſet noſtræ reparationi ſexus vterque, quorum corruptioni neuter defuiſſet.* Sic ille Beatæ Virginis eloquens encomiaſtes.

Bern. ſerm. 7. in verba Apoc. 12. Signū magn.

Cùm ergo ſicut Anſelmus ait, Quicquid eſt magnum ſub Deo, minus ſit Virgine; operæpretium eſt cultores Virginis excogitare ritus obſequij ſingularis, quibus à deuotis ſuis Deipara Virgo præ Sanctis alijs excolatur. Illa nimirum Sanctos omnes, imo & Angelos excedit, non dignitate modo matris Dei, ſed & copia meritorū. Illa nimirum eſt opus diuinum, à ſuo tantum opifice

ſuperatum, vt bellè Damianus ait. *Attende, inquit, Seraphin, & in illius ſuperioris naturæ ſuperuola dignitatem, & videbis ſolum opificem illud opus ſupergredi.* Hæc Damianus, qui ſibi conſtans, alibi Mariam eis quæ ſub Deo ſunt omnibus anteponit. Hæc, cui congruit & illud Theologiæ effatum, ſcilicet cultum ſacrum, qui ad religionem pertinet, eſſe triplicis differentiæ, vt & ſunt obiecta, quæ cultus ille afficit. Primus eſt, latria, alter eſt, hyperdulia, & tertius dulia nuncupatur. Latria ſoli Deo defertur, hyperdulia Deiparæ, dulia verò Sanctis, quos ex Eccleſiæ decreto ratum eſt publicè venerari.

Damian. ſerm. 2. de Natin. Mariæ.

Hieronymus Narnienſis Mariæ addictiſſimus eam coluit impensè modis omnibus, ſcilicet honore poſt Deum præcipuo, precibus multis ad eam directis, & demum componendo vitam ſuam ea ratione, quam depoſcit Virgo Deipara ab eis, qui ſe totos ipſi cultu congruo deuouerunt. In honorem Beatæ Virginis ſingulis quibuſque diebus Sabbathi, ſi non obſtaret aliquod feſtum, Miſſam celebrabat, quæ Mariæ nomine circumfertur. Rurſus in honorem eius quadrageſimam ante feſtum Aſſumptionis eius quotannis ille cliens Deiparæ ſedulus obſeruabat. Pridie feſtorum omnium Beatæ Virginis pane & aqua ſuam leuabat inediam. Rurſus ille Capucinus probè ſciens præualere preces Mariæ omnium Sanctorum ſuffragijs, multus erat in precibus illi ſacris; quodque fuit ſingulare viro illi magno, quotidie recitabat officium Beatæ Virginis ea pietate, qua canonicas horas Domino perſoluebat. Vt enim Chriſtum ille deperibat, ita & matrem ſingulariter excoluit, vtriuſque officium recitando pari affectu, quia cultum matris ſciebat, & in honorem filij redundare. Hoc didicerat ex Ildephonſo viro ſancto, ſic compellante Deum Saluatorem. *Ita ſeruiam matri tuæ, vt ex hoc ipſo me probes ſeruiſſe*

Ildephonſ. de virg. Maria cap. 12.

uiſſe tibi: ita hæc dominetur mihi, vt ex hoc nouerim me placuiſse tibi: ita dominium eius me teneat in ſæculum, vt tu ſis Dominus meus in æternum. Hæc ille, cui concinit Arnoldus grandiloquis vſus encomijs. *Cum,* inquit, *debitæ venerationis ſumma ad Chriſtum reſpiciat, ex cuius plenitudine roratum eſt deſuper, quod Maria ſit gratia plena; manifeſtum eſt, indiuiduam eſse matris & filij gloriam, & commune eſse vtriuſque præconium.* Hactenus Arnoldus: quem ſic velim intelligas, quaſi dicat ad Filium pertinere gloriam, quæ defertur Matri, quia eius intuitu id eſt Chriſti, virgo parens ab omnibus honoratur. In eo ſenſu verum eſt, indiuiduam eſſe matris & filij gloriã. Aliàs verò nega cultum latriæ, qui defertur filio, eſſe communem matri, quæ vt eſt creatura, ſecernitur orthodoxè ab honore præcipuo & ſummo, qui duntaxat numini deuouetur. *Arnoldus Carnotenſi.*

Vt itaque Hieronymus eſſet gloriæ diuinæ propagator, ſanxerat in choro pſalli officium Beatæ Virginis eodem tractu, & ea grauitate, qua diuinum officium, arbitratus ita Deum in hoc cultu Virginis honorari. Præter horas, ſeu officium Deiparæ adeo affectus erat erga roſarium, vt voluerit inſcribi inter candidatos, & clientes, quorum ſeriem ſacer Prædicatorum ordo ſolet, in eo fine inſtructo codice recenſere. Callebat probè Capucinus hic, roſarij contexturam, eſſe orationem idoneam ad Chriſti, & Mariæ gratiam conciliandam, quia oratione Dominica & ſalutatione Angelica conſtat hic contextus, proinde Deo, & Virgini conſecratus. Virginis obſequio propitiari Deum ſcitè nos edocuit Ildephonſus ita Deiparam orans. *Procido coram te ſolum opus Incarnationis Dei mei, rogo te ſola inuenta ancilla filij tui, vt obtineas deleri facta peccati mei, concedas etiam mihi adhærere Deo, & tibi: illi ſicut factori meo, tibi ſicut genitrici factoris mei. Ideo ego ſeruus tuus, quia tibi filius* *Ildephonſ. de virginit. Mariæ c.12*

Domi-

Dominus meus: ideo tu Domina mea, quia tu ancilla Domini mei. Oro te ſancta Virgo, vt de illo ſpiritu habeam Ieſum, de quo tu genuiſti Ieſum: ab illo ſpiritu ſit mihi noſſe Ieſum, à quo tibi affuit, habere, & noſſe Ieſum: in illo ſpiritu, humilis excelſa loquar de Ieſu, in quo confiteris eſſe te ancillam Domini. In illo ſpiritu diligam Ieſum, in quo tu hunc adoras vt Dominum, tueris vt filium, intueris vt Deũ. Hæc ille, notans, omnem orationis noſtræ pompam, in Dei gloriam, vt in ſcopum præcipuum recto tramite collimare.

Illud idem longè lateque patet ex contextu Salutationis Angelicæ, quæ licet auſpicetur ab encomijs Mariæ, quæ illic gratia plena, ſociata Deo, benedicta in mulieribus, dicitur; tamen concluditur humili prece, qua Sancta hæc Maria mater Dei vrgetur, vt orare pro nobis peccatoribus minimè dedignetur. Vt ergo Capucinus Hieronymus compendiosè viam iniret, quę ad Deũ ducit, roſarium & officium Beatæ Virginis Mariæ adeo attentè & reuerenter ſolitus erat recitare, quaſi ipſi Deo rerum Domino ſiſteretur. Quippe ratus ſe Mariæ ſuffragio expeditum habere acceſſum ad Deum, Mariam ſic orabat, quaſi eam mentis intuitu cerneret indiuiduo nexu, Chriſto charæ proli, & Domino ſociatam. Itaque affectus erga Mariam, non eſt eiuſdem rationis, atque pietas in alios Sãctos; cùm maior eius ſit influxus, quàm totius ſub Deo curiæ triumphantis.

Præſtat audire Bernardum in hac ſubiecta materia. *Bernar. ſer. de Natiuit. Mariæ.* *Intuere*, inquit, *ò homo, conſilium Dei, conſilium pietatis. Cœleſti rore aream rigaturus, totum vellus prius infudit: redempturus humanum genus, pretium vniuerſum contulit in Mariam. Altius ergo intueamini, quanto deuotionis affectu à nobis voluerit honorari, qui totius boni plenitudinem poſuit in Maria; vt proinde ſi quid ſpei in nobis eſt, ſi quid gratiæ, ſi quid ſalutis, ab ea nouerimus redundare, quæ*

aſcendit delicijs affluens. Hæc Bernardus, cui plenè morem geſſit Hieronymus Narnienſis, vtpote multus in orando Deiparam, cuius totum ſe deuouerat optimæ clientelæ.

Quaſi verò parum eſſet tot precibus vrgere Deiparam, Hieronymus adhuc ſuos familiares ſolicitè orabat, vt aliquas ſuo nomine preces illi Beatæ Virgini conſecrarent. Illa ſic induſtria alios deuouebat obſequio Mariæ, & ſe rurſus eiuſdem ſuffragijs, miniſterio proximi commendabat. Mutua namque debet eſſe matris & filiorum pietas. Sciebat ille, matrem hanc viuentium commendare Deo nos ſuos egenos filios; ideoque ratus eſſe è re ſua congruas illi referre grates, beneficam hanc parentem, filius ille memor beneficij accepti, grato ſemper animo recolebat. Non feriari in cœlis Mariæ affectum erga nos, eruditè clamat Bernardus. *Præceſſit nos*, inquit, *Regina noſtra, & tam glorioſè ſuſcepta eſt, vt fiducialiter ſequantur dominam ſeruuli clamantes, Trahe nos poſt te, in odorem vnguentorum tuorum curremus. Aduocatam præmiſit peregrinatio noſtra, quæ tanquam iudicis mater, & mater miſericordiæ, ſuppliciter, & efficaciter, ſalutis noſtræ negotia pertractabit*. Hæc ille vocans Mariam aduocatam, quam & alij Patres ſancti matrem, fiduciam conciliante nobis nomine, nuncuparunt. In his accipe Auguſtinum. *Maria*, inquit, *cùm ſit mater capitis Eccleſiæ, erit etiam & membrorum, quod nos ſumus: & vt fœtus in vtero non aliud accipit alimentum, ab eo quod mater ore ſuo illi infundit; ita & nos, dum ſumus in vtero Eccleſiæ, nil habemus, quod non fuerit præuium ori orantis Mariæ*. Ita Auguſtinus, cui ſuppar Ambroſius ita fatur. *Benedictus frater, per quem Maria mater noſtra eſt; & benedicta mater, per quam Chriſtus noſter frater eſt*. Hactenus Ambroſius. Quid verò mater illa nobis procurare intendat, eloquitur Abbas Guerricus ita fatus. *Maria cupit iterum*

Bern. ſer. 1. de Aſſump.

Auguſt. lib. de Sancta virgini. c. 6.

Ambroſ.

Guerr. Ab. ſer. de Nat. Chriſti.

for-

formare vnigenitum ſuum, in omnibus filijs adoptionis, qui etſi geniti ſunt verbo veritatis, tamen parturit eos quotidie deſiderio, & cura pietatis, donec formetur in illis Chriſtus, donec occurramus in virum perfectum, in menſuram plenitudinis ætatis filij ſui. Hæc ille pius Abbas.

Hieronymus Narnienſis adhuc infans pietatis rudimenta cœpit ab Anthea matre ſua: ſed vbi religioni Capucinorum nomen dedit, Deiparam in matrem accepit, ad cuius inſtar vitam ſuam omnem, prout fert humana fragilitas, ſtuduit informare. Sciebat quippe matrem illam omnium fidelium, eſſe velut cornucopiæ, vnde peti poteſt ſupellex, & equidem locuples virtutis omnimodæ ad hominum omnium, qui eius ſe clientelæ tradunt, animas informandas. Inſtabit fortaſsè aliquis, eſſe ſuperbiam, velle Beatæ Virginis imitari egregiè facta, & ſufficere nobis aliorum Beatorum edita ſpecimina virtutum, vt ad hæc exempla magis conſona nobis, mores atque motus animæ componamus. Chriſto aſſertore diluitur inſtantia: ille nimirum hortatus eſt ſequaces ſuos, vt perfecti eſſent, ſicut & ipſe Pater cœleſtis perfectus eſt. Cùm ergo Maria propius alijs ad Deum acceſſerit, ille prudenter attendet ad Virginis huiuſce beatæ dotes, cui inſedit animæ ſuæ elimandæ cauſa gratias aucupari. Vt magnanimus erat Hieronymus Narnienſis, ad Mariam præcipuè aſpexit, licet erga Beatos omnes eſſet affectus, vt par erat. Habuit huius amoris, atque pietatis monitorem Ambroſium, qui ad imitandum Deiparam ſolicitat omnes eius cultores hac diuite parænesi. *Sit vobis*, inquit, *tanquam in imagine deſcripta virginitas, vitaque Beatæ Mariæ, de qua velut ſpeculo, refulget ſpecies caſtitatis, & forma virtutis. Hinc ſumatis licet exempla viuendi, vbi tanquam in exemplari magiſteria expreſſa probitatis, quid corrigere, quid effugere, quid tenere debeatis, oſtendit.*

Ambro. l. 2. de Virginitate par. 1.

Si

Si Antonius ille Magnus, propoſitis ſibi ſociorum eremi exemplis, euaſit in virum tanta ſanctitate conſpicuum, vt Conſtantinus Imperator eum ſuſpexerit; qualis potuit eſſe Hieronymus Narnienſis, qui in animum ſuum induxerat Deiparam Virginem imitandam? Namque licet multus eſſet in recitandis precibus ad Mariam directis, attamen aſſerebat, præcipuum & potiorem cultum Virginis huiuſce peti à virtutum praxi, quæ fuerũt in hac Virgine ſingulares. Idque iuxta verax eloquium Senecæ. *Vis*, inquit, *Deos propitiari? bonus eſto: ſatis illos coluit, quiſquis imitatus eſt.* Hieronymo ſuppar Sophronius, cultores Mariæ omnes ad imitationis obſequium, vt ei maximè placitum, inuitabat. Sic ille. *Dilectiſſimi, amate Mariam, quam colitis: colite, quam amatis: quia tunc verè colitis, & amatis, ſi imitari velitis ex toto corde, quam amatis.* Hæc ille, ſciens Mariam eos præcipuè magni facere, qui terſiore aliqua virtute nitent; & certiorem induſtriam comparandi virtutes, eſſe, earum omnium ſpecies & ideas ab hac Virgine mendicare. Hunc Deiparæ affectum erga virtutis amaſios, paucis explicat Damaſcenus iſto breuiloquo textu. *Si virtutes ſocias habemus, ipſa frequens ad famulos ſuos veniet, ac ſecum bonorum omnium agmen trahet.* Vt ergo familiares ſibi, & vernaculas efficeret virtutes Hieronymus Narnienſis, Mariam ſibi præſtituit vt ſpeculum, vnde virtutum omnium habitus poſſet facilè comparare. Etenim, vt auctor eſt Ambroſius, *Talis fuit Maria, vt vnius vita omnium diſciplina ſit. Si igitur auctor non diſplicet, opus probemus; vt quicumque ſibi eius exoptat præmium, imitetur exemplum. Quantæ in vna virgine ſpecies virtutum emicãt! Secretum verecundiæ, vexillum fidei, deuotionis obſequium.* Hæc ille ſacer Virginis inclytæ paranymphus.

Senec. epiſt. ad Lucill.

Sophr. ſerm. de Aſſump. Mariæ.

Damaſcen. orat. 2. de dormit. Mariæ.

Ambro. l. 2. de Virginit. par. 1.

Itaque nemo mirabundus à me ſciſcitetur, vnde Hieronymo Narnienſi tot & tantæ prædiuites virtutum

ga-

gazæ, cùm Maria ſola propoſita ad exemplum, ditare queat animas, ſuppoſita Dei gratia comite cœlitus influente. Dixiſſes pudere Capucinum illum profiteri ſpecialem Mariæ cultum, & tot in honorem eius recitare preces, niſi pro viribus etiam ſatageret congrua actione ſeriem virtutũ Deiparæ Virginis explicare. Hoc vnum profectò fuit argumentum Hieronymo Narnienſi, impigram adhibere curam, vt eſſet ſartus tectuſque decor animæ, quam à teneris vnguiculis prædilectæ ſibi Mariæ Virgini conſecrarat. Quippe licet quandoque parens illa ſcelus hominum nequam miſerata, ſuam vltro refundat opem, vt refugium & aſylum peccantium: attamen res eſt indubia, Mariæ cultores, qui aliqua ſingulari virtute niteant, arridere magis, & illam arctiore ſibi fœdere deuincire. Ita Bernardus: *Agnoſcit*, inquit, *Virgo, & diligit diligentes ſe, & prope eſt in veritate inuocantibus ſe: præſertim his, quos videt ſibi conformes factos in caſtitate, & humilitate, vt totam ſpem ſuam poſt filium ſuum in ea poſuerint, & toto corde quæſierint.* Hæc ille, dicens debere vitam vtique piam præire donis, quæ Virgo beata ſuis cultoribus deſuper impertitur.

Bernar. ſer. in antiphona Salue Regina.

Cum Hieronymus Narnienſis in Mariam præ omnibus alijs Sanctis ſuæ mentis oculos erexerit, potuit ille ſibi aptare Symbolum, cuius meminit Ferrus, cùm depingit acum magneſiam, quæ licet inquies ſit, vtpote in plures acta gyros, ad vnam præcipuè ſtellam polarem dirigitur; & hoc tantùm aſpecto ſydere conquieſcit. Picturæ titulus iſte fuit: A S P I C I T V N A M. Hieronymus Narnienſis, facto cœli gyro, beatas omnes mentes, vt par erat congruo honore dignatus eſt: ſed vbi in Mariam maris ſtellam intẽdit oculorum aciem, adeo captus fulgore fuit huius ſtellæ, vt ſtatueret apud ſe periodos omnes & momenta vitæ ſuæ; irradiante ſemper hoc ſydere moderari. Vnde ſciſcitanti, ad quam præcipuè

Ferrus par. 2. Theatri Symbolor.

puè beatarum mentium fuerit affectus ille Capucinus; pro reſponſo, explicante, & diſcernente pietatem Hieronymi erga Deiparam, præfati ſymboli intento meo congruum maximè titulum vſurpabo. Videlicet, ASPICIT VNAM. Id eſt, Hieronymus noſter ei Virgini totum ſe deuouit potiſſimè, quam, Bernardus hortatur, vt ſtellam beneficam, & inuocantibus ſe propitiam, animæ ſemper oculis intueri. *Maria*, inquit, *aptiſſimè ſyderi comparatur; quia ſicut ſine ſui corruptione ſydus ſuum emittit radium, ſic abſque ſui læſione Virgo ſuum parturijt filium; nec ſyderi radius ſuam minuit claritatem, nec Virgini filius ſuam integritatem. Ipſa igitur eſt illa ſtella nobilis orta ex Iacob, cuius radius orbem vniuerſum illuminat.* Hactenus ille cliens ſtellæ, cuius fulgore illectus Hieronymus Narnienſis, hanc vnam præ alijs omnibus adamauit. *Bernar. homil. 2. ſup. Miſſus.*

Sed eſto totus Mariæ fuerit ille Capucinus, non tamen totaliter: ſi quidem ita Mariam coluit, vt congruo etiam honore Sanctos omnes dignatus ſit. Ex quorum numeroſa claſſe ſelectos habebat quoſdam, quorũ nomina deſcripta ad inſtar Litaniarum quotidie ex chartula recenſebat. In his Martyres ita deperibat, vt cùm more Capucino ex menſa refectionis tempore legerentur eorum agones, & tormenta, ille velut æmulus illorum certaminum, & cupidus effundere ſanguinẽ Chriſti cauſa, gemebũdo pectore ſuſpiraret. Ita Decius exemplo patris ſui mortẽ pro patria fortiter oppetijt: ita Auguſtinus ſe ad continentiam caſtitatis, ſpecimina edita à puellis animo recolens, excitabat. *Aperiebatur,* inquit ille, *ab ea parte, qua intenderam faciem, & quo tranſire trepidabam, caſta dignitas continentiæ, ſerena & non diſſolutè hilaris, honeſtè blandiens, vt Venerem neque dubitarem: & extendens ad me ſuſcipiendum, & amplectẽdum pias manus, plenas gregibus bonorum exemplorum, ibi tot pueri, &* *Auguſt. l. 8. conf. c. 11.*

puel-

puellæ, ibi iuuentus multa, & omnis ætas, & graues viduæ, & virgines anus, & in omnibus ipſa cõtinentia nequaquam ſterilis, ſed fœcunda mater filiorum gaudiorum, de marito te Domine. Hactenus Auguſtinus, cui quot à Sanctis ideæ pietatis obiectæ ſunt, tot in ſydera deſuper illuxerunt. Ille nimirum ait his exemplis ſe eſſe illectum, vt Chriſti rueret in amplexus: ſic enim mentis anxiæ ſtatum irrequiem commemorat inducendo caſtitatem ita vrgentem, & firmantem animum antea titubantem. *Tu non poteris, quod & iſti, & iſtæ? an verò iſti, & iſtæ in ſemetipſis poſſunt, ac non in Domino Deo ſuo? Dominus Deus eorum me dedit eis: quid in te ſtas, & non ſtas? proijce te in eum, noli metuere: non ſe ſubtrahet, vt cadas: proijce te ſecurus; excipiet te, & ſanabit te.* Hæc ille, probans, quantùm profecerit ad virtutis affectum concipiendum, Sanctorum actis animo recenſitis.

Ibidem.

Ex vnaquaque tribu Sanctorum, Hieronymus Narnienſis aliquos Sanctos ſeorſim repoſuerat, quos in libello velut in peplo conſiderans, vt eorum omnium animos indueret, ipſorum etiam iuxta dies feſtos occurrentes, attentè facinora ardua recolebat. Ideoque fuit illi grata recenſio vitæ Sanctorum in triclinio, vt inde animis inſtruerentur epulæ, ne mens ieiuna deficeret inedia, ſuperfluis quandoque cibis, animæ inimico corpore ſaginato. Nulla planè fuit hiſtoria complectens ſeriem rerum geſtarum à Sanctis, vnde non carperet aliquid idoneum ad acuendum animum, vt in eodem virtutum ſtadio concurreret. In mentione agonum Martyris alicuius, velut incurius corporis impaſti, martyrij amore flagrans, modicum paſtum ad reparandas vires exhauſtas obiectum affatim obortis lacrymis aſpergebat. Itaque vir hic magnus in his, quæ pertinent ad memoriam Sanctorum, aſſequutus eſt mentem Auguſtini, hortantis, vt cùm celebratur à nobis aliqua feſtiuitas

San-

Sancti, qui ſanguine effuſo Deum demeruit; tunc & nos ad eluctandos eius palæſtritæ agones fortiter accingamur. Si nos Hieronymi Narnienſis exempla parum ſolicitant, vt componamus vitam noſtram ad amuſſim, quam præſcribit hiſtoria Sanctorum, & præſertim eorum, qui ſanguine ſuo fecere ſibi ſtipendium vitæ æternæ; profectò audire in hoc ſubiecto argumento proderit Auguſtinum.

Sic ille monitor egregius. *Quotieſcumque Sanctorum Martyrum ſolennia celebramus, ita ipſis intercedentibus, expectemus à Domino conſequi temporalia beneficia, vt ipſos Martyres imitando, accipere mereamur æterna. Ab ipſis enim Sanctorum Martyrum in veritate feſtiuitatum gaudia celebrantur, qui ipſorum Martyrum exempla ſequuntur. Solennitates enim Martyrum, exhortationes ſunt martyriorum; vt imitari non pigeat, quod celebrare delectat.* Hactenus ille, cui Hieronymus Narnienſis perfectè morem geſſit, in his quæ ad feſta Martyrum attinent, intentum eiuſdem Auguſtini reuera ſuis moribus aſſequendo. *Auguſt. ſer. 47. de Sanctis.*

Flagellationibus quotidianis lacerum corpus habuit Hieronymus Narnienſis. Caput XXXV.

SACRIFICVS olim Deorum matris, quam Cybelem vocant, ad ſua facienda ſacra prodibat flagro inſtructus, & corpore varijs fucatò coloribus, vt meminit Alexander; tacita ratione tamen huiuſcemodi diſparis apparatus. Capite nuper expedito liquet Hieronymum Narnienſem fuiſſe matris Dei cultorem eximium, ideoque lubet eum iam traducere ornatu ſacerdotis Deorum matris. Quip- *Alexand. ab Alex. l. 2. c. 8.*

V pe

pe flagris vſus quotidie ad lanienam corporis ſui, liuidi & cruenti, carnem ſic habuit diſcolorem, nempe liuore cæruleam, & rubente effuſo ſanguine polymitam. Omnem ferè fidem ſuperat illa laniena, qua crucis amaſius in corpus ſuum ſæuire flagris ſolitus eſt. Singulis quibuſque diebus pluries flagellis fortiter incuſſis carni ſuæ offenſus, omnem voluptatis ſenſum ſedulus abigebat. Quaſi verò parum eſſet interdiu feſſa labore membra cruciare flagris, noctu eaſdem etiam moleſtias, crebro repetitis ictibus aſſumebat. Pauli exemplo caſtigabat corpus ſuum, ne alijs prædicans, ſui immemor in reprobum ſenſum incurreret. Suſpectam habebat valetudinem carnis, vtpote perpetuas, & lethales inſidias animæ meditantem. Sciebat ille beatos religionum Patriarchas, Benedictum, Brunonem, & Bernardum, ſua cœnobia poſuiſſe iuxta paludes, vbi aer inſalubris diſſoluta valentiore carnis temperie, inimica ſpiritui corpora caſtigabat. Cùm namque diſcolor ſit indoles corporis & animæ, ita à natura comparatum eſt, vt vna duarum partium infirma, alia valentior inde fiat; iuxta Pauli effatum. *Cùm infirmor, potentior ſum*. Itaque Hieronymus Narnienſis lacerando ſuum corpus ictibus incuſſis, ſuæ prudenter animæ conſulebat. Cuius reuera ſalus eſt dubia, quando voluptatis obſequio pruriente, & titillante carne, ſenſibus indulgetur.

Stat Baſilius à partibus Hieronymi Narnienſis, ſic enim in vilia mancipia carnis inuehitur. *Voluptates tactus, ac guſtus perſequi non oportet; quod hæ cogunt eos, qui circa ipſarum capturam occupati ſunt, velut pecora ad ventrem, & ea, quæ ſub ventre ſunt, pronos, ac nutantes viuere. In ſumma totum corpus contemnendum eſt ei, qui non in voluptatibus ipſis, velut in ſterquilinio defodi velit*. Hactenus Baſilius, qui & exemplo ſuo voluit eſſe ratum illud omne, quod ſanxerat in perniciem corporis ea, quæ

Baſilius ho mil. 24. ex varijs.

ſunt

ſunt ſpiritus aſpernantis. Ille nimirum ita fuit ſuo corpori iniurius, ſicque fauit animæ ſuæ, vt longa ſibi indicta inedia, cutis arens, & exanguis, vix nudis oſſibus adhæreret.

Hieronymus Narnienſis clade noxiorum hominum edoctus, quos nimia carnis ſolicitudo rapit in abruptũ, ſolitus erat compeſcere flagris impetus effrænes corporis ſui; ne quando Dei iudicijs obnoxius ſero lueret pœnas, quas tunc multiplices carni ſuæ prouidus infligebat. Ita Dauid ait, non eſſe ſanitatem in carne ſua à facie iræ Dei. Namque recenſendo diſtrictum Dei iudicium, expetebat à corpore ſuo mulctam piaculi, quo Deum ſibi fecerat infenſum, ad illicitum Bethſabeæ torum, corpore ipſo delicti conſcio titillante. Sic & Paulus aſſeruit interitum carnis conferre ad ſalutem ſpiritus, eo potiſſimum die, quo ſeuerus omniũ iudex acta ſingula recenſebit. Si ergo Hieronymus Narnienſis corpori ſuo inflixit tot & tantas anguſtias, illud omne fuit, vt occurreret iudicio Dei, & vt anima quandoque foret vegetior, & ad ea, quæ Dei ſunt, alacrior, corpore marceſcente. Ergo gratis carpitur à comptulis, & delicatulis hominibus illa carnificina, velut obſtans ad ſalutem; cùm Sancti ferè omnes corpus ſuum durius exceperint, ne peſſum iret anima voluptatum ſubtilibus laqueis irretita.

Pſal. 37.

1. Cor. 5.

Conſonat Origenes ita commentatus. *De eo qui apud Corinthum peccauerat, iudicauit Apoſtolus, tradere huiuſmodi hominem Satanæ in interitum carnis. Quinpotius apparet, quoniam pro ſalute eius tradebat carnem eius in interitum. Denique addit dicens, Vt ſpiritus ſaluus fiat in die Domini; oſtendens non poſſe ſaluari ſpiritum, niſi caro in interitum traderetur. Quis ergo ſit interitus carnis, audi, quia quod interierit ſine dubio mortuum eſt. Viuit autem caro in peccatore, mortua eſt caro in homine iuſto. Propter*

Origenes hil. 1. in Pſal. 37.

quod, & iuſti dicunt ſemper: Mortificationem Ieſu Chriſti
1.Cor.4. *in corpore noſtro circumferentes, vt & vita Ieſu manifeſtetur in carne noſtra mortali.*

Itaque non eſt quod miremur, Hieronymum Narnienſem tranſegiſſe ſuum æuum innoxium, anima nuſquam experte Dei gratiæ; quandoquidem ex præfatis, animæ ſanitas alacrior ſit corpore fatiſcente. Vnde quia Hieronymus quotidie moleſtus erat carni ſuæ caſtigatę, magno ſanguinis ſtillicidio, vegetior inde fuit ſpiritus, vtpote lubricantis ſenſus prætenſis occultè laqueis expeditus. Tantus erat ille Capucinus in ſua carne cædenda flagellis ex funiculis nodoſis, vt horas in hac laniena contereret ad ſtuporem illorum, qui noctu ſtrenuum hunc pugilem explorabant. Quippe vigiles illi obſeruantes, Hieronymum tamdiu ſe plectere, malè ominabantur ei, vt tortori corporis ſui, cui dicebant eum parare funus: & reuera mirum erat videre ſuperſtitem hominem hunc annoſum poſt tot verbera repetita. A ſuis ſæpe rogatus, vt temperaret ſibi, à tot moleſtijs corpori ſuo inflictis; aiebat, hanc animæ domum eſſe ruinoſam, & poſt caſum æterna & pulchriori ſpecie ſurrecturam. Ieremia auctore didicit Hieronymus Narnienſis, quomodo ſuo corpori ruinam inferret, exemplo petito ab vrbe Ieruſalem, cuius occaſum Vates ita
Ieremiæ thren.2. recenſuit. *Cogitauit Dominus diſſipare murum filiæ Sion, tetendit funiculum ſuum, & non auertit manum ſuam à perditione: luxitque antemurale, & murus pariter diſſipatus eſt.* Expanſi funes à præfectis fabricarum notant ideam, ad cuius amuſſim debent aſſurgere ædes illæ, tenſo funiculo deſignatæ. Cum ergo Deus ſtatuiſſet nouam Ieruſalem extruere; funes expandit, vt deſtructa veteri ciuitate, vrbs alia potior exurgeret. Ita Hieronymus Narnienſis cogitans corpus ſuum fore rediuiuum aliquando, funes flagellorum expandit, non tam ad ruinam

cor-

corporis annoſi, quàm ad ſalutem eiuſdem corporis adſtruendam. Alij verò ſecus, qui de ſagina ſui tantùm corporis ſunt ſoliciti, non ædificant, ſed deſtructionem eius æternam parant, & hoc indubio diſcrimine animæ voluptatis genio mancipatæ.

Hanc diſcolorem hominum indolẽ, bellè notat Bernardus ita fatus. *Sic errant aliqui, & in tantam obliuionem, & ſpiritualem phreneſim deuenerunt, vt nihil ſe aliud putare, quàm ſuum hoc exterius tabernaculum videantur. Qui tamquam mortui à corde omnem inſumunt operam circa carnem, ſic intendentes tabernaculo ſuo, ac ſi nunquam putent eſse caſurum. Veruntamen cadat neceſse eſt, atque id quidem in breui. An non ſeipſos neſcire videntur, qui ſic deditiſunt carni, & ſanguini, ac ſi omnino nihil aliud quàm carnem ſolam reputarent ſe eſse; ſic in vano accipientes animas ſuas, tamquam prorſus ignorent animas ſe habere?* Bern. ſerm. 10. in Pſ 99.

Hieronymus Narniẽſis eodem Dei flamine percitus, quo & Sanctus ille, ſuum corpus durè excepit, certior factus ærumnas illas carni indictas ceſſuras aliquando in gloriæ eiuſdem corporis incrementum. Conſcia namque caro boni operis, cum anima ſtipendia congrua ſuo referet ingenio. Eam ob rem Hieronymus noſter diuexans flagellis corpus ſuum, non credidit illi inferre iniuriam, vtpote ratus haſce plagas ei inflictas, ſorte alternante fore coruſcas, & rutilas aliquando. Ita Braſilienſes corpus ſuum ſcalpellis incidunt, vt inſerant vulneri gemmas, plagis ſic inflictis & gemmis inſertis corpore radiante. Corporis hic afflicti fœnus, & vſuram Bernardus eleganti ſermone commemorat, hortatus homines ne corpori nimis indulgeant, ſi nolint illo lenocinio ſalutem animæ remorari. Ecce parænesim viri ſancti: *Noli*, inquit, *ò corpus, noli tempora præripere: potes impedire animæ tuæ ſalutem, tuam ipſius operari non potes. Omnia tempus habent. Patere vt nunc anima pro ſe* Bern. ſerm. 6. Aduent.

laboret ; magis autem etiam collabora ei ; quoniam ſi compateris, & conregnabis. Quantùm eius impedis reparationem, tantùm impedis tuam. Quòd nimirum ante reparari non potens, donec ſuam in ea Deus imaginem videat reformatam. Nobilem hoſpitem habes ò caro, & tota ſalus tua pendet de eius ſalute: da honorem hoſpiti tanto. Tu quidem habitas in regione tua, anima verò exul apud te eſt hoſpitata. Quæſo te: quis ruſticus, ſi fortè nobilis, & præpotens quiſpiam apud eum voluerit hoſpitari, non libenter in angulo domus ſuæ, aut ſub gradibus ſuis accubabit, cedens hoſpiti ſuo locum, ſicut dignum eſt, potiorem? Et tu ergo fac ſimiliter, iniurias, vel moleſtias tuas ne reputaueris tantùm, vt hoſpes tuus honorificè poſſit apud te demorari. Hæc Bernardus, cuius eloquio cautior effecta caro Hieronymi Narnienſis, vltrò moleſtias omnes aſſumpſit, ita ſuis anguſtijs animæ conſultura.

Alio etiam argumento Capucinus ille flagris ſuum corpus edomuit, vt ſcilicet congrua æmulatione ærumnarum Chriſti, ſe ſocium adiungeret illi ſuo Domino flagellato. Quo dirè, & tam durè excepto, pudebat Hieronymum integrum, & valentem circumferre corporis habitum: vt enim erat æquus rerum æſtimator, indignũ diſcipulo facinus eſſe ratus eſt, eſſe nitente cute, obuerſante ſibi Chriſti Domini flagris corpore lacerato. Nec alia ratione Capucinos inducunt ad crebras flagellationes, ordinis ſtatuta, quàm vt ſic Chriſti Ieſu Anteſignani ſui, deformatum flagris habitum totum ſacri corporis imitentur. Indubius enim amoris index eſt participatio ærumnarum: ſiquidem quiſquis amat, ille ſui chari ſubitò ſeſe aptat anguſtijs: amantium namque concolor affectus efficit, vt ſit omnium ſpontanea communio paſſionum. Ita ſuum quondam probatum eſſe voluerunt affectum erga Regem priſci Arabes. Hi nimirum Atheneo aſſertore, ſi quando occurreret vulnerari Regem

Athenæus lib. 6. c. 6.

Ara-

Arabiæ, illi incunctante mora, ſimiles omnino ſuæ carni plagas in ſinceri amoris teſſeram infligebant. Eam ob rem viſæ cicatrices obducto vulnere ſuperſtites in corpore Arabum, præcipui amoris in Regem aliàs aliquo vulnere afflictum, erant ſpectantibus illas plagarum reliquias liquidum argumentum. Hinc fiebat, vt appenderetur amor, ad trutinam vulnerum, quæ referrent aliquali modo ſpeciem & ideam corporis regij multiplici vulnere ſauciati. Eo pacto ſuum amorem erga Deum Paulus adſtruit dicens, ſe ſtigmata Domini Ieſu in corpore ſuo circumferre. Illi quoque plagarum examini ſuum ſubdidit affectum Hieronymus Narnienſis. Namque ſciens Chriſtum fuiſſe flagris impetitum hominum cauſa, ſeipſum etiam ſingulis quibuſque diebus, & noctibus afflixit eodem genere paſſionis. Eoque ſæuitiæ deuentum eſt ab eo Capucino, vt ob crebras flagellationes habuerit corpus lacera cute plagis turpibus incruſtatum.

Itaque vir ille ſuæ carnis inimicus, hoc ſibi velut penſum indixerat, videlicet referre ſuum Dominum, cuius ſpeciem, vt ſinceram exprimeret, corpus ſuum malè exceptum multis ictibus, & inde reſultante vario vulnere, deturpauit. Sic eſt aſſequutus mentem Origenis adhortantis homines, vt Chriſti paſſi eorum gratia, ſtigmata inuſta carni virgineæ; in ſuo etiam corpore paterentur. *Deus*, inquit, *dixit ad Abraham præcipiens illi circumciſionem: Erit pactum meum in carne veſtra in fœdus æternum. Quomodo erit pactum Chriſti in carne mea, requiro? Si mortificauero membra mea, quæ ſunt ſuper terram, pactum Chriſti eſt in corpore meo, quia ſi compatimur, & conregnabimus.* Ita perorauit Origenes in gratiam illorum, qui exemplo Chriſti Domini, flagris ſua corpora diſſulcabant. Orig. hom. 3 in Geneſim. Geneſ. 17.

Hieronymum Narnienſem Paſſionis Chriſti imitan-

dæ cauſa potiſſimum vſurpaſſe flagrorum vſum, indè liquet maximè, quod feria ſexta potiſſimum durius ſe ſolito diuexabat. Et quia piorum hominum fide vulgatum eſt, illo die Chriſtum columnæ alligatum accepiſſe ſex mille, ſexcentos, & ſexaginta ſex ictus; vir ille Paſſionum Chriſti æmulus, ſæpius illa die tot verbera corpori ſuo fortiter infligebat. Chriſti flagellati ideam adeo altè impreſſam ſuo verſabat animo, cùm ſe funibus intortis cædebat acriter, vt vix recitare poſſet Pſalmos tūc ſolitos dici, præpediente ſonum verſuum, eius pectore gemebundo. Sola ipſius ſuſpiria tantam incuſſere ſuis ſocijs compunctionem, vt plerique fratrum conſcij eius ſupplicij, quo ſuum corpus torquebat innoxium, ſe eius exemplo flagris quotidie exciperent, vt ſua piacula ſpontaneis illis ictibus expiarent. Plagis tot & tantis ſibi inflictis Hieronymus noſter oſtendit liquidò, ſe militem Chriſti, iuxta vetus inſtitutum, cuius meminit Ambroſius hoc contextu, *Charactere Domini inſcribuntur ſerui, & nomine Imperatoris ſignantur milites*. Hactenus Ambroſius, quo aſſertore liquet milites olim, Ducis, ſub quo merebant, inuſtas ſuæ carni teſſeras habuiſſe. Vnde quia Hieronymus Narnienſis erat miles Chriſti, cuius teſſeræ ſunt plagæ corpori inflictæ; ſtrenuus ille pugil hoc curauit quàmmaximè, vt circumferret corpus ſuū flagris lacerum vſquequaque. Eò vergit illud Damiani conſilium, quo inducit homines ad corpus ſuum plagis, & ictibus edomandum. *Vndique*, inquit, *impreſſa tibi ſtigmata crucis oſtende, vt quò nunc arctius iudicati veſtigia ſequeris, eò poſt ſublimius iudicantis conſortio perfruaris*.

Ambr. de obitu Valēt.

Damian. opuſcul. 49. cap. 11.

Quia gloriæ ſuæ ſummam ille Capucinus reponebat penes crucem, ideo curarum eius omnium potiſſima fuit, infligere carni ſuæ notas Chriſti Domini crucifixi. Et id iuxta Beati Hieronymi mentem, quam hoc effato pa-

to palàm fecit. *Solus, inquit, poteſt in cruce Chriſti gloriari, qui tollit eam; & ſequitur Saluatorem, qui crucifixit carnem ſuam cum vitijs, & concupiſcentijs, qui mortuus eſt mundo, & non contemplatur ea quæ videntur, ſed quæ non videntur, videns mundum crucifixum, & tranſeuntem figuram eius. Ego ſtigmata Domini Ieſu Ieſu in corpore meô porto, qui in plagis ſupra modum, in carceribus frequenter. Hic ſtigmata Domini Ieſu in corpore ſuo portat, fortè & is, qui macerat corpus ſuum, & ſubijcit ſeruituti; ne alijs prædicans ipſe reprobus inueniatur, portat ſtigmata Domini Ieſu in corpore ſuo.* Hæc ille patronus Hieronymi Narnienſis, qui reuera notis Chriſti patientis corpus ſuum mortetenus flagris lacerum inſigniuit. Nam quotidiano verberum vſu corpus ſuum ſic attriuit, vt fiſtula hinc oborta, nulla potuerit induſtria nec ſanari, neque contra ſtillicidium ſanguinis obſerari. Vnde plures annos egit impedito corpore ratione fœdi vlceris, quod pręter ſenſum doloris exquiſiti, olidum adhuc erat, & fœtida ſanie tincta ſanguine deſudabat.

Hieron. in cap. 6. ad Galat.

Gal. 6.

Ille crudelis in corpus ſuum medicos adegit, vt adiecto Reuerēdi admodum Patris Generalis arbitrio præciperent ei corpus ſuum haudquaquam amplius laceſſere flagris, ne adſcito nouo vlcere caro tota difflueret. Aegrè tulit Hieronymus hoc edictū, vtpote nimis propitium carni ſuæ; ſed vt erat totus ad ſuperioris nutum compoſitus, à flagello quidem abſtinuit, ſed aliud ſupplicium adinuenit, cuius tortura ſuam carnem fortiter edomaret. Ecce ſæuientis hominis in ſe ſingulare artificium. Virgas graciles ad inſtar tenuis digiti & longitudine cubitali, penes ſe repoſitas habuit, omnibus inſcijs præter ſocios. Hiſce vice flagellorum intortis in pedes, tibias, manus, & brachia diuerberans, percipiebat inde doloris ſenſum vtique lancinantem. Accepi ego ab eius intimo quodam canonico Sanctæ Mariæ Maioris,

Hie-

Hieronymum, quando pedes eius podagra intumuerãt, fuiſſe ſolitum virgis illis cædere dolentes pedes, vt ſic ærumnis ſuis atque moleſtijs, noua Deum demerendi quæreret argumenta. Vidi ego Romæ apud præfatum illum Canonicum, vnam ex his virgis, quam ille repoſitam in ſcriniolo pretioſo aſſeruat, vt pignus amoris, quo eum quondam Hieronymus Narnienſis vnicè deperibat. Podagræ acerbos eſſe dolores nemo neſcit: & noſter athleta quandoque fuit ita dirè vexatus ab eis, vt adſtantes ei querula voce ſæpius ingemerent. Sed ſtrenuus ille pugil quaſi inſultans morbo, partes ægras corporis ſui, nouo etiam inflicto vulnere laceſſiuit.

Arte medica delirus hominum furentium animus ad ſe redit, flagellis acriter incuſſis; ita doloris ſenſus obſtat, ne pruriens caro ſuam animam efficiat conſciam illecebræ alicuius noxiæ voluptatis. Eam ob rem præter imitationẽ Paſſionis Chriſti, cui Hieronymus Narnienſis addictus erat quammaximè, ſuæ etiam animæ conſuluit, corpore diris ictibus infirmato. Corporeis hiſce ærumnis adſtrui ſalutem animæ dixit Ambroſius. *Ambroſ. lib. 1. de pœnit. c. 12.* *Moriatur*, inquit, *caro noſtra cupiditatibus, ſit captiua, ſit ſubdita, nec legi mentis noſtræ repugnet, ſed bonæ ſeruituti ſubiecta. Moriatur ſicut in Paulo, qui caſtigabat corpus ſuum, vt in ſeruitutem redigeret.*

Cùm igitur anima Hieronymi Narnienſis tot commoda retulerit ex flagellis, illa iure potuit in ſymbolum ſibi aſſumere picturam induſtriam, quam recolit Ferrus, qui depingit trochum, id eſt puerorum ludicrum fruſtum corneum, quod ſcutica cæſum voluitur in gyrum. Illi trocho ſcuticam ſeu flagellum adijcit, hoc loquaci titulo deſuper imminente. PER TE SVRGO. *Ferrus p. 2. Theatri.* Namque trochus ille verſatilis, vſquequaque iacet humi, donec identidem flagello incuſſo rotans, & diſcurrens erectior fiat. Sicque ſuum rectitudinis habitum

flagro

flagro debet, ſine quo ſæuiente ſupinus eſt ille trochus, nuſquam erectus, niſi ſcuticæ crebris ictibus impetitus. Ita ſibi deuinxere Capucini Hieronymi animam flagella ſæpius intorta in carnem, qua ſæpe laceſſita flagris, ſpiritus arduis aptior effectus eſt: ideoque verax eſt effatum animæ Hieronymi Narnienſis conuerſæ ad flagellum multo exucto ſanguine cruentatum. PER TE SVRGO. Id eſt, cùm corpus excercetur illa laniena flagri, animus inſcius illecebræ, cui caro aſſueuit, vel recolit Paſſionem Chriſti, vel Deum ſupplex orat, eum demerendo plagis; ſicque ſana & integra carne pronus, idem nunc aſſurgit & erigitur ad ſuperna corpore flagellato.

Patientia ſingulari tulit diuturnas infirmitates ſuas Hieronymus. Caput XXXVI.

DIOGENES ille famoſus aſpiciens homines turmatim concurrere ad ſpectandos pugiles, & athletas, qui in arena Olympiæ mutuo contendebant, illos omnes vt ſtupidos carpſit, quia nihili faciebant ipſum Diogenem, qui proſtratus humi, & tortus acerbo dolore, ſuum hunc agonem fortiter exantlabat. Quippe triumphum agebat, & inſignem de ſe ipſo ſuperato, & eò redacto, vt corpore cruciato multimodè, & afflicto morbis omnigenis, attamen animus haudquaquam æger illis cederet anguſtijs, ſed in dies alacrior, atque vegetior ærumnis omnibus emineret. Magnum reuera fuit ſpectaculum, videre animum integrum in corpore fracto diris vſquequaque malis. Sed illa prorſus adulteri- *Ex vita Diogenis.*

na

na fuit patientia, & proinde ſua laude penitus excidit. Nempe fucos fecit aucupando plebis applauſum, qui præcipuus erat ſcopus huius philoſophi, auram popularem hac patientiæ ementita ſpecie nundinantis. Suſpeximus hactenus Hieronymum Narnienſem, vt vegetum Olympionicam, imò & pancratiaſten ad omnia certamina compoſitum, & victorem in omni agone: nunc eius hiſtoria inclinante ad finem, præſtat eum in ſemetipſum patientia infracta armatum ſeriò contemplari. Quodque rei ſumma eſt, non iactabat ille robur animi huius inuicti, quo tacitus infirmi corporis acutos dolores pertulit alacriter: Nempe Deo ſoli placiturus, abigebat omnes alios, ab agonis ſui alea ſpectatores.

Inoleuit olim Romæ ritus, vt gladiatores non ad arbitrium ſuum æmulos eligerent, ſed ſorte eductos acciperent, ne validus in imbellem ſua ſponte præualens incurreret, & ſic properante fato pugilis inexperti, alter eruditus, de tyrone ſibi obiecto Marte impari triumpharet. Deus virtutis emeritæ viros, non ad eorum nutum agit, ſed vt expedire probat, hos agitat & exercet. Quos virtus illibata beat, hos ad ardua diſcrimina quandoque vocat, vt belli cum hoſte acerbo dubius exitus, victoria nobili compenſetur. Ita Iob, & Tobias, quia Triarij milites erant, Deo ipſo Agonotheta, & moderatore certaminis, obiecti ſunt hoſti, quem de alijs trophæa erecta quamplurima fecerant antea præpotētem. His noſtra ætate poteſt adijci Hieronymus Narnienſis, qui ab ineunte ætate tyro virtutis effectus, in eius ſtudio ea incrementa fecit, vt magiſter effectus meruerit à Deo traduci in aleam, quæ pugiles tantum perfectos admittit, ac proinde ſuis athletis eſt indubiæ teſſera ſanctitatis. Hæc alea perfectorum eſt multiplex infirmitas. Hanc alacriter decurrit Hieronymus, cuius tot & tantæ fuere graues moleſtiæ, vt res ſit operoſa ſanè recolere, quàm

dirè

dirè vexatus ſit, nulla ferè ſui parte immuni à dolore, varijs morbis, & equidem acerbis eius corpore lancinato. Ab ima pedum crepidine, capitis cute tenus erat ille pugil in agone referente pares anguſtias eis, quas moleſtiſſima tortura parit. Primò, dolor acutus, & ferè fugis eius inſederat caput, & hinc ei inſomnes fuere noctes, capite refuga ſomni, quietem neceſſariam ſubiecto & aliunde infirmo corpori denegante.

Capitis afflicti propago fuit oculorum moleſtia tanta, vt penè cœcitatem induxerit. Fuit & malè affecti capitis ſoboles ingrata, dolor dẽtium adeo importunus, vt duobus exceptis, dentes alios euulſerit, & ſic gingiuas imbelles effecerit, vt Hieronymo manducante, panis eſſet inde fuſo ſanguine cruentatus. Capitis ægri membranæ in conſenſum morbi rapuerunt & ſtomachum, qui vt eſt exquiſiti ſenſus, quando dolet, ita durè excepit Hieronymum. Laxato perytoneo viſcerum lapſu tumens ſcrotum enterocelen fecit, & herniam, aqua ſub inguine reſtagnante. Oſſis ſacri viciniam occuparat vlcus annoſum, quo ſerpente nata eſt fiſtula rodens carnem, cui longa ſatis cannula argentea inſerta dedit locum perenni humorum fluxui, qui quandoque fuit ſic exundans, vt imbibita veſte Patris ægri, ſedem eius inficeret humor fiſtulæ redundantis. Quadraginta annos egit vir ille inſignis hac fiſtula laceſſente ſuum corpus, cui proinde fuit durum ſtare, nequeunte ferre molem corporis illa baſi infirma, quæ nec doloris fuit expers, feſſo labore anniſque graui corpore reſidente. Acceſſit & ſcyatica, cuius anguſtiæ ceſſerant in habitum morbi Hieronymo, cui vt nihil omnino vacans eſſet à dolore, morbus articularis adiectus eſt, quo vrgente membrorum omnium compages afflicta fuit, Hieronymi ſic agone neſcio feriarum.

Ille ſuos recolens morbos aiebat eſſe duodenos, quos

non

non æquo animo tantum, ſed & ferebat alacriter. Vnde ſemel plus ſolito tortus trifariam, ait ſocio ſuæ infirmitatis conſcio, tres ſuos amicos illa die intimos acceſſiſſe. Ita gratanter habuit ægri corporis anguſtias, vt eis amicitiæ iura lubens vltroque concederet. Plus ſolito faceſſente negotium morbo, & corpore detrectante ſuum iubilum, aiebat vir patiens, ſpiritum eſſe quidem promptum, carnem verò infirmam. Ingraueſcente moleſtia, & recrudeſcente malo, creber erat in his vocibus Auguſtini. *Hic vre, hic ſeca, dummodo in æternum parcas. Auge & patientiam, auge & dolorem.* Hoc præſtitit illa multigena corporis infirmitas, vt ſeſe vegetior, & infractus illis inſultibus, & torturis animus explicaret. Huc

Iob cap. 33. collimat illa Iobi ſententia. *Tabeſcet caro illius, & oſſa quæ tecta fuerant, nudabuntur.* Quem locum verſans induſtriè Gregorius, meo intento congruè commentatur.

Grego. l. 23. Mora. c. 18. Sic ille. *Nemo vires ſuas in pace cognoſcit. Si enim bella deſunt, virtutum experimenta non prodeunt. Improuidus miles eſt, qui fortem ſe in pace gloriatur. Cùm ergo flagellis prementibus exterior voluptas atteritur, internæ fortitudinis oſſa nudantur. Quid autem hoc loco carnis nomine, niſi ipſa delectatio carnalis accipitur? Quid per oſſa, niſi virtutes animæ deſignantur? Tabeſcit ergo caro, & oſſa nudantur: quia dum flagellis arguentibus carnalis delectatio extetenuatur, ea, quæ dudum quaſi ſub carne latuerant, virtutum fortia pateſiunt. Nemo quippe quantùm profecerit, niſi inter aduerſa cognoſcit.*

Vegetiore quidē corpore dignatus eſt à natura Hieronymus noſter: ſed ille ſuſpicatus inſidias diaboli difficiles eſſe, carne valente nimis, dum Romæ prædicaret ætate triginta circiter annorum, procumbens ante crepidinem altaris Sāctæ Mariæ Maioris, enixè à Deo contendit, vt æuum tranſigeret multa infirmitate ſuo corpore diuexato. Ille nimirum ſubodoratus eſſe præpotens

tens in infirmitate robur animæ, ſeſe carni præſtitit iniurium, vt animæ commodo conſuleret, quam ſciebat adaugere gazas meritorum, ſi ſe patienter haberet infirmitate graui corpore laceſſito. Eodem prope fuit afflatus ſpiritu ſenex ille nominatus olim in deſerto, qui quotannis peſſima laborans ægritudine patiebatur perquàm dura. Cùm autem corpore reſumente vires annum incolumis egiſſet athleta valẽs querulus ingemuit, ita Deum compellans: Quid peccaui Domine, quod me indonatum hoc iſtius anni toto tempore præteriſti? Ille notas amoris Dei credidit eſſe plagas, vt & arbitratus eſt Hieronymus, quem præfatus ſum ſolitum fuiſſe ſuos morbos amicorum ſuauitate pleno nomine nuncupare. *Ex vitis Patrum.*

Ex Ariſtotele, amicorum eſt idem velle, ſicut & idem nolle. Cùm ergo morbus, & anima colliment in eundem omnino ſcopum, ſcilicet ad virtutũ lucrum; morbus erit animæ amicus ingenuus, quia ea ditior eſt corpore laborante. Et reuera lucrum fuit Hieronymo infirmari, quia locuples ei acceſſit cumulus meritorum. Quodque ſapit prodigium, ille licet æger è lectulo ſuo pangebat oracula, ſicut è pulpito, ſuggerente dolore mira, quæ fortaſſis idem præco Dei corpore ſoſpite ſiluiſſet. Ita fuit & Iob in gloria corporis infirmitate clarus, vt diſertè ſpeculatur Ambroſius hoc contextu. *Iob, quaſi athleta fortis in ſtercore ſedens, in tantis vibicibus, & ſæuis doloribus vulneris, totum corpus diris habens perfuſum vlceribus, myſteria loquebatur, nec acquirendis propriæ remedijs ægritudinis, ſed ſacris vacabat ſermonibus. Fortiores itaque ſermones ægri hominis, quàm illorum, qui non ægrotabant.* *Ambr. tractat. de ſecunda interpell.*

Diceres, hoc diſcurſu lineari conſtantiam Hieronymi Narnienſis, qui licet corpore exeſo malis, erat prædicator Sacri Palatij, quo ægrè pedes ibat ex monte Quiri-

nali,

nali, & eſto labore corpus vdum in pulpitum ferret; Deo ſupplente vires, quas morbus exhauſerat, ille ſano ſimilis ad ſtuporem Summi Pontificis, & Sacri Collegij, in vitia ore grandiloquo, & ſonoro pectore detonabat. Itaque Numine diſpenſante dotes ſuas ad arbitrium quoque ſuum, corporis anguſtiæ Hieronymo ſic proderant ad ſalutem animæ,& ad conciliandam virtutum omnium praxim, vt eius officio præconis Apoſtolici nullam inferrent iniuriam, vt nec aliquod proximo detrimentum. Pharmaca ingrata lubens ſubibat, fruſtra reluctante ſua carne refuga remedij,quod nauſeam, aut torturam vehit:ſicque gerendo morem Medicis,qui plerumque dura decernũt,duo præſtabat æger:primum erat obedientiæ ſpecimen egregium, annuendo votis Medici:alterum erat patientię & doloris non modicum incrementum. Ad inuictum eius animi robur pertinet, quod à Deo nunquam petijt aliquas inducias,aut remiſſionem morbi, veritus ne fortè Dei decretum ſalutare degener eluderet, aut ſaltem nè ſibi fracto, & cadente animo quidpiam meriti deperiret. Inſcia namque caro potioris longè boni, morbis prægrauata gemit,deteriora ſequens, quando ſanitatem reducem morbos exoſa petit à Deo precibus importunis.

Ex vitis Patrum. Conſcius arcani huius vir ſanctus irrita vota fecit cuiuſdam iuuenis morbo detenti. Quippe rogatus à iuuene,vt ſoſpitati eius fuſa Deo prece conſuleret,ait: Fili repone penes Deum curam tui, & ne noxia tibi concilia. Si ſanitas conduceret ad ſalutem, profecto tibi nunc adeſſet, quæ iam abeſt, morbo tuæ ſic animæ ſuffraganti. Quod Sanctus Eremita clienti ſuo denegauit olim, illud idem ſibi Hieronymus Narnienſis ſemper eſſe voluit inconceſſum. Nempe cauit,ne quando Deum vrgeret in gratiam feriarum morbi, ratus infirmitatem eſſe morum magiſtram optimam, & animæ de ſua ſalu-

te

te ſolicitæ congruam diſciplinam. Ita ſenſere Patres omnes, è quorum choro prodit Naziãzenus amicum ſuum ægrum iſta parænesi ad conciliandam ei patientiam, vt ſalutari pharmaco, conſolatus. *Nolim*, inquit, *neque honeſtum eſſe cenſuerim Phliagrum eodem modo affici, quo plerique ægri ſolent, nec ſimul cum corpore deijci, atque afflictionem vt incurabilem deplorare: verùm dolori reſiſtere, atque animo, vel nunc maximè perpurgari, vinculiſque ſuperiorem te præbere, ac morbum nihil aliud eſſe ducere, quàm vtilem quamdam diſciplinam, huc videlicet tendentem, vt & corpora omnia, & quicquid fluxum ac turbulentum eſt, interituſque obnoxium, contemnens, ac pro nihilo putans, toti te cœleſti Patri addicas, nec præſenti tempori, ſed futuro æuo viuas.* *Greg. Naz. epiſt. 70.*

Prudentius ait multum intereſſe inter veros Chriſtianos ægros corpore, & inter Gentiles corpore præualentes. Quippe Dei cultores eximij, ſi quando dolent corpore, mente valent; vt aiebat Barnabas Anachoreta, quem ægrotum inuiſentes amici, ille ſibi ingementes ita ſolatus eſt: Quantò meus homo exterior ingraueſcente morbo deficit, tantò interior homo, id eſt ſpiritus inualeſcit. Hieronymus Narnienſis infirmitate diuturna robuſtior expertus eſt, quàm conducat ad animæ ſtatum ſartum tectum infirma valetudo corporis, quod experimento quotidiano liquet in animæ perniciem ſanitate integra calcitrare. Certior ille effectus Dei ſeruos numine propitio affligi, non æquo animo tantùm ægrotabat, ſed & ingruente malo magis acerbo ſuas anguſtias cordis, oriſque ſimul iubilo condiebat. Illi frequens erat verſus iſte, Gloria Patri, & Filio, & Spiritui ſancto. Hoc ſuaue melos loco gemituum, vir annoſus, & fractus multiplici infirmitate, velut cygnus emoriens, anhelo pectore reſonabat. Vt corpore laceſſito diris cruciatibus inſomnis erat, ita & nocturnis horis alios anteuertens erat *Ioa. Moſcus in Prato ſpiritual. c. 10.*

X prior

prior in Eccleſia: & quia nullo præeunte ſibi lumine locum ſacrum adibat, corpore infirmo, errante veſtigio in gradibus, membra infirma, & annoſa muris ſæpius allidebat. More Capucinis inolito chorum ingrediens, oſculo terræ infixo pronus adorabat ineffabile pignus amoris Dei repoſitum in altari. Vtque Dei cultor erat impiger, accidit vt nocte opaca ſolus in choro volens procidere, & deferre Deo cultum inolitum, fortiter impingeret in angulum ſcamni; vnde duo, qui ſupererant dẽtes euulſi, hominem hunc totum grauiter ictum largo ſ nguine cruentarunt. Vir patiens nemine ſuffragante ſibi, & neſcius vbinam loci eſſet, illic immobilis ſtetit, donec hora aſſueta fratres chorum ingreſſi lampade præuia, ſtupuerunt ad ſpectaculum Hieronymi, qui manibus euulſos ſibi dentes tenens, ait: Fratres ego imprudens, & ſtolidus impegi in ſcamnum: ſed ſi ore ſauciato nequit lingua afflicta laudare Deum, cor attamen à diuinis haudquaquam laudibus abſtinebit.

Ex vitis Patrum. Profectò fuit hic conſcius ingenij viri ſancti, qui cœnobitam ægrum inuiſens, vt audijt illum gemebundum, de ſua infirmitate queri, ait: Frater mi quæſo caue ne Deum propitium exacerbes: Numinis namque tibi benefici munus eſt infirmitas, quæ proinde grates, & iubilum petit, & non gemitus indecoros. Appoſitè ſanè ad hoc eloquium Hieronymus Narnienſis grauiter ictus, dolore dentium attritorum nequicquam remorãte ſuos amoris in Deum æſtus, non exceſſit choro; vt qui ore impedito verba Pſalmi referre Deo non poterat, ſaltem verbera ſcamni offerret, exhibens ſic ſe Deo laudis tacitæ placitum holocauſtum. Fortè mutus Hieronymus verba præpediente malo, Deo ſpectaculum gratius exhibuit, quàm corona fratrum, qui ex Pſalterio, Numinis encomia pangebant integra ſanitate. Vir ille inſignis in hoc agone verum expreſſit patiẽtiæ ſimulacrum, quale

le proſtat à Tertulliani perito penicillo graphicè lineatum. Sic ille. *Vultus illi tranquillus, & placidus. Frons pura, nulla mæroris, aut iræ rugoſitate contracta. Supercilia æquè in lætum modum remiſſa. Oculi humilitate, non infœlicitate deiecti. Os taciturnitatis rubore ſignatum, color qualis ſecuris, & innoxijs. Motus frequens capitis in diabolum minax riſus. Amictus circùm pectora candidus, & corpori impreſſus, vt qui nec inflatur, nec inquietatur. Sedet in throno ſpiritus eius, mitiſſimi, & manſuetiſſimi, qui non turbine glomeratur, non nubilo liuet; ſed eſt teneræ ſerenitatis, apertus, & ſimplex, quem tertiò vidit Elias. Nam vbi Deus, ibidem & alumna eius, patientia ſcilicet: Cùm ergo Spiritus Dei deſcendit, indiuidua patientia comitatur eum.* Hæc Tertullianus opportunè ad benè compoſitum corporis habitum, quo præſtabat Hieronymus, fruſtra viri magni animum infirmo corpore vellicante. Tertull. lib. de patient. cap. 15.

Vrgente tortura mali, Hieronymus elinguis omnino fuit ad ſolamen aliquod adhibendum ori lacero ex attritu ligni, in quod neſcius impegerat: ſed ad gratias Deo agendas ob vulnera ſibi inflicta, ei verba ſonora, & congrua minimè defuerũt. Non obſtitit ſanguis ore manans affatim, quin inde Deum laudaret, quaſi incurriſſet in theſaurum: & ſi diabolo impulſore caſus ille fuit, vt Hieronymus impar eſſet oneri indicto laudum Dei ſoluendarum, excidit hoſtis hoc intento, quippe dolor acerbus extitit vt ſtimulus Hieronymo adiectus ad Dei laudes plus ſolito ſuauius explicandas. Vnde libet vocare Capucinum hunc in partem encomij, quo Tertullianus effert Iob effuſum in Dei laudes & inſultantem diabolo forti ſuo æmulo, eo met temporis articulo, quo lacerum plagis eius corpus inflicta vulnera decoquebant. Neque enim à reſpectu Dei tot doloribus auocatus eſt ille, ſed conſtitit nobis in exemplum, & teſtimonium, tam Tertull. lib. de patient. cap. 14.

ſpiritu quàm carne, tam animo quàm corpore patientiæ perpetrandæ, vt neque damnis ſæcularium, nec amiſſionibus chariſſimorum, nec corporis quidem afflictationibus ſuccidamus. Quale in illo viro feretrum Deus de diabolo extruxit! Quale vexillum de inimico gloriæ ſuæ extulit, cùm ille homo ad omnem acerbum nuncium nihil ex ore promeret, niſi Deo gratias!

Quanti ſuas faceret anguſtias Hieronymus æger, ille palàm fecit, cùm accepit Gregorium Decimumquintum Pontificem in gratiam ipſius purpuram aptare, vt eum ſacro collegio citiùs inſcriberet. Hoc nuntio accepto non degener ille Capucinus, in ſtrato decumbens accepit fiſtulas argenteas, quæ vlceri inſertæ faciebant iter ſanguini vitiato. Collegit item faſciolas, vnguenta, linteamina plagis ſolita imponi, vt & aliam omnē morbi ſupellectilem, & conuerſus ad aſtantes ait: Ecce meas Cardinalis infulas, en purpuram, en pileum, en pretioſa, & chariora noui Præſulis ornamenta. Illa meæ infirmitatis conſcia inſignia, potiora mihi ſunt, quàm honores: has eſto viles corporis ægri ſuppetias, longè pluris facio, quàm purpuram. Deum ſupplex oro vt mihi morte tenus adſint comites indiuiduæ corporis anguſtię, & penes alios ſint eminentes tituli dignitatum. Beatus Hieronymus olim pluris faciebat vilem tunicam Pauli Eremitæ, cum cumulo meritorum eius, quàm rutilā gemmis inſignia Principum, ſtipata malis, quæ ineuitabili ferè fato Principes inſequuntur. Ita Capucinus æger ſuum vile ſtratum prætulit excelſo ſolio, & morbidum corpus ſuum faſciolis cinctum maluit in clauſtro paupere torqueri, quàm in palatio honore affici purpurā decoratum.

Braſilienſes corpori ſuo plagas adijciunt, vt illis inſerant gemmas. Sed Hieronymo Narhienſi, quælibet plaga cœlitus inflicta, fuit monile ſacrum, & morbos multipli-

tiplices ille ſuas ratus eſt eſſe gazas, quibus anima diteſcit, vt abunndante penu. Huic ſane viro magno concors erit, æquus rerum omnium æſtimator. Inclytus ordo Sancti Dominici rem inſignem in eo argumento commemorat. Eſt dux fœmina facti. Ea nomine Bona, & reuera fuit ei bonum nomen, bonum omen: ea inquam pertæſa ritum ſæculi, quo fit dubia hominum ſalus, ſeceſſit in vrbis Romæ partem remotiorem ab omni frequentia, ſeque domi incluſam abdito condidit ergaſtulo, vno tantùm Sancto Dominico Patre ſpiritali conſcio ſuorum agonum. Sanctus ille demirans in fœmina animum cataphractum, ærumnarum eius voluit videre fontem, ſcilicet cancrum, id eſt, vetus, & putidum vlcus vbera tota depaſcens, & deſpumans in ſaniē, ex cuius fætida colluuie ſcaturiebant vermes numeroſi. Renuit diu mulier ſancta ſuas meritorum gazas reſerare ſancto homini pulſanti iamdudum ad oſtium. Victa tamen emerita virtute viri Anteſignani perquam celebris ordinis, pectus exeſum aperuit ebulliens multa vermium congerie. Stupuit Sanctus, vtpote demiratus maſculum animum in corpore fœminino. Vir ille Deo dictante rogat, vt vermiculum vnum madentem ſanie effluxa de pectore porrigat: negat illa ſuas gemmas educi poſſe de pixide, qua Deus eas incluſerat: inſtat Sanctus ſua ingeminans vota. Mulier heroïna nequiens diutius ferre importunum, fidem eius obſtringit de reſtituendo ei vermiculo, quem illi erat ſpatio morulæ conceſſura. Oppignerata fide viri ſanctiſſimi, mulier incunctante mora profert animalculum: Sanctus è regione accipit illud patientiæ inſignis mirabile pignus. Sed ò prodigium! dum credidit verſare vermem in vola repentem, aduertit rutilam in manu ſua gemmam; cuius ſplendore didicit quo fulgore irradient morbi, in quos coëunt voluntas Dei & humana, patientia ſuffragante.

Ex chronic. RR. PP. Prædicator. p. 1 lib. 1. c. 49.

Quis hanc mulierem ægram, & infœlicem dixerit, quæ opes credidit eſſe vermes emergentes è ſinu ſanie diffluente? Non ego miſerabor eius ſortem, ſed potius inuidebo, & voluntatis eius ad Diuinum obſequium mihi aſſumam in ſpecimen imitandum, ſecurus de corona radiante, ſi ſim ſocius in agone. Eodem quo & illa mulier ſancta, Deo volente & ſpectante, tulit læte ſuos morbos Hieronymus Narnienſis, cui & profectò ad æterna præmia conceſſerunt. Chriſtiane memor eſto carnalibus oculis viſos fuiſſe ebullire vermes, & effluere ſaniem ex thorace mulieris ægræ, & patientiſſimæ; ſed oculis viri ſancti fuiſſe veram, & diuitem gemmam illud idem, quod antea pus, & vermem, caro diuini arcani neſcia nuncupabat. Mentitur ſenſus in nomenclatura gratiarum, quibus Deus coercet petulantiam carnis, vocat enim torturam morbos, & omne quod arcet & eliminat carnis illecebras: at Sancti Deo afflati morbos dixere ſuam gloriam, quia carnis anguſtias non ad ſenſus, ſed ad Dei trutinam appenderunt. Illa diuina lance ſuas Paulus explorat anguſtias. *Gloriabor*, inquit, *in infirmitatibus meis*.

In hoc forti patientiæ agone ſuas egit partes ſtrenuè Hieronymus noſter, quem ego commemoro eodem intento, quo & ærumnas Sanctorum meminit Apoſtolus ita fatus: *Exemplum accipite fratres, exitus mali, laboris, & patientiæ, Prophetas, qui locuti ſunt in nomine Domini. Ecce beatificamus eos, qui ſuſtinuerunt. Sufferentiam Iob audiſtis, & finem Domini vidiſtis.* Sic olim Romani aſſueti videre digladiantes in arena viros aperto pectore, ſe aptabant ad bellum, eo aſpectu vulnera contemnentes. Ita munus gladiatorium à Traiano palàm exhibitum commemorat Plinius eius encomiaſtes. *Satisfactum*, inquit, *quà ciuium, quà ſociorum vtilitatibus. Viſum eſt ſpectaculum inde non eneruè, nec fluxum,*

Iacob. 5.

Plinius in panegyric. Traia. c. 33

nec

nec quod animos virorum emolliret & frangeret, ſed quod ad pulchra vulnera contemptumque mortis accenderet; cùm in ſeruorum etiam, noxiorumque corporibus, amor laudis, & cupido victoriæ cerneretur. Quàm conducerent ad generoſos animos inſtillandos illa ſpectacula, Tullius eloquitur. *Erat*, inquit, *gladiatorium ſpectaculum quædam quaſi diſciplina contra dolorem & mortem, atque ad vulnera mortiſque contemptum homines accendebat.* Non homines ingenui tantùm, ſed & ipſi gladiatores, æmulorum exemplo, necis erant incurij, & oppetebant mortem animo cataphracto. Auctor eſt Cicero ſic perorans. *Gladiatores quas plagas perferunt? quàm ſæpe apparet nihil eos malle quàm vel domino ſatisfacere, vel populo? quis mediocris gladiator ingemuit? quis vultum mutauit? quis non modo, non ſtetit, verum etiam decubuit turpiter? quis cùm decubuiſſet, ferrum recipere iuſſus, collum contraxit? tantum exercitatio, meditatio, conſuetudo valet.* Hæc ille.

Cic. lib. 2. Tuſcul.

Ibidem.

Si gloriæ inanis aura leuiter afflans armauit olim homines, ne gladiatoris inferiores eſſent animo: imò ſi & ipſi pugiles æmulorum aſpectu robur hauſerunt oculis: credo fore vt recenſio patientiæ Hieronymi Narnienſis lectorum animos acuat & accendat, vt animo infracto ad morbos ſubeundos fortiter accingantur.

Ad hoc proderit meminiſſe, corpus noſtrum eſſe ſicut corpus aſelli marini, quod non in vſus hominum cedit niſi crebris ictibus atteratur. Vnde Camerarius hunc aſellum piſcem dixit eſſe ſymbolicum hoc lemmate deſuper affixo. NON NISI CONTVSVS. Ita profecto inſoleſcit homo noſter interior, niſi exterior morbis, & his acerbis, à Domino contundatur. Quod qui animo verſabit æger, æquo animo Dei decreto ſtabit, ſanctitatis incrementa facturus NON NISI CONTVSVS.

Camer. cent. de piſcibus.

Abſtinentia ſingulari Hieronymus excelluit. Caput XXXVII.

PHILISTAEI ſuum aſſerturi dominium in Hebræos ſub iugum miſſos, ſanxerunt vt inermes eſſent, ſublata eis omni panoplia, ſic cauentes induſtriè, ne comparata noua belli ſupellectile ſita in gladijs, haſtis, telis, & clypeis, fracti hactenus populi rebellarent. Hanc
1.Reg.13. meminit aſtutiam textus ſacer ſic decurrens. *Porrò faber ferrarius non inueniebatur in omni terra Iſrael: cauerant enim Philiſtijm, ne fortè facerent Hebræi gladium, aut lanceam. Deſcendebat ergo omnis Iſrael ad Philiſtijm, vt exacueret vnuſquiſque vomerem ſuum, & ligonem, & ſecurim & ſarculum. Retuſa itaque erant acies vomerum, & ligonum, & tridentum, & ſecurium vſque ad ſtimulum corrigendum. Cumque veniſſet dies prælij, non eſt inuentus enſis, & lancea in manu totius populi.* Hieronymus Narnienſis prouidam hanc ſectatus eſt induſtriam, ſtatim atque vale dixit mundo, vt ſe totũ obſequio Chriſti Domini nuncuparet. Namque voto Religionis emiſſo, æternoque ſibi indicto diſcrimine cum corpore ſuo, nequandoque foret iniurium animæ, interdixit ei armorum vſu. Et quia potiora carnis arma ſunt hæc, ſomnus vberior, & largior cibus, ſtrenuus ille pugil iturus obuiam domeſticis inſidijs, corpus ſuum crebris vigilijs, & arcta inedia fortiter eneruauit. Præfatus ſum in capite XXXII. quomodo ille inſomnis plerumque ſuas orationes produxerit: itemque ſupra carptim & ſuccinctè recenſui ſtricta ieiunia, quibus ademit omnem nocendi ſuo corpori facultatem. Operæpretium hic eſt, ex profeſſo recolere, quantùm ſpiritus eius in carnem potuerit,

rit, ſubtrahendo penu & annonam, vnde magno animæ diſpendio, lautiore cibo effecta caro pinguior inſoleſcit.

Vt velitando leuique certamine laceſſitur hoſtis ante congreſſum ſerium, quo funditus euerti debet; ita Hieronymus ante plenam victoriam, de ſuo corpore partam, prælium illud auſpicatus eſt ab ætati ſuæ feruidæ, & iuueni congruo rudimento. Scilicet is ſubtraxit ſibi cœnam, ita vt ſemel tantum in die paſtus corpori vegeto, & indigo pluris conſuleret, & vnà cum ſpiritu ſufficere poſſet obſequijs; Deo Domino, Religioni, & proximo rependendis. Erat is procero corpore, & viuido, ideoque largior annona parum erat valido & iuueni: Vnde primò ſatis ſuperque fuit abſtinentiæ agonem incipere à ſubtracta ſibi cœna, ne feruor imprudens nimium corpori detraheret, credens animæ robur, ieiunio indiſcreto, & ſubito propagare. Eam ob rem Hieronymus ille, Beatus Doctor Eccleſiæ animam fidelem inſtituens, illa monet eſſe cenſuræ obnoxia ieiunia, quæ vt extrema ſunt, ita & hominem impotem reddunt ad maiora, & gratiora Deo obſequia detractis viribus exhibenda. Sic ille: *Non immoderata tibi imperamus ieiunia, & enormem ciborum abſtinentiam, quibus ſtatim corpora delicata franguntur, & ante ægrotare incipiunt, quàm ſanctæ conuerſationis iacere fundamenta. Sic debes ieiunare, vt non palpites, & reſpirare vix poſſis, & comitum tuarum vel porteris, vel traharis manibus: ſed vt fracto corporis appetitu, nec in lectione, nec in Pſalmis, nec in vigilijs ſolitò minus quid facias.* Hæc ille prudenter inſinuat, quia ieiunium non eſt perfectio, ſed medium idoneum ad lucrum ingens animæ comparandum. Ita Caſſianus: *Ieiunia*, inquit, *vigiliæ, meditatio Scripturarum, nuditas, ac priuatio omnium facultatum, non perfectio, ſed perfectionis inſtrumenta ſunt: quia non in ipſis conſiſtit diſciplina*

Hieron. epi. ad Demetriadi To. 8 cap 6.

Caſſian. collat. 1 c. 7.

plinæ illius finis, ſed per illa peruenitur ad finem. Ita Caſſianus apprimè verſatus in his quæ pertinent ad religioſi pugilis inſtitutum.

Vt Hieronymus Narnienſis in ſæculo vitam egerat ſine labe, vbi nomen ſuum dedit religioni, perfectionis ſtatum ſibi in ſcopum præfixit, & ne caro faceſſeret negotium ſpiritui, ſeſe ad ardua aptanti, cibi parcioris vſu ratus eſt eſſe ſuæ animæ conſulendum. Illo nempe rudimẽto ieiunij didicerat patere viam ad virtutum lucrũ, & extirpationem vitiorum, iuxta verax hoc effatum Cypriani. *Ieiunijs, vitiorum ſentina ſiccatur, petulantia marcet, concupiſcentiæ languent, fugitiuæ abeunt voluptates. Extinguitur ardentis Aethnæ incendium, & flammiuomi fornax Vulcani extincta intrinſecus montes contermimos non adurit.* Hæc ille probans ieiunandi ritum, vtpote ad ſalutem animæ conducentem.

Cyprian. ſermone de ieiunio & tentat. Christi.

Itaque Hieronymus noſter, ſemel in die paſtus, primò cibis communibus alijs, priuata ſibi adhuc indixit ieiunia. Nempe plures erant in anno dies ſacri Sanctis ei peculiari pietate cultis, quorum peruigilia ieiunabat pane ſolo & aqua contentus. Præter quadrageſimas ex Regula notas, alias etiam ſibi quotannis vir ille magnus ieiunij cupidus indicebat. Vigilijs tandem, flagellationibus vltrò ſæpeque aſſumptis, & crebris ieiunijs, diſſoluit illam validam temperiem, quam ſortitus erat ab ortu ſuo, ac proinde multis, & varijs morbis obnoxius effectus eſt. Nulla tamen infirmitas quantumuis acerba potuit eum inflectere ad vſum cibi plus ſolito lautioris. Ille nimirum arbitratus eſt, athletam ſtadium religionis ingreſſum, non debere ſuo corpori licet ægro cibis optimis indulgere. Idcirco morbo ingraueſcente, loco deliciarum fuere legumina, & panis aqua calida ſuperfuſus, & oleo. Vbi verò aliquid obſonij ſibi apponi aduertebat, ſubiratus homo voluptatis impatiens, illud ſubitò

lon-

longius amandabat. Tandem eò ſe contraxit, vt quater tantum in hebdomada paſceretur, tribus relictis diebus, quos ille impaſtus agebat tanta reuerentia, vt dicere ſolitus eſſet, illum eſſe reuera diem ieiunio ſacrum, quò nihil omnino datur ventri; alios verò dies, quo vel modicè paſcimur, ieiunij dies ementito nomine nuncupari.

Increbuit elegans apophthegma Cæſaris, videlicet, ieiunium homines inducere ad grandia audendum, gulæ verò cupedias animos deorſum trahere, & virtutis incurios facere homines indecoros. Adeo credidit indubium hoc effatum ſuum Heros hic præfatus, vt ancipitem fecerit ille fidem Bruti, & Caſſij, quos ſciebat à nimijs abhorrere cibis. Nimirum naſutus homo ſuſpicabatur inediam animos acuere, ac proinde Brutum, & Caſſium ieiunos homines, fore aptiores ad ſuccutiendum iugum ſeruitutis, quod ipſe Cæſar ciuibus imponebat. Non fefellit eum malum omen; nam à ieiunis hominibus Cæſar occiſus eſt. Ita Dæmon, vt aduertit Hieronymum Narnienſem ieiunijs aſſuetum, tot in hebdomada dies inedia ſua celebrare, in hoc propoſitum hoſtis callidus ſæpius inſurrexit. Etenim multi ſpecie pietatis eum hortati ſunt, vt temperaret ſibi ab hac ſtrictiore norma, ne deeſſet officio præconis Dei, quod in Sacro Palatio obibat luculēter, Romana tota curia coēunte. Et reuera fuit ſpectaculum hactenus inaſpectum, videre virum hunc inſignem peracta concione ſeſe impaſtum recipere in cœnobium ſuum, & diem ſic tranſigere, fruſtra ſuo ieiuno corpore reclamante.

Plutarc. in Cæſare.

Multum profectò dedit ieiunio Hieronymus Narnienſis, nec ille fuit in hac opinione ſolus: nam religionem ineſſe ieiunio arbitratæ ſunt præcipuæ orbis nationes: in quibus Hebræis indicere ieiunium ſolenne fuit etiam ante certamen, eſto tunc maximè corpora cibis indigeant, vt vegetiora haudquaquam viribus excidāt.

Ad

Ad hunc ritum pertinet illud ieiunium ſancitum à Rege Saule, in procinctu pugnæ contra Philiſtæos. Sic ſacra Regum hiſtoria: *Adiurauit Saul populum dicens: Maledictus vir, qui comederit panem vſque ad veſperam, donec vlciſcar de inimicis meis. Et non manducauit vniuerſus populus panem.* Si quando decretum eſſet tale ieiunium; capitale erat illud ſoluere: & dicta eſt capitis ſententia in Jonatham ipſum filium Regis, quia mellis fauum vigente ieiunio indicto modicè deguſtarat. Iidem Hebræi, penes ieiunium conſtituerunt præcipuam ſuæ ſanctitatis partem, eoſque credidère ſanctiores, qui longiorem ferebant inediam. Eam ob rem magnum ſibi fecere nomen Eſſæni, ſeu Eſſæi, quos commemorant fusè Ioſephus, Hieronymus, & Euſebius. Hi vt procul eſſent ab omni contagio carnis, ſponte ſua religione ducti carnibus abſtinebant. Eorum inſtitutum æmulati ſunt illi Indorum Philoſophi, quos Strabo meminit etiam reſpuere vſum vini, vt inde ſibi conquirerent afflatum popularis auræ. Subijcit ille, viros & eoſdem cœlibem egiſſe vitam, ad quam abſtemios eſſe maximè conducebat.

1. Reg. 14. — *Ioſeph. l. 18 ant. c. 2.* — *Hieron. l. 2. in Iouin.* — *Euſeb. l. 8. cap. 4.* — *Strab. l. 15.*

Græcia quondam aucupata famam religionis, peculiaria quædam ieiunia inſtituit in honorē Cereris, cuius ſacra Herodotus ait adire nefas ab alijs, quàm impaſtis. Huius inſtituti Gyraldus varia refert argumēta. A Græcis ad Romanos fluxit ille mos ieiunandi, vt ſe accingerent ad aliquid arduum. Ita ſe aptauit Numa Pompilius abdicato carnium eſu, ſi quando facienda ſacra forent, vt recolit Ouidius, ſubijciens etiam illum fuiſſe procul ab omni libidinis æſtu.

Herodo. l. 2. — *Lil. Gyrald. lib. de dijs Gent. Synt. 12.*

Vſus abeſt Veneris, nec fas animalia menſis
Ponere, nec digitis annulus vllus ineſt.

Ouid. lib. 4. Faſt.

Deſertor auitæ pietatis Imperator Iulianus, abiurata fide Chriſtiana, licet in omnem vitiorum colluuiem corruiſſet, tentauit ieiunijs aliquem pietatis habitum in-

induceré faciendo fucos inedia carnis. Quippe ex Theodoreto, & Pomponio Læto, olera tantùm & legumina ſuis ferculis appoſuit religionis ergo. Myſorum etiam fuit ritus abſtinere à carnibus, & melle ſolùm, & caſeo veſci; ſicut ait Strabo. Eadem etiam carnium abſtinentia fuiſſe cōſpicuos in India Solis ſacerdotes ſcribit Laërtius, quaſi illa abſtinentia Sole dignos efficeret. Et profectò non vana fides, nihil enim hominem magis commendat præ alijs, quàm cibi nauſea lautioris.

Theodorit. lib. 3. c. 2. hiſtor Eccl.
Pomp. Læt. in Iulian.
Strab. l. 7.
Laertius in proemio.

Inde fuit nominatus Hieronymus Narnienſis: conſcia nempe Roma prædicator ille Sacri Palatij, annonam à Summo Pontifice decretam illi officio, nec conſumpſit, nec voluit, vtpote ratus eſſe ſibi ſatius Sacro Collegio, ieiuno ſemper corpore prædicare. Quia non defuere Momi, qui carpſerūt ſtricta Hieronymi Narnienſis ieiunia, quaſi verò nihil omnino pietatis eſſet inediæ; conduxi varios ex antiquitate ritus, vnde ciborum parcior vſus cultior appareret. Sanctus olim Hieronymus vile gulę mancipium, videlicet Iouinianum, ſimili etiam telo confixit, cauſam agens ieiunij, in quod ille diſtento ventre, & adipe refluente tumidus inſurgebat. Sanctus, inquam, ille recenſito more veterum etiam Gentilium, qui magni fecere ieiunium, hominem hunc præfatum Epicuri de grege ſuem ſic peremit. *Dicæarchus*, inquit, *in libris antiquitatum, & deſcriptione Græciæ, refert in Saturno, in aureo ſæculo, cùm omnia humus funderet, nullum comediſſe carnes. ſed vniuerſos vixiſſe frugibus, & pomis. Perſarum Regis Cyri vitam Xenophon octo voluminibus explicat, polenta, & cardamo, & ſale, ac pane cibario eum aſſerens victitare. Lacedæmoniorum menſam frugalitateſque Xenophon, & Theophraſtus, & omnes penè ſcriptores Græci teſtati ſunt. Chæremon Stoicus vir eloquentiſſimus narrat de vita antiquorum Aegypti ſacerdotum, quod omnibus mundi negotijs, curiſque poſtpoſitis, ſemper carnibus, & vino*

Hieron l. 2. in Iouin.

ſeſe

ſeſe abſtinuerint. Hoc diſcurſu Beatus Hieronymus acriter inſaniam carpit Iouiniani, qui ieiunij acerbus oſor erat, & carne larga manu ingeſta viſcera ſaburrabat.

Habet & aſſeclas ſuos adhuc ille patronus gulæ, habet & ſequaces multos hic nebulo, cui, ventri litare fuit curarum ſumma. Ideoque rari ſunt hodie cultores eximij virtutis, quia pauci indixere ſibi hoc negotium, vt abdicato cibi lautioris & largioris vſu, gulæ & ventris vitia profligarēt. Specie ſanitatis adſtruendæ, gula ſuum obſequium habet, & ad arbitrium hiantis ventriculi plerique vitam agunt, arbitrati diuturna fore ſua pietatis erga Deum, & proximum officia, arcto ieiunio expuncto, & abdomini largiter indulgendo. His profectò deuijs, & deliris hominibus, quibus de gula totum cōſtat, abundè ſatis facit hic præfatus Iouiniani cenſor, opportunè probans, nimio effluxu cibi malè ſibi conſulere homines, vberiore namque potu & eſu, animæ ſimul & corpora vitiantur. Sic ille. *Morbi ex ſaturitate nimia excitantur. Hippocrates in Aphoriſmis docet obeſa & craſſa corpora, quæ creſcendi mēſuram compleuerint, niſi citò ablatione ſanguinis minuantur, in paralyſim, & peſſima morborum genera incidere. Vnde & Galenus vir doctiſſimus Hippocratis interpres, athletas, quorum vita, & ars ſagina eſt, dicit in exercitatione medicinæ, nec viuere poſſe diu, nec ſanos eſſe, animumque eorum ita nimio ſanguine, & adipibus quaſi luto inuolutum, nihil tenue, nihil cœleſte, ſed ſemper de carnibus, & ructu, & ventris ingluuie cogitare.* Hæc Sanctus Hieronymus, ieiunij præco, & acerrimus propugnator.

Idem.

Altè ſui huius patroni indolem ebiberat Hieronymus Narnienſis ſectator aſſiduus ieiunij, quod à iuuentute ſedulus excoluit, & adeo exactè, vt inde vires corpori detractæ nutante pede tremulum eius inceſſum ſæpius

pius effecerint; ſed carne infirma perniciore niſu ſpiritus alacrior ſydera tranſcendebat. Quippe Deo ſemper intentus,& neſcius eorum,quæ carnis erant, ſemper aptus erat ad orandum, ſic aſſequutus Apoſtoli mentem, ſuggerẽtis eſſe ſine intermiſſione orandum. Mentis eius acies ad ſuperna ſemper erecta, ipſo etiam tempore paſtus eum à cibi guſtu penitus abſtrahebat. Quippe viſus eſt ſæpe diſcumbens cum alijs in communi triclinio cibos appoſitos largo irrigare fletu, vtpote miſeratus hominum ſortem, quæ animas viua Dei ſimulacra inuitas etiam ad viſcerum curam fortiter inclinabat. Rurſus ille cauens inſidias gulę,rutam ſecum adſportans,eam immiſcebat cibis, vt amarore ſuo ſaporem omnem detergeret; ſicque ſuo palato detrahens vir auſterus, vilioris etiam eſculenti ſenſum, cupediæ omnis, & deliciarum refuga declinabat.

O impigrum ſectatorem Seraphici Patris noſtri Franciſci, qui Beato Bonauentura auctore, cibos cinere infectos corpori etiam imbecillo dabat, & condimenta ſuis morbis congrua,& conceſſa, vt ingrata forent, iniecta frigida corrumpebat. Timuere ſancti, & ſuſpectam habuere voluptatem comitem indiuiduam cibi palato affricti. Licet enim Deo cõſultore vitæ propagandæ cibi ſuauitate ſua guſtum afficiant,vt illo lenocinio homo illectus edat; iniquitate tamen hominum effectum eſt, vt voluptas hæc modica conceſſa pro medio tantùm, rationem ſibi finis poſtea vendicarit. Etenim hæc voluptas inſerta cibis,vt eorum vſu vires homini ſuppetant, in ſcopum aſſumitur à guloſis,imò plerumque viris ſanctis illudit,qui dum ſe indulgere credunt neceſſitati corporis inedia fracti, imprudentes in ius concedunt abditæ voluptatis. Hieronymus Narnienſis,ne incautus impingeret in has cautes infames naufragio plurium animarum,ruta cibos appoſitos ita infecit, vt procul abeſ-

ſet periculum omne erroris, vtendo cibis hac cautela rutæ optimè caſtigatis.

Hominem qui reficitur, in lubrico decurrere, & eſſe vicinum lapſui, in quem voluptas inducit animas, diſce
Augu.l.10. conf. c.31. ex querulo Auguſtini hoc diſcurſu. *Reficimus quotidianas ruinas corporis edendo, & bibendo: prius quam eſcas, & ventrem deſtruas, cùm occideris indigentiam meam ſatietate mirifica, & corruptibile hoc indueris incorruptione ſempiterna. Nunc autem ſuauis eſt mihi neceſſitas, & aduerſus iſtam ſuauitatem pugno, ne capiar, & quotidianum bellum gero in ieiunijs, ſæpius in ſeruitutem redigens corpus meum, & dolores mei voluptate pelluntur. Nam fames, & ſitis, dolores quidam ſunt. Vrunt, & ſicut febris necant, niſi alimentorum medicina ſuccurrat. Quæ quoniam præſtò eſt, ex conſolatione tuorũ, in quibus noſtræ infirmitati terra, & aqua, & cœlum ſeruiunt, calamitates deliciæ vocantur. Hoc me docuiſti, vt quemadmodum medicamenta, ſic alimenta ſumpturus accedam. Sed dum ad quietem ſatietatis ex indigentiæ moleſtia tranſeo, in ipſo tranſitu mihi inſidiatur laqueus concupiſcentiæ. Ipſe enim tranſitus voluptas eſt, & non eſt aliàs, quà tranſeatur, quàm quà tranſire cogit neceſſitas.*

Eſto grauis ſit illa voluptatis rixa, corpus & animam ſtimulans ad conflictum, illecebra cibi ſubtiles inſidias texente viris etiam pietate conſpicuis; attamen illa cauit diſcrimina Hieronymus noſter, efficiendo cibos inſipidos, imò & ingratos miſtura rutæ, gratum omne, quod eſcæ ſubeſt, ſapore ſuo aſpero depaſcentis. Itaque valens ille prudenſque Capucinus æmulatus eſt in hoc diſcrimine gulæ, facinus aſtutum Alexandri, qui Gordij nexus initium, nec exitum inueſtigare potens, vt ſe citius expediret ab eius tricis, nodum illum diſtricto gladio diſſipauit. Ita pugil noſter deſcenſurus in arenam cum gulæ cupedijs, nequando latentibus eſcæ cederet illecebris, rutæ obſequio ſuſtulit hunc ſaporem quo eſca nobis

bis illudit deceptis,cuiuſuis edulij ſocia voluptate.Ideoque placet illi induſtriæ Hieronymi Narnienſis affingere ſymbolum, cuius meminit Ferrus, depicto nodo Gordio diſſecto enſe Alexandri, hac adiecta epigraphe: NODOS VIRTVTE RESOLVO. Ille namque Capucinus latentes in eſca nodos,qui etiam cautiores ſuis inſeruere tricis,aſtutè fugit,ingratam palato rutam ferculis immiſcendo.Sicque gulæ NODOS VIRTVTE RESOLVIT. *Ferrus par. 2. Theatri.*

Ne quis fortè Momus inſurgat,& inuehatur in encomium iſtud abſtinentiæ Hieronymi, quaſi verò parum eſſet illud ſpecimen virtutis exhibuiſſe palàm; expedit hoc reſcire, virtutem illam temperantiæ eſſe lapidem offenſionis. Etenim multi aberrant,nihili aut parui facientes ſtricta ieiunia, integritatem tantùm animæ procurantes. Non inficior ſolam inediam eſſe vanitati obnoxiam, ſi non ſtipetur & cautelis idoneis ad refellendam auram popularem,quæ aſpirat ieiunis hominibus. Sed in confeſſo eſt apud omnes, eſſe irrita conamina eius, qui meditatur aliquod ſanctioris vitæ genus, ante gulæ illecebras omnes longius amandatas. Et hinc hodie tanta penuria ſanctiorum hominum,quia numerus exiguus eſt athletarum, qui in hoc agone ſuam omnem adhibēt induſtriam. Vnde quia Hieronymus Narnienſis ſtrenuum ſeſe pugilem exhibuit, magna fecit virtutum omnium incrementa. Vt & ſecus ille virtutis inops erit, qui incautè gulæ cupedijs eſt obſtrictus,eſto cibis & potibus largis haudquaquam indulgeat.

Audiendus in hoc argumento Gregorius, vtpote iudex idoneus ad litem iſtam ſuo calculo dirimendam. *Nullus*,inquit,*palmam ſpiritualis certaminis apprehendit, qui non in ſemetipſo per afflictam ventris concupiſcentiam prius carnis incentiua deuicerit. Neque enim ad conflictum ſpiritualis agonis aſſurgitur, ſi non prius intra noſmetipſos* *Grego.l.30. Mora.c.12.*

 hoſtis

hoſtis poſitus, gulæ videlicet appetitus, edomatur: quia ſi non ea, quæ nobis ſunt viciniora, proſternimus, inaniter ad ea, quæ longius ſunt, impugnanda tranſimus. In caſſum namque contra exteriores inimicos in campo bellum geritur, ſi intra vrbis mœnia ciuis inſidians habetur. Hæc ille velut obſtetricans à me antea prælibatis.

Solitudinis amans Hieronymus, omnium hominum colloquia cautè fugit. Caput XXXVIII.

INDVSTRIAE militaris eſt, militi concluſo in arce obſeſſa prohibere omnia priuata colloquia, & commercia cum hoſte poſito in vallo & cuniculis. Suſpecta nimirum eſt affinitas omnis indiſcreta cum quolibet hoſte, & præcipuè cum aſtuto deforis obſidente. Quia ſibi non hac arte cauit Seba perduellis homo
2. Reg. 20. obſeſſus à Ioab in arce Abela, proditus eſt. Nempe Ioab cum fœmina Abelenſi collocutus eam induxit, vt contribules ſuos inflecteret ad defectionem, & Sebam occiderent, namque fore liberam ciuitatem ſublato capite deſertoris. Itaque ceſſit in perniciem Sebæ totum illud colloquium: ſiquidem hæc mulier benè ſuada oratione Ioab, in partes eius inclinans, ſuggeſſit obſeſſis, ſatius eſſe necem inferre Sebæ, quàm arcta obſidione cingi, & victore Ioab vlciſcente ſcelus, quod patrabant adhærentes Sebæ, videre ſolo ſuam arcem funditus adæquatam. Periijt ergo Seba fractus inſidijs, quæ plerumque ſolent armis in re bellica præualere. Hieronymus Narnienſis, vt peritus in virtutis agone miles, domique, foriſque ſibi cauit egregiè, ne quando turpiter occum-

be-

beret. Ille nimirum contra domeſticos hoſtes longas vigilias, & arcta ieiunia indixit corpori, perquam ſæpe in extremum diſcrimen imprudentis animæ rebellantis. Carne vigili,& impaſta compoſita ad ſpiritus obſequiũ, fuerunt Hieronymo omnia tuta domi. Ne verò deforis irreperent inſidiæ, exercitatus ille pugil dedit omnibus hominibus libellum repudij, vt ſic culta ſolitudo arceret ex improuiſo irruentes deforis inimicos.

Seceſſus amor in eo fuit tantus, vt quotannis ſemel aut iterum ex cella in hortum cœnobij deſcenderet,vbi ſpatio quadrantis, aura recreatus tantiſper,cum ſocio ſacra ſemper eloquia conſerebat. Eum videre in horto res adeo inſolens viſa fuit fratribus, vt diem hunc notarent, & ſcriberent. Vt primò Romam vocatus eſt, ſerò appulit, & tunc expedito negotio, cuius gratia adſcitus erat;ſequenti die manè exceſſit,incurius videre Romam Romæ degens, cùm exteræ Gentes, Vrbis videndæ deſiderio confluant,& hoc ſpecie pietatis. Vt aſſuetus erat in ſecreto contemplari Ieruſalem triumphantem, non erat ſolicitus de videnda militante Roma,ratus eſſe rem tutiorem luſtrare ſuos conſcientiæ angulos in arcano, quàm obambulando palàm Romana compita peragrare.Sciebat ille Deum ſeſe communicare ſuis ſeruis ſeorſim poſitis,& extra commune hominum vulgus.

Luculentum igitur habuit argumẽtum Hieronymus noſter aſpernandi ea, quæ mundi ſunt, cum ſit ipſe fugax, & ſequaces ſuos amoueat à charis Dei amplexibus. Vnde Beatus Ambroſius multus erat in hac mundi fuga ſuis ſymmyſtis, vt vtili, quàmmaximè ſuadenda. Sic ille. *Frequens nobis eſt ſermo de fugiendo ſæculo: atque vtinam quàm facilis ſermo, tam cautus, & ſolicitus affectus. Sed quod peius eſt, frequenter irrepit terrenarum illecebra cupiditatum,& vanitatum offuſio mentem occupat; vt quod ſtudeas vitare, hoc cogites, animoque voluas.* *Ambroſ. lib. de fuga ſæculi cap. 1.*

Hanc Ambroſij mentem Hieronymus Narnienſis aſſecutus, acerbus oſor mundi extitit, accuratè vitans omnium hominum colloquia: ideoque munus agens præconis verbi Dei in ſacro palatio, habita concione ſtatim capite aperto, & ſubmiſſis oculis, in cœnobium ſuum tacitus aduolabat. Dixiſſes à tergo peti virum illum magnum, adeo erat ille morarum impatiens, ne quis Cardinalis, aut Antiſtes aliquo inſerto colloquio diſtraheret mentem, quæ Deo intenta ſemper erat, ac proinde pertæſa ſolum, & anhela ad cœlum, ad hæc infima nauſeabat. Eam ob rem expeditis negotijs, quæ quandoque geſſit hic refuga mundi, quantocyùs abijt in ſeceſſum, ita morem gerens Ambroſio ſic monenti. *Qui fugit, velociter fugiat, ne comprehendatur; velociter deprædetur hunc mundum, vt Hebræus Aegyptum.* Hæc ille prudens ſæculi perſecutor.

Ambr. lib. de fuga ſæc. c. 6.

Hieronymus noſter non pernice tantùm greſſu fugit ſectatores mundi, ſed & homines etiam clauſtro ſacros, & ſibi concolores, ægrè admittebat in cellam ſuam, præcepto ad hoc indicto ſuo ſocio, ne quem intromitteret, niſi cauſa foret vrgens. Quando namque ſolus erat, tunc de cella ſua cœlum facere ſatagebat. Vtpote expertus eſſe veridicam illam Chryſoſtomi ſententiam. *Solitaria vita cœleſtis doctrinæ ſchola eſt, ac diuinarum artium diſciplina.* Ita Chryſoſtomus in gratiam vitæ actæ in ſeceſſu.

Chryſoſt. li. de laude vitæ ſolit.

Encomiorum omnium, quæ ad ſolitudinem pertinent, vt conſcius erat Hieronymus Narnienſis, ita vitæ huius ſeorſim poſitæ, & neſciæ colloquij cum externis, erat rigidus obſeruator. Multi namque fama viri huius inſignis illecti ad videndum illum, concepta ſpe cecidere ſua; certiores facti Hieronymum, nec etiam eiuſdem inſtituti fratres ſuos Capucinos admittere, niſi raró ad priuata colloquia, & eum vix ſemel in anno loqui cum

aliquo

aliquo homine ſæculari. Indolis eius à ſæculo procul illud eſt argumentum, & equidem magnum, quòd ſpatio quinquaginta trium annorum, quos inter Capucinos egit, ter duntaxat ad paternas ædes acceſſerit, eſto patrem, matrem, fratrem, & ſororem ſuperſtites illic habuerit, & in conuentu loci illius ſtatum habuerit ſæpius incolatum. Vt eſt maternus amor tener, Hieronymi mater fœmina nobilis, non poterat temperare ſibi, quin ſæpe ſæpius accederet ad cœnobij fores, petitura ſibi fieri copiam Hieronymum ſuum prædilectum filiũ alloquendi. Vt erat hæc matrona inſignis, & virtutis emeritæ, quæ etiam multum contulerat ad pietatem inſtillandam impuberi Hieronymo, concordi voto Capucini omnes, quos crebris eleemoſynis illa parẽs obſtrinxerat, orabant Patrem Hieronymum, vt memor obſequij aliàs à parente accepti, in teſſeram grati animi, vel ſaltem ad morulam, obtutibus matris fœminæ optimæ ſiſteretur. O ſolitudinis amor, quantùm potes in hominem, cuius animum inſediſti! Hieronymus eſto degens in humanis, ſe præſtitit inhumanum, ne nimium homini ſibi, vt & matri, extra cellam poſitus indulgeret. Itaque anhela matris vota eluſit, illi mandans momentaneam eſſe vitam iſtam, ac proinde parum eſſe curanda gaudia, quæ influunt in hoc æuum, quod præcipiti occaſu ſubeunte fluit: ſed eſſe ſibi melius conſulendum, ſpretis omnibus, quæ ad mundum pertinent, æterna ſuæ animæ gaudia procurare. Deſineret ergo ſibi faceſſere negotium in extorquenda ſui præſentia, cuius erat ei futura copia æterna in cœlis, & id citra metum deliquij, in quod incurrit amor indiſcretus filiorum, & parentum, ſuo exceſſu detrahens amori ſacro, quo in Deũ debet anima conflagrare.

Paſſa repulſam mater, lacrymis vſquequaque madens ſeſe recipiens ad propria, mirabatur hanc filij ſui con-

ſtantiam materno nomine infractam, & mœrorem ſuũ de eo inaſpecto, meditata virtutis eius ſpecie ſolabatur. Spe plena viſurum ſe in cœlis Hieronymum, ſuas ſic leuabat anguſtias. Ex præfatis abundè patet ceſſiſſe amorem matris affectui cellæ. Namque parentis amor hominem arguit eiuſdem indolis ac cæteri; ſed affectus cellæ, Angelum clamat ſoli Deo intentum. Matris amor plerumque ferax eſt curarum, quæ animum in varia diſpeſcunt: ſed in cellam propenſio eſt, tot & tantis fœta bonis, vt geſtiant Sancti aliqua recenſere. Proderit aliqua vitæ ſecretæ ab hominibus elogia delibare, ex diuite penu Chryſoſtomi ſic ſcribentis. *O vita eremitica, balneum animarum, mors criminum, purgatorium ſordidorum. Tu via aurea certa, & compendioſa, qua homines ducis ad patriam. Tu mentium ſecreta purificas. ſqualores diluis ſcelerum, atque ad Angelicæ nitorem munditiæ peruenire animas facis. Cella nempe eſt conciliatio Dei, & hominum. Ibi ſuperni ciues ad colloquia humana conueniunt.* Hęc ille: cui Hieronymus noſter fidem fecit illo ſuo animo refuga ſæculi blandientis.

Chryſoſt. li. de laude vitæ ſolitar.

His auditis encomijs cellæ, nõ demiror amplius hunc Capucinum ſpatio quinquaginta trium annorum, non ſubijſſe paternas ædes niſi ter, eſto fratrem ſuum poſt ſe in viuis adhuc reliquerit, & in eodem natali ſolo plures annos egerit viuo patre, & vegeta matre, cum ſorore Cynthia prædilecta. Cellæ nimirum amore delinitus homo, hominem illic exuebat, vt Deum indueret. Quid hunc paterna domus affectu ſuo laceſſeret, qui ſui ipſius immemor, vt Deum ſolum recoleret, cella velut ſcalis vtens ſydera tranſcendebat? Nihili profectò fuit paterna domus homini, cui orbis vniuerſus erat exilium, & cella carcer; cui pro vecte fuit propoſitum tenax non inde referre pedem. Hieronymo prope fuit extinctus amor propriæ familiæ, vt illam cum fœnore reciperet

in ſu-

in futuro ſæculo reſurgentem. Vale ſuis ædibus dixit, & proprios Lares timuit afferre ſibi damnum ille Capucinus, cui ſola fuit cella lucrum; quippe gazas gratiarum illic expertus erat eſſe reconditas, quarum ne iacturam incurreret, parci ſermonis erat, & vt eſſet conſcius arcanorũ Dei, cellam ſuam ſedulus excolebat. Ne quis forte liuore inſano aſperſus vitio vertat, illum Hieronymi morem abhorrentem ab hominum inutili cõmercio; non erit abs re conſulere rurſus Chryſoſtomum, vt eo aſſertore fiat palàm, quàm conducat ad ſalutem animarum, amor cellæ, penes quam repoſuere plures Sancti ſuum virtutum omnium incrementum.

Sic ille Sanctus olim occinit in gratiam cellæ, cuius & inuitus portum dereliquit, vt ſe rurſus pelago mundi cõmitteret, nutanti Eccleſiæ in Græcia opportuno ſuo ſtudio conſulturus. *O cella*, inquit, *quæ de ſuperbis facis humiles, de guloſis ſobrios, de crudelibus pios, de iracundis mites, de odioſis reddis in diuina charitate ſeruentes. Tu ieiuniorum, ac vigiliarum nutrix, tu patientiæ, & pacis perfectiſſima cuſtos, tu puriſſimæ ſimplicitatis magiſtra, ac omnino fraudulentæ duplicitatis ignara. Tu facis vt indiſciplinati moribus, à ſua ſe prauitate compeſcant.* Hactenus ille ſuæ cellæ quondam cultor eximius Chryſoſtomus: cuius & flamine percitus Hieronymus Narnienſis Capucinus, ægrè admodum à ſecreto ſuæ cellulæ trahebatur.

Chryſoſt. vbi ſupra.

Vt ſtupebant omnes hominem hunc adeo exoſum omnium hominum colloquia, ita quidam eius olim ſocius, eum enixè rogauit, vt cauſam aperiret huius tanti faſtidij, quo ingraueſcente ſolam ſuam cellam amore ſemper integro deperibat. Fili, inquit ille ſenex, ſingulis quibuſque momentis diei & noctis, indixi ſuum penſum, quo ſoluto nihil omnino ſubeſt temporis, quod alijs impertiar. Ante ſacrum animam meam apto iugi

prece & arcto ſilentio. Peracto myſterio gratijs impar agendis curiam totam cœleſtem meis obſtringo votis, vt me impotem adiuuet ad grates idoneas Chriſto Domino rependendas. Rurſus Eccleſiæ negotia, vt & religionis noſtræ, commendo Deo, ſicut & animas, quibus aliquo charitatis vinculo deuincior. Poſtea ſi quid reſcribendum occurrit, ego me accingo huic operi, cui ſubijcio lectionem libri alicuius, quam condio ſemper oratione breui, quam alia longior excipit, ſua concluſione diem committens nocti, quæ & ſuas habet diſcriminatas horas, nulla ferè morula feriante. Quiſquis inſtar huius cœnobitæ ſuas horas diſpeſceret, ille profectò rarus eſſet cum alijs, vt ſemper ſecum eſſet, aut cum Deo; maiorque vigeret amor cellæ, quàm hominum, quorum frequentia eſt pernicioſa viris, qui dato libello repudij mundo, ſeſe Deo rerum Domino manciparunt. At ſecus ex præfatis homo ſequax Chriſti ſeceſsũ amantis, quandiu cellæ tenax erit, tamdiu gratias & virtutes congeret in cumulos; qui & tantò aſſurgent, quantò ſagax ſectator cellæ procul à ſe omnes homines amandabit. In hac fornace ſuæ cellæ cuſus eſt Hieronymus Narnienſis, clarior hoc ſeceſſu, quam alij in conſeſſu hominum, quorum auram propitiam, opere, ſermone, votiſque omnibus aucupantur.

Quamuis opaca Gentium Philoſophia fuerit incuria praxis ſolidæ virtutis, tamen æmulata ſpeciem aliquam virtutis ementitæ, credidit animum diſcretum à turbis eſſe aptiorem ſtudio Philoſophiæ. Ideo Pythagoras diu in ſubterraneo ſpecu delituit, ſortitus hoc ſecreto famã diuini conſortij: credula namque illa ætas arbitrata eſt hominem gaudere Deo, quem omnino non caperent hominum commercia. Ad arbitrium Pythagoræ ceſſit eius ſecretio ab hominum cœtu: ſiquidem illi ſuſpicionem fecit abditæ deitatis, magnumque auctoritatis pon-

Laert. l. 5. de vitis Philoſoph.

dus

dus adiecit eius diſciplinæ, quam vt cœlo illapſam eius diſcipnli ſuſpexerunt. Exemplo Pythagoræ, Græcia ſubodorata eſt in vita ſolitaria quidpiam ſuprà hominũ indolem, ideoque venerata eſt Timonem Nicæum, cui potior erat cura, à conſortio hominum iugiter abhorrere. Magni etiam fecit Hippocrates illud vitæ inſtitutũ, quod hominem turbis eripit: ideoque cum rogaretur ab Abderitis, vt eò ſe conferret in gratiam Democriti Philoſophi, quem crediderant excidiſſe mente, quia tacitus loca remota ſedulus inquirebat: Reſpondit ille Medicorum ſummus, audito inſtituto Democriti, habere in eo, quod ſuſpiciat magis, quàm quod ſanet, & illud ſchema vitæ eſſe ſartam tectamque ſanitatem animæ, nulloque modo melius ſibi conſuli contra peſtilentem hominum auram, quàm in tuta ſolitudinum loca citius aduolando. Chriſtiani cœlitus edocti cauere ſibi capeſſentes illud vitæ genus, rati ſe nacturos illic requiẽ, quam neſcierunt in ſæculo. Quodque demirere magis, homines, penes quos fuit ſumma rerum, depoſitis infulis abdicarunt ſe principatu, vt ſibi duntaxat in receſſu tutius imperarent.

Huius amore vitæ Capucinus Hieronymus obſtitit Paulo Quinto Pontifici purpuram ei aptanti, ſatius eſſe ducens mori Capucinum à ſæculo procul, quàm viuere Cardinalem. Quodque prodit animum Hieronymi aſſueti diuino conſortio, eſto munus exerceret prædicatoris in ſacro palatio tota applaudente Roma, & quamplurimi Cardinales tentarint eum ſæpe priuatim alloqui; ille in media vrbe Roma ſibi eremum fecit, nec in eo publico officio gerendo luculenter, vnquam à cella ſua potuit amoueri.

Summi Pontifices Paulus V. & Gregorius, eo familiariter vſi, voluere ſacro palatio eum ſæpius inſerere, & illo velut ædibus vti ſuis. Sed ille citra dies concionis,

aut nunquam, aut raro fuit, & illic adhuc ſic degebat, vt circumſtante magna virorum illuſtrium corona, foret à conſeſſu illo nobili, ſemper animo ſegregato. Vt ingraueſcente ætate ceſſit officio prædicatoris Apoſtolici, & coactus eſt ſedere ad clauum religionis, agendo vices Præfecti Generalis, ea ſe geſſit induſtria, vt Generalem ſimul & eremitam optimè commiſceret. Etenim vrgente charitate ſuis ita prouidebat, vt ſeſe minimè deſereret. Ea cautione fores cellæ ſuæ voluit occludi, vt paterent pro natura rei congruæ, aliàs verò ſemper eſſent omnibus obſeratæ. Reſque fuit prope prodigium, videre virum hunc inſignem ſolitudinis eſſe obſeruantiſſimum in media rerum frequentia, & eremum in corde ſuo ſibi componere, cellam eius infinita fere fratrum turma iugiter inundante. Morte tenus exercuit illam præfecturam ſine diſpendio ſolitudinis eius, quam antea priuatus excoluit. Licet enim, & literarum affluxu, & ſolicitudine fratrum videretur inquies animus eius; ita tamen ſibi prouidebat, & alijs, vt nihil de animo Deo ſoli intento remitteret, vita ſic eremitica in Hieronymo Narnienſi Capucino, cum vita publica coeunte. Et reuera præſtat eſſe ſolitarium animo in medijs turbis & plateis, quàm corpore ſegregato, & occluſo ſeptis rigidi cœnobij, impatiente quietis animo diuagari.

Ita ſenſere Patres, in quibus Gregorius ita fatur. *Quid prodeſt ſolitudo corporis, ſi ſolitudo deſuerit cordis? Qui enim corpore remotus viuit, ſed tumultibus conuerſationis humanæ terrenorum deſideriorum cogitationibus ſe inſerit, non eſt in ſolitudine. Si verò prematur aliquis corporaliter popularibus turbis, & tamen nullos curarum ſæcularium tumultus in corde patiatur, non eſt in vrbe. Itaque benè conuerſantibus, primùm ſolitudo mentis tribuitur, vt exurgentem intrinſecus ſtrepitum terrenorum deſideriorum premant, vt ebullientes ab infimis curas cordis, per ſuperni* Greg. li. 30. Mor. c. 12.

 gra-

gratiam reſtringant amoris. Hactenus Gregorius, qui & in Pontificatu ſuæ ſolitudinis antiquæ ſtuduit ſpeciem æmulari.

Quandoque natura ludit in phyſicis, vt cùm oſtendit fluuios,qui ſuas per medium mare tranant aquas,& educunt inde ſuaues & integras,à frequentata ſalſedine maris penitus abhorrentes. Hanc rem in pelago ſatis vernaculam, ſunt, qui mirantur vt oſtentum: ſed eſt res ſuſpicienda magis, in vndoſo populi freto videre hominẽ ita ſui iuris, vt ſi in ſeceſſu vitam ageret ſine arbitris. Profectò ſapit miraculum, hominem multa præterire loca, ſicque cauere ſibi, vt inundante hominum fluxu, mentis ſolitudo minimè corrumpatur. Præſtitit hoc egregiè Hieronymus Narnienſis, qui vt maximas in religione præfecturas geſſit, Prouincialem, Viſitatorem generalem, denique vices Generalis agens; nullo negotiorum affluxu, nec concurrentium hominum turba potuit vnquam à ſolitudinis ſuæ conſtanti propoſito dimoueri. Eludebat enim cautè & Cardinalium, & Magnatum colloquia, & occurſus; immò matris ſpem fregit, quæ vt accepit hunc filium ſuum fama ſuper æthera notum ad cœnobium Narniæ diuertiſſe,vnde matutino tempore ſeceſſurus erat; illa parens anxia & ſolicita de videndo ſuo filio hoc prædilecto, poſtera die mane acceſſit viſura ſuum hunc natum, aliò tranſmigrantem. O ſolitudinis amor,quis te fallere poſſit amantem! Hieronymus ſuſpicatus almæ parentis induſtriam, ne obuia matre ſui ſeceſſus iniuriam aliquam refricata matris ſpecie pateretur, antelucanis horis exijt; ita Solis ortum, & occurſum matris ſedulus anteuertens.

Egregio exemplo ſuos ſic monuit eſſe declinanda cautè parentum conſortia, vt inimica vitæ, quam cœnobita profeſſus eſt: ille nimirum amor ſuperfluus, quẽ frequentia cognatorum inſerit cordi, non ſine diſpendio amo-

amoris Dei, religioſum perniciosè ſuis inficit incrementis. Item ſæpe ſæpius accidit, vt vrbium Optimates ad eum literas dirigerent, quæ res vbique terrarum geſtas referebant fideli contextu. Sed vir ille magnus incurius omnium, quæ mundi erant, has literas ſuſpicatus eſſe relationes rerum profanarum, intactas à ſe procul citius amandabat. Nolo, inquiebat ille, vt me accingente ad orationem, inanes ſæculi ideæ velut muſcæ importunæ meum ſacrum inficiant: inuiti namque precantes patimur has ſpecies, quas vltrò & lubentes ante preces habuimus noſtris mentibus obuerſantes. Vt ergo talibus incommodis occurreret, nihil omnino noui volebat referri ſibi ex ſæculo, & alios carpebat acriter, ſi audiret eos de rebus geſtis recenter in ſæculo colloquentes.

Demum nulla rerum deforis occurrentium tanta fuit copia, quin ſolitudo ſua carpſerit & momenta Deo ſic deuota, vt nullius omnino rei intuitus ab hoc more virum inſignem potuerit aliò deturbare. Sicque Capucinus ille fuit ſolitarius, etſi magna ſui ordinis negotia geſſerit, vt in clauo ſedens. Et quaſi ſurdus nihil omnino ſuis auribus profanum hauſit, fruſtra foris ſæculo perſtrepente. Hunc fuiſſe morem hominum ſanctorum ait Gregorius, ita fatus: *Sancti viri, qui exterioribus miniſterijs deſeruire officij neceſſitate coguntur, ſtudiosè ſemper ad cordis ſecreta refugiunt, ibique cogitationis intimæ cacumen aſcendunt, & legem quaſi in monte percipiunt, dum poſtpoſitis tumultibus actionum temporalium, in contemplationis ſuæ vertice ſupernæ voluntatis ſententiam perſcrutantur.* Hæc ille, cui ſe aptaſſe liquet Hieronymum Narnieſem, cùm excuſſo rerum infimarum puluere, ad orationis montem ſine comite, factus ipſe Angelorum ſocius aſcendebat. Illic frugifero lacrymarum rore madens fruebatur Deo ſuauiter, & inde comis & humanus interrupta gerens negotia animo infracto, ſuam præſtabat

Grego. l. 23. Mora. c. 12.

bat opem omnibus indefeſsè. Eam ob rem longè fuit à cenſura Bernardi, qui inuehitur in quoſdam inhumanos, qui eò deuenere ſuperbiæ, vt neminem ſuo dignum credant alloquio. *Multi*, inquit, *ſunt filiorum Adam, qui errauerunt in ſolitudine in inaquoſo, illi qui in ſolitudinem ſuperbiæ recedentes, ſocialem vitam habere nolunt, quorum ſingularitas aſſociari non poteſt. Sedent in inaquoſo, quia nulla imbre lacrymarum compuncti, in terra ſterili, & arenti perpetua ſiccitate morantur.* Hactenus Bernardus. *Bern. ſer. 1. de SS. Petro & Paulo.*

Prælibata monent eſſe Hieronymo affingendũ ſymbolum, cuius meminit Ferrus, cum depingit Aquilam in ſublime latam, hac epigraphe adiecta: ELEVOR DVM SEGREGOR. Hæc Aquila genuinè refert altas mentes, quæ Deo propiores ſunt, quo ſe ſæculo magis animo ſubduxerũt. Ea nimirum eſt indoles mentis humanæ, vt magis ad Deum accedat, quo plus terris eripitur, ita vt ſibi aptare queat præfatum hoc ſymbolum pertinens ad receſſum. ELEVOR DVM SEGREGOR. Si ſe quiſque conueniat, ingenuè fatebitur, animæ ſuæ pennas grauari commercio rerum infimarum, quæ vt luteæ ſunt, fœda aſpergine inficiunt alas, minuſque idoneas efficiunt ad volandum. Quiſquis ergo optat eleuari, is ſi non corpore, ſaltem animo ſegregetur. Quàm ſit illa verax propoſitio, longè latèque probat Hieronymus Narnienſis, qui quo magis ab hominum omnium turba ſecretus eſt, eò etiam magis ad honorum, & virtutum omnium apicem aſſurrexit. Cùm namque Papam inuiſebat, poſt oſcula pedum Pontifex eum blando dignabatur amplexu; vtque alibi recenſui, Paulus Quintus eum ita ſemel affatus eſt: Hieronyme habeto me tuis precibus commendatum, ſiquidem te non amo ſolum, ſed inſuper veneratione recolo ſingulari. Nonne & Conſtantinus Imperator, audita fama Antonij *Ferrus parte 2. Theatri.*

tonij latentis in deſerto, ſcripſit ei mendicans eius opem apud Deum, quem præſertim oratione ſolent homines erepti ſæculo demerere. Gregorius Decimusquintus conſcius ingenij noſtri Hieronymi ſuæ cellæ addicti, quoties aliquem è noſtris habebat coram, hoc ei in mandatis dabat, vt Patrem Hieronymum Narnienſem ſuo nomine ſalutaret. De alijs verò, qui ſeſe vltro plebi immiſcent, & cellæ oſores amant hominum frequentiam, illud accidit contrarium ſymbolo Aquilæ. Quippe fiunt abiecti, & deſpecti, omnique ſpecie honoris excidunt, & malè audiũt apud omnes, quia populo commiſcentur. Et hinc ſcaturigo mali, quod corrupit religioſas olim familias, quæ ſegregatæ ſuum ſeruauere decus: ſed vbi deſciuerunt à receſſu clauſtri, & cellæ, à pietate ſimul, cum nomine ſanctitatis turpiter exciderunt.

Caſtitatis candor in Hieronymo ſingularis enituit. Caput XXXIX.

INDVSTRIA Gentilitas in picturis, & ſtatuis pinxit olim Palladem cataphractam. Hæc ementita Dea, galeata, & loricata manu gerens haſtam, virgo fuit in opinione Gentium, qui finxerunt eius ſpeciem habitu prælibato. Ita profectò fuit: eſto æternum erit armata virginitas, illa nimirum tot, & tantis ſubiacet inſidijs, vt incauta foret præda ſuis oſoribus, niſi armorum obſequio, cautè ſibi ſedula prouideret. Virginitatis amor Hieronymum Narnienſem vt inſedit, ita & armauit his cautelis, quas hactenus ego recenſui. Ieiunia, vigiliæ, & ſolitudo, fuerunt armaturæ viri huius, qui ſe voto obſtrinxerat ad tuendam in Minorum Ordine ſartam tectam corporis, & animæ caſtitatem. Quæ in

hoc

hoc athleta ſicut illibata fuit, ita & virgo morte tenus extitit, vt iureiurando liquet eorum, qui excepere morituri cōfeſſionem rerum, quas ab infantia ſuſpectas alicuius vitij perpetrarat. Vt in ſæculo cuſtos erat impiger huius floris, ita nomen ſuum vbi dedit Chriſto, voto emiſſo ſacri hujus Inſtituti, res eſt ſupra fidem omnem credere, qua puritate vitam egerit ille Capucinus, qui nec nocte quidem in ſomnis paſſus ea, quæ ſunt incongrua caſtitati, non potuit temperare ſibi, quin alios etiam in partem ſui ſtuporis iubilans aduocaret. O, inquiebat, conſcientiam Angelicam humano concluſam ergaſtulo! ó puritatem animæ, quæ faceſſit negotium mihi dubio, & hærenti, ſi quid in toto vitæ decurſu occurriſſet ſufficiens ad erogandum pœnitentiæ Sacramentum.

Vt ille ſacerdos erat conſcius virtutum Hieronymi, ita potuit vſurpare voces iſtas Beati Ephræmi in gratiam caſtitatis iſto ſic eloquio perorantis. *O caſtitas, cui abominationi ſunt deliciæ, venuſtas corporum, & ornatus veſtium: o caſtitas dapibus, & epulis inimica: o caſtitas oculorum frænum, quæ è tenebris ad lucem totum corpus transfers: o caſtitas, quæ carnem caſtigas, & in ſeruitutem redigis, ac cæleſtia velociſſimè penetras.* *S. Ephrem ſerm. de caſtitate.*

Quia virtus illa, Dei hominumque ſibi affectum conciliat, vt illa ſuis amantibus indulgeat, & illis inſideat; operæpretium eſt inueſtigare, quibus eam Hieronymus noſter ſibi caſtitatem nexibus obligarit. Ne bis repetita crambe nauſeam faſtidiumque ferat, prætereo Capucinum illum tranſegiſſe dies impaſtos, & noctes inſomnes, vt vegetior virginitas in ſic edomito, & effœto corpore perennaret. Non refrico aſſiduum orationum vſum, & pietatem eius in Mariam, penes quam eſt cuſtodia tuta & fida integræ caſtitatis. Præter hæc, quæ maximè conducunt ad Angelicum illum ſtatum, duo

ſunt,

ſunt, quæ ſedulus excoluit hic ſectator perfectus continentiæ. Primum eſt, cuſtodia oculorum, ne incurrerent imprudenter in facta ſibi obuia corpora ſpecioſa. Sciebat ille Holofernem captum fuiſſe ſuis incautis oculis; vt & Dina virgo prius extiterat præda viri, in quem illa ſuos oculos intenderat. Hieronymus audierat oculos eſſe in amore duces, ideoque cauit ſolicitè, ne in præceps, & abruptum quandoque duces illi deuij pergerent errabundi. Et quaſi inſtaurato fœdere ſancito quondam à Iob cum oculis, ne ſiſterent aliquando ſibi ſexũ muliebrem; nuſquam propugnator caſtitatis acerrimus oculos ſuos in fœminas intorquebat. Eum vrgente Dei gloria, & ædificatione ſui proximi, cui volebat ingerere amorem continentiæ, affirmauit, ſe ita temperaſſe ſibi à mulierum aſpectu, vt toto quadraginta annorum ſpatio oculos ſuos inſtruxerit declinare viſum fœminæ, ne ſic incauta foret anima ſauciata. Qui igitur quadraginta annos egit, nulla omnino fœmina aſpecta, qua ratione ſua mente defæcata ab omni obſcœna idea, verſare potuit fœminarum ſpecies inhoneſtas?

Non ab aſpectu fœminarum tantùm abſtinuit, ſed & pueros elegantis formæ fugit. Vnde quia in cœnobio, cui in Guardianum præfectus erat, degebat religioſus iuuenis, venuſto oris habitu, ille nunquam eum aſpexit, ne facies illa gratior oculis illuderet, aliquid ſuggerens indecorum. Illa tenax oculorum cuſtodia caſtitatem adſtruit, & eo maximè intento fuit à Tertulliano commendata virginibus, quæ vt videri, & videre volunt, incurrunt in diſcrimen & pudoris, & honoris. Namque ſibi & alijs ſunt iniuriæ, dum in aliorum arietant continentiam, ſua iam mente tenus perdita caſtitate. Sic ille. *Ipſa concupiſcentia non latendi, non eſt pudica; patitur aliquid, quod virginis non ſit: ſtudium placendi vtique & viris, quantùm velis bona mente conetur, neceſſe*

Tertull. lib. de velandis virgin.

eſt

eſt publicatione ſui periclitetur, dum percutitur oculis incertis, & multis. Vera & tota & pura virginitas, nihil magis timet quàm ſe ipſam; confugit ad velamen capitis, quaſi ad galeam, quaſi ad clypeum, qui bonum ſuum protegat aduerſus tentationum ictus, aduerſus iacula ſcandalorum, aduerſus ſuſpiciones, & ſuſurros, & æmulationem, ipſum quoque liuorem. Timebit virgo cenſorium lumen, & gaudebit ſibi, & ſoli Deo nota. Hactenus ille cõſultor opportunus continentiæ, timoratis mentibus inſerendæ.

In quantam perniciem deducant animas oculi errones, didicerunt ſuo diſpendio omnes, qui in eleganti facie ſui ſexus æmuli defixi, lethale virus impudicæ Veneris ebiberunt. In his iſtę fuit vnus, qui ſic mœret.

Vt vidi, vt perij: me malus abſtulit error.

Eo etiam vergit amaſij huius hoc effatum, cui multa experimenta litant.

Dum ſpectant oculi læſos, læduntur & ipſi,
Multaque ſic oculis tranſitione nocent.

Illa lue, quæ contrahitur oculis, non potuit laborare Capucinus Hieronymus, qui non oculos tantùm, ſed & ſe ipſum totum clauſit, ne quid in ipſo patens eſſet cupidini, & ſic eſſet ſarta tecta caſtitas illibata. Ita ſibi prouidit Iudith, quæ vt omnium hominum aſpectum fugit concluſa ſuo ſemper ergaſtulo, ſic & elogio æterno fuit à ſacro codice commendata. Ecce præſatæ mulieris encomium. *In ſuperioribus domus ſuæ fecit ſibi ſecretum cubiculum, in quo cum puellis ſuis clauſa morabatur: & habens ſuper lumbos ſuos cilicium, ieiunabat omnibus diebus vitæ ſuæ, præter Sabbatha, & neomenias, & feſta domus Iſrael. Erat autem eleganti aſpectu nimis. Et erat hæc in omnibus famoſiſſima, quoniam timebat Deum valde, nec erat, qui loqueretur de illa verbum malum.* *Iudith 8.*

Alterum, quod contulit ad adſtruendam Hieronymi caſtitatem, fuit fuga mulierum, quas nec nominare, nec

Z no-

nominari, gratum habuit vnquam. Ideoque præſente Patre Hieronymo, nemo mentionem audebat facere melioris alicuius, eſto famæ etiam agnitæ ſanctitatis. Nulla ſuaſione precum poterat induci, vt pietati mulierum illuſtrium ſatisfaceret, quæ eum alloqui cupiebant. Immò nec cognata Summi Pontificis mater Cardinalis Ludouiſij Protectoris Capucinorum, quę enixè orabat, vt aliquid ſpiritalis eloquij concederet, hanc vnquam gratiam potuit obtinere. Tuderti, cùm degeret, accidit, vt coactus ex cœnobio egreſſus audierit fęminas nobiles in occurſum eius venire, cupidas illi loqui pietatis ergo. Vt hoc fœminarum nomen inſonuit, ille facie ſua tecta caputio retroceſſit, ſeſe aduerſus hunc occurſum cœnobij clauſtro, velut idoneo clypeo, muniturus. Aduertit aliquando religioſum iuuenem iuxta fores Eccleſiæ colloquentem cum fœmina: & licet hi ſermones eſſent ſalua loci decētia, Hieronymus illum fratrem inde motum iuſſit ſtatim aliò tranſmigrare. Feruente æſtate mulier ad oſtium cœnobij pulſans, vt ex ciſterna ſibi prouideret aquam, vaſe accepto, quod ſola ſuo capiti non poterat aptare, adiuta fuit à ianitore loci; quem in eo charitatis officio, vt offendit Hieronymus, acriter in illum inuectus eſt, dicens eſſe vitanda mulierum omnium commercia, ne infernalis aliqua ſcintilla foci cor adureret ſpecie charitatis. Demum, ſi quem ſuorum fratrum, in mulierum colloquia propenſum offenderet, eum ab illo cœnobio in aliud migrare citò operam dabat, ne incautus ille frater, ingraueſcente morbo, nimia familiarite contracto, accenſa Venere conflagraret.

Sciebat ille graues homines excidiſſe fama parta prius magno virtutum cumulo. Aliquot apud Sanctum Hieronymum legerat ille in hoc fœminarum vndoſo & infami pelago naufragaſſe. Ecce vnum inſignem ex catalogo plurimorum, qui imprudenti commercio cum

fœ-

fœminis turpiter audierunt. *Sol hominum Salomon theſaurum deliciarum Dei, ſapientiæ ſingulare domicilium, craſſo tenebrarum fuſcatus atramento, lucem animæ ſuæ gloriam domus ſuæ, odorem famæ ſuæ amiſit amore mulieris. Et poſtremò curuatus coram Baalim, ex Eccleſiaſte Domini mutatus in membrum Zabuli, vt adhuc videretur grauiori detrudi præcipitio, quam Phœbus in caſu Phaëtontis, qui de Apolline Iouis, factus eſt paſtor Admeti. Amice. ſi non es ſapientior Salomone, quod nemo eſt, non es maior quàm qui poteſt faſcinari à fœmina.* Hæc ille: cui & ego concinens aio, ſtare non poſſe viri cuiuſquam caſtitatem cum fœminis illibatam. *Apud Hieron. tom. 9. epiſt. Valerij ad Ruffinum.*

Vt Hieronymus Narnienſis deperibat hãc virtutem, ita conſulens illi, procul amandabat omne, quod næuos inferre pudori poteſt, & præ alijs impedimentis caſtitati iniurijs, illi ſibi ratum fixumque negotium hoc indixit, ſemper à fœminis abhorrere. Vnde vt accepit Epiſcopum Narnienſem meditari fabricam, iuxta cœnobium noſtrum, vt ſuæ pietati erga Capucinos commodè ſuis è vicinis ædibus indulgeret: Hieronymus omnem mouit lapidem, vt Epiſcopum ab hoc propoſito diuerteret, ſuſpicatus illam Epiſcopi domum fore & fœminis peruiam, quarum appulſus, nihil omnino boni erat illius cœnobij fratribus allaturus. Rurſus ille poſt diuturnam ſolitudinem coactus exire foras in hortum non procul à cœnobio, vbi tunc degebat, vt vidit Dominum loci huius cum coniuge eſſe in horto, ſtatim repedans ad propria, maluit illo carere ſolatio, quàm vel ad morulam vnam cum fœmina conuerſari. Hoc à Sancto ſuo Hieronymo didicerat, ita ſuum diſcipulum adhortante. *Hoſpitiolum tuum, aut raro, aut nunquam mulierum pedes terant: omnes puellas & virgines Chriſti, aut æqualiter ignora, aut æqualiter dilige. Ne ſub eodem tecto manſites, nec de præterita caſtitate confidas. Nec ſanctior Dauid, nec Salo-* *Hieronym. epiſt. 2. ad Nepotia.*

mone potes eſſe ſapientior. Memento ſemper, quod Paradiſi colonum de poſſeſſione ſua mulier eiecerit. Rurſus ille modum inculcat propitium excolendæ caſtitati: Eum nimirum, cuius Hieronymus Narnienſis fuit impiger obſeruator.

Ille modus in cautela ſitus eſt, qua & ipſa mater eſt videnda, & in cellæ cuſtodia cum lectione Scripturarum. *Idem epiſt. 4. ad Ruſticum.* Audiendus ipſe beatus Hieronymus, ita fatus. *Matrem ita vide, ne per illam alias videre cogaris, quarum vultus cordi tuo hæreant, & tacitum viuat ſub pectore vulnus. Ama ſcientiam Scripturarum, & carnis vitia non amabis.* Hæc ille Sanctus.

Aliud argumentum caſtitatis, quæ refulſit in Hieronymo Narnienſi, eſt, eum nuſquam paſſum fuiſſe viri alicuius tactum, & multò minus fœminæ. Cùm namque ſenex ille corpore effœto motus eſſet impos, & indigus opis alienæ manum porrigeret, vt ex ſtrato tantiſper aſſurgeret, ne nuda manus tangeretur, eam pannulis obuoluebat. Vt enim caſtitas illibata ſemper omnia tuta timet, ita ſibi iugiter inuigilat, ſuſpicans inſidias in leuiſſimo etiam carnis affrictu, quem vt declinet, hoc æterna ſibi ſanctione indicit, vt nulla ſui parte corpora denudentur. Eſt enim nuda caro ſicut vrtica, cui Camerarius hanc epigraphen adiecit. LEVITER SI TANGIS ADVRIT. Vt ſal ex aqua natum ſtatim in aquam reſoluitur, ad tactum aquæ; ita caro propago carnis alterius, alteri & carni admota perit, animamque LEVITER SI TANGIS ADVRIT. Ille nimirum tactus amoris excitat ſcintillulas, & equidem in indubiam perniciem animæ conflagrantis. Hoc *Baſil. lib. de vera virginitate.* prudenter Baſilius inſinuat, hoc contextu. *Sicut cùm ignem tangimus, ignis indicia per impreſsas nobis aduſtiones excipimus, impoſſibileque eſt eum, qui ignem tetigerit manu, illæſam illam ab eius incentiua operatione ſeruare.*

Ca-

Cæterum aut bullæ repente tactum conſecutæ turgeſcunt, ac doloroſa per feruorem, & inflammationem vlcera mox rumpenda minantur, aut iam quoque facta in manu acria viſuntur vlcera: ita poſſibile non eſt eum, quem ignis amor attigerit, eiuſmodi tactum innocuum, inuiolatumque perferre; ſed aut ſimili ratione bullæ per tactum manus cordi clam ſubrepunt, atque intumeſcunt. Hactenus ille Sanctus luculenter innuit, non eſſe mentis infirmæ ſcrupulum, omnem corporis aperti tactum ſedulò declinare.

Non ſuæ tantùm, ſed & aliorum caſtitati cauit Hieronymus noſter: nam religioſos iuniores, & eleganti ſpecie volebat habere manus opertas, manica longiore, & veſte producta pedes habere reconditos, ne quid ex corpore ſpecioſo nudum oculos offenderet, hinc à latente Venere ſauciatos. Rurſus, vt omnem libidinis anſam omnibus adimeret, præfatos iuuenes facie peruenuſta domi vt congruo ergaſtulo tutos volebat degere, ne ſe prodendo foras, alijs ſibique forent in diſcrimen pudoris, qui facilè obiecto ſibi perpulchro corpore vitiatur. Nonne Dauid vno ictu oculi intorti in nudum corpus excidit illa puritate, qua ſibi ante Deum, & regnum conciliauerat? Nonne plures formoſi, fuere ſibi & alijs in ruinam prodeundo foras? Itaque quia Hieronymus didicerat ætatis immaturæ famam, & formam gaudere ſuis ergaſtulis, ideo peritus ille Capucinus ſanxit fratres ſuos iuniores concluſos clauſtro, eſſe fœminarum omnium viſibus abſtrahendos. Eſſe tutum hoc continentiæ vallum didicit illa Fauni puella, quam meminit Macrobius. Hæc concluſa ſuis ædibus, hominem neque vidit, nec eſt paſſa videri, ideoque cedens fato, ſub nomine Bonæ Deæ culta eſt ab antiquis, ſuſpicantibus in virgine quid diuinum, quia humana pati cauit, ſeſe tutis ædibus includendo. Eadem & cautela ſibi prouidit Euclia Virgo Hercule patre ſata, quæ vt intacta viuis erepta

Macrob. lib. 1. c. 12.

Plutarch. in Ariſtide.

eſt, Plutarcho auctore ſacris dignata eſt à Locris & Bœotijs, credentibus eſſe Deam illam, quæ ſe hominem eſſe ſpreta venere denegarat.

Ne ſeceſſus ipſe ſuo tædio texeret inſidias caſtitati, quæ ſuos habet & ſcopulos in ſecreto, Hieronymus ita diem diſpenſabat, vt nullas omnino moras daret hoſti, qui pudicitiæ illudendo ſolet præcipuè in veterno, & otio debacchari. Semper occupatus homo ille neminem niſi ægrè ſuo dignabatur eloquio, cauſatus eſſe diem iuſto breuiorem vt Deo ſufficiat prece congrua demerendo. Cùm ergo Deo iugiter eſſet intentus ille Capucinus, & ſolitudinis vallo ſuam virginitatem cingeret, occurrit vt par erat diſcriminis, in quod incurrunt homines errones, & ab omni bono prorſus opere feriantes. In eo argumento placet meminiſſe egregiæ picturæ, qua priſca ætas inſinuat, qua ratione queant virgines hunc pudorem ſeruare diu à næuis omnibus illibatum. In tabula ſymbolica, virgo erat egregia capite tenus cœlum pulſans, vna manu ramum ſalicis præferens, altera verò examen apum. Salicis ramus notat caſtitatem, habent enim ſalicum flores vim inſitam compeſcendi Veneris appetitum, qui etiam duobus modis extinguitur in hac tabula figuratis, ſcilicet examine apum, & capite in cœlo. Apes laborem ſeu actionem clamant, actione namque Venus occidit, iuxta illud.

Ouid. lib. de remedio amoris.

Otia ſi tollas, periere Cupidinis arcus
Extinctæque iacent, & ſine luce faces.

Virginis caput in cœlo clamat, virginum curam totam eſſe debere ex cœlo, & de cœlo: ſi enim alij quàm Deo cœli virgo ſtuduerit, peſſum ibit, luetque Deo pœnas, iniuria caſtitati crimina caſtiganti. Ecce Vatis malum omen virginibus incurijs degere in ſeceſſu, & cupidis fortè lubricorum aſpectuum ſpiculo terebrari. Ille Propheta eſt Iſaias, caſtitatis amans, & ſic vaticinans.

Pro

Pro eo quod eleuatæ ſunt filiæ Sion, & ambulauerunt extento collo, & nutibus oculorum ibant & plaudebant, & ambulabant, & pedibus ſuis compoſito gradu incedebant; decaluabit Dominus verticem filiarum Sion. Iſa. 3.

Igitur opportunè Hieronymus Narnienſis religioſos iuniores & decoros facie ſanxit rarò prodire foras, ne quid alios intuendo ſibi mali inferrent, vel fortè viſi, alijs affricarent. Ita ſuo nitori conſulit mus Ponticus, cuius exuuijs & ipſi Principes induuntur. Animalculum illud niueo candore nitet, & eſt adeo ſordis impatiens, vt in abdita ſpecu degens oppetat mortem prius quam fæcis alicuius antro ſuo obiectæ macula conſpurcari. Mus ille dedit anſam huic lemmati adiecto picturæ, murem illum in ſua ſpecu lineantis, cui titulus iſte imminet: MALO MORI QVAM FOEDARI. Ita ſanè mors eſt obeunda magis, quàm vel macula leuiſſima inſita caſtitati.

Paupertatis altiſſimæ Hieronymus extitit rigidus obſeruator. Caput XL.

HOMERI commentum eſt induſtrium, Iouem homines in cœlum euocare aurea catena, quæ pendula terris imminet, vt eius obſequio, cœlis homines inſerantur. Proſtant in eo argumento pleraque deliria interpretum, qui luſere in illo themate, creduli reuera Iouem aureis vti nexibus, vt homines irretiat, & ſic Numini deuincti in optandũ omnibus album cœlitum adoptentur. Miſſa Iouis fabula, res eſt in confeſſo Deum homines è terris ſurſum euehere virtutum omnium praxi, quæ vt omnes concatena-

tenatæ ſunt, non errabit ille, qui dixerit aurea catena beatos è ſolo, ad ſolium trahi,& debere ſuũ hunc aſcenſum nexibus his, quibus Deo propitio fuere cœlitus irretiti. Namque ſimul ita implexæ ſunt virtutes omnes, vt vna ſibi alias omnes adſciſcat in ſocias: ſi hoc in omnium virtutum contextura liquet, & etiam conſtare debet in votis religionis; vnum quippe ſolum obſeruatum non prodeſt ad ſalutem, ſi moriatur homo voto altero reclamante, ſe fuiſſe deſpectui, ei qui vnius tantùm viuendo fuit ſedulus obſeruator. Quia ergo ſatis conſtat de caſtitate Hieronymi, eadem ſunt indagine nobis luſtranda vota, quæ ſuperſunt, paupertas videlicet, & obedientia, vt funiculus ille triplex oſtendatur etiam contuliſſe ſuam opem ad Hieronymum Narnienſem in ſydera transferendum.

Paupertas erit huius capitis argumentum. Fuit Hieronymus Narnienſis animo ſoluto curis rerum, quæ cõducunt etiam ad vitam in hoc ſæculo propagandam. Huncque ſuum affectum inuium curis neceſſariæ ſupellectilis ad victum, & veſtitum, ſatis ſuperque palàm fecit toto vitæ tractu, vtpote plerumque viuens pane contentus, & aqua: nuditati verò ſenis & annoſi corporis occurrebat veſtibus obſoletis. Nulla nimirum veſtis ei vnquam ſarcta tecta fuit, ſed centones in veſtem & pallium aptans ad inſtar pauperum, ſeſe præſtitit ſemper intus & deforis, inſigne ſimulacrum, & ſpecimen egeſtatis. Allata ſemel ſandalia noua reſpuit, & abiecit, ſuſpicatus illic offendiculum paupertatis, dicens, vetera, & attrita ſatis eſſe ſibi. Percitus & hoc zelo ſanxit cœnobium eſſe ſola paupertate diues. Vnde die quadam, vt audijt illa ſolennitate nihil eſſe prorſus obſonij, quod in prandium fratrum coqueretur, ſubridens ait: Nonne fabis eſca poteſt parari ſufficiens ijs, qui propoſuere ſibi ſequaces Chriſti Apoſtolos imitari? Hi vrgente fa-

me

me die ſolenni, vtique Sabbathi, conſulturi ſuæ inediæ ſpicas euulſere, vnde ſemine educto fecere ſibi paſtum, nullo omnino niſi famis addito condimento. Itaque ex præſcripto Hieronymi inſtructæ ſunt epulæ ex fabis, quibus expletis ait ille paupertatis amaſius, ſe nuſquam fuiſſe ſuauius, & gratius epulatum.

Non neceſſitate ſuada fecit vltro lubenſque auſterũ hoc epulum. Sed Paulo Quinto Pontifice opiparas ei decernente dapes, cum prædicaret in ſacro palatio; ille ſolo pane ſuam leuabat inediam, mendicantium ſic pauperes epulas imitatus. Habere recentes pannos ad manum, & indui attritis, in medijs famere cibis, & lautiore menſa derelicta, pane tantùm refici; credo genus eſſe martyrij, eſto præaltæ paupertatis quoque clamet indubium, & locuples argumentum. In eam Bernardus iuit ſententiam ita fatus. *Eadem promiſſio facta eſt pauperibus, & martyribus, niſi quia verè martyrij genus voluntaria paupertas eſt. Beatus vir, ait Propheta, qui poſt aurum non abijt, nec ſperauit in pecuniæ theſauris. Quis eſt hic, & laudabimus eum? Fecit enim mirabilia in vita ſua. Quid mirabilius, aut quod martyrium grauius eſt, quàm inter epulas eſurire, inter veſtes multas, & pretioſas algere, paupertate premi inter diuitias, quas offert mundus, quas oſtentat malignus, quas deſiderat noſter iſte appetitus? An non meritò coronabitur, qui ſic certauerit, mundum abijciens promittentem, irridens inimicum tentantem, & quod glorioſius eſt, de ſemetipſo triumphans, & crucifigens concupiſcentiam prurientem? Pauperibus regnum cælorum promittitur, quia paupertate emitur.* Hæc ille Bern. ſerm. 1. de omnibus Sanctis

Hieronymus noſter hoc paupertatis zelo calente, frigus æquo animo tulit: ſiquidem ingraueſcente ætate, ſolo habitu ſine ſubiecta tunica corpus effœtum texit, vnicam veſtem ſatis eſſe ratus nuditati, eſto parum eſſet frigori propulſando. Qui namque ſua lubens in ſæculo relique-

liquerat, de paupere cœnobij ſupellectile voluit eſſe diues, & id appoſitè ad mentem Sancti Hieronymi ſic Moniales inſtituentis ad ſectanda vota rigidæ paupertatis. *Nudus*, inquit, *Ieſus, nudas quærit amicas, & ſponſas. Quod ſi ipſum ſequi temporale aliquid appetens ſeu deſiderans fortè volueris, onerata grauedine nudum ſequi non poteris.*

Hieron. in regulis monachar. ad Paulã c. 3.

Ab hoc ſuo propoſito paupertatis adeo ſtrictę nequiuit abſtrahi vel latum vnguem Hieronymus, quamuis æger. Cùm enim R. Procurator Generalis ad eum infirmum iuſſiſſet quædam munuſcula tranſmitti ſaccaro condita, Hieronymus hæc remiſit, & reſcripſit munera hæc eſſe parum congrua paupertati. Sicque Capucinus ille memor inſtituti ſui, prætulit inopiam, copiæ rerum, quarum infirmitas eius poſcebat opem, & maluit egere pauper, quàm indulgendo ſibi ſanior abundare. Hac vltronea paupertate ſibi nomen grande fecit: nam cùm Magnates audirent Hieronymum etiam reſpuere munera Pontificis, nemo deinceps eſt auſus tentare viri infracti conſtantiam, munera demandando. Itaque quò pauperior erat, eò & ditior auctoritate fuit: habet hoc enim paupertas vltrò exculta decus ſuum. Ante Euangelij propagationem, plerique Philoſophi aucupati ſũt auram popularem nomine paupertatis. Imò & famoſi Duces inde ſibi conciliauere famam, vt Curius, Fabricius, Scipio, Cato, nullius omnino fuere cenſus, ſuas arbitrati diuitias, carere diuitijs. Sed quia mercati ſunt eo facinore gloriam humanã, ille finis adulterinus paupertatem eorum ingloriam fecit. Phocion vir olim Magnus in Græcia, in ea rerum omnium penuria vitam egit, vt licet Reipublicæ præfecturas gereret eminentes, tamen in aperto profeſſus inopiam nudipes incederet. Spontanea hæc paupertas egenum hominem ipſis etiam Regibus venerandum fecit: ſiquidem Alexander ille

Plutarc. in Phocione.

Ma-

Magnus accepta viri ſama, ei vim magnam auri miſit, qua inſpecta Phocion Legatis ait: Quare Alexander me hominem inopem dignatur his opibus? Quia, inquiunt illi, voluntaria hæc paupertas ſuſpicionem fecit ei abditæ probitatis. Ad hæc ſubiratus eos ſic affatus eſt: Ergonè mihi Alexander inuidet opinionem virtutis emeritæ, quam mihi conciliant diuitiæ tenaci propoſito iugiter abdicatæ? Habeat ille ſibi ſuas opes, nihil enim mihi, & illis, quippe inglorium credo homini ſeruire diuitijs, quarum contemptus me etiam fecit Alexandro Principi glorioſum. Equidem optimè vir ille maior opibus, quas conſtanter aſpernatus eſt. Eo ferè titulo paupertatis, Eccleſia, Conſtantini Magni animum inflexit ad pietatis argumenta, quæ edidit. Nempe rerum penuria, quæ ſumma fuit tunc in clero, Imperatorem illum adeo perculit, vt reſeratis Imperij gazis, ærarium ſuum exhauſerit in gratiam Eccleſiæ, cui hæc opum affluentia fuit iniuria, pietate ſuffocante matrem ſuam. Nimirum paupertas aſſueta clero fuit parens inclyta pietatis. Quæ dum Eccleſiæ opes indulſit, paupertatem extinxit, qua veluti matre ſata fuit pietas illa maxima, quam in clerum teſtati ſunt Principes, animum ſuum Chriſtianum ſic magno auri pondere comprobantes.

Ne in has impingerent cautes diſcipuli Chriſti ſectatores Euangelicæ paupertatis, hoc habuere in mandatis, ſcilicet, vt miſſis opibus Chriſtũ ſequerentur, æmuli virtutum eius, præcipuè humilitatis, manſuetudinis, patientiæ, & obedientiæ. Quæ virtutes omnes apud Hebræos vnica dictione efferuntur, ea videlicet, quæ pauperem ſonat. Nam à radice *ngbana*, deducitur *ngbani*, ideſt, humilis, pauper, manſuetus, afflictus. Ad has enim virtutes maximè conducit hæc paupertas ſpõtanea, quia repudiatis opibus, quæ ſunt veluti ſemina ſuperbiæ, homo ſic magis ad ſequelam Chriſti redditur

expe-

expeditus. Verùm enimuerò nemini Catholico inſedit, paupertatem ſeorſim ſumptam, hominem abſoluere ab aliarum virtutum praxi, cui ſinguli quique debent homines attendere. Non eſt incongrúa in hoc argumento lex Iuris Cæſarei. *Quibus*, inquit lex, *bonis ceſſerint, niſi ſolidum creditor receperit, non ſunt liberati. In eo enim tantummodo hoc beneficium eis prodeſt, ne iudicati trahantur in carcerem*. Ita qui voto emiſſo paupertatis ceſſit bonis ſuis, non liber eſt ab obligatione, quæ omnibus incumbit Chriſti Domini calles ineundi. Sed hoc ſingulare bonum nactus eſt, quod ſcilicet ſe ſubduxit rerum omnium nexibus importunis. Quod vbi Diabolus aduertit, omnem mouit lapidem, vt profeſſores altiſſimæ paupertatis diſtraheret ab hoc propoſito: quippe vafer ille hominum hoſtis certior eſt multo experimento, eum prope interitum eſſe, quem pœnitet colere paupertatem.

Leg. 1. Cod. Qui bonis cedere poſſint. lib. 7. tit. 7.

Vt igitur conſtaret ſibi Hieronymus, nec etiam rerum exilium, quæ & pertinent ad pietatem, vt ſunt imagines & roſaria, voluit ſuperfluam admittere ſupellectilem. Ideoque ſuum vnum amicum carpſit, quod miſiſſet aliquas imagines, & alia ſymbola pietatis. Sciebat ille nudos oportere eſſe pugiles in arena, & facile hunc proſterni, qui dat hoſti locum vnde teneatur. Ita Ambroſius. *Nudi in ſæculo naſcimur, nudi etiam accedimus ad lauacrum, vt nudi quoque, & expediti ad cœli ianuam properemus. Quàm autem incongruum eſt, & abſurdum, vt quem nudum mater genuit, nudum ſuſcipit Eccleſia, diues intrare velit in cœlum!*

Ambr. ſerm 10. de eo quod ſcriptum tom. 5

Erga nuditatem illam, & omnium rerum penuriam Hieronymus Narnienſis amorem ſuum teſtatus eſt luculenter, quando ſuum conueniens Guardianum, ab eo ſpecialem petijt facultatem vtendi veſte, chorda & ſandalijs, quibus erat tunc accinctus. Namque primo

harum

harum omnium rerum vſum, & ius omne in Guardiani manibus abdicarat. Vt infirmus erat, ita & proinde rebus multis ille indigebat, ſed omnia iubebat in cellam Guardiani ferri, vt precariò ſemper, & pauperum more ſuis occurreret anguſtijs. Cum audiebat aliquem Capucinum laudari ob zelum paupertatis, ille ſuum calculum adijciens, aiebat: O beatum illum fratrem, qui eſt in ſua egeſtate diues, Deo in animam eius largiter influente. Quàm ſit locuples hæc paupertas, Minutius Felix eleganter ait. *Quòd*, inquit, *plerique pauperes dicimur, non eſt infamia noſtra, ſed gloria: animus enim vt luxu ſoluitur, ita frugalitate firmatur: & tamen quis poteſt eſſe pauper, qui non eget, qui non inhiat alieno, qui Deo diues eſt.* *Minutius Felix in Octauio.*

Ita planè rerum omnium penuria confert ad virtutem, quæ corrumpitur opibus, quas plerumque ſtipat vitiorum omnium agmen. Ideoque Capucinum agens Hieronymus Narnienſis, Regum gazis, etiam morte tenus ſuam prætulit egeſtatem. Vnde accepta ſui Generalis littera cum facultate recipiendi munuſcula quædam iuxta ritum Minoribus inolitum, reſcripſit ille ſe non egere tali iure, ſed orare magis, vt ipſe Generalis omnes admoneat, ne deinceps Hieronymo Narnienſi faceſſant negotium munera tranſmittendo. Quidquid enim eſſet extra metas neceſſitatis, credidit ille rete diaboli nectentis inſidias animæ meditanti iter expeditum in cœlum; ſicut & olim cenſuit, iſta verborum ſerie Cyprianus. *Decepit multos patrimonij ſui amor cæcus, nec ad recedendum parati, aut expediti eſſe potuerunt quos facultates ſuæ velut compedes ligauerunt. Illa fuerunt remanentibus vincula, illæ catenę, quibus & virtus retardata eſt, & fides preſſa, mens vincta, & anima præcluſa.* *Cyprianus lib. de lapſis.*

Obe-

Obedientiæ exquiſitæ ſpecimina quanta edidit Hieronymus. Caput XLI.

NVPTIAE celebratæ in Cana Galilææ notant, diſpenſante Deo fuiſſe concluſas epulas illas præſentia Chriſti inſignes, inuitatis vino optimo propinato. Eſto ſecus ſe habeat omnino ritus hominum, qui primò vinum ſuauius apponũt, vt cùm inebriati fuerint homines, neſcij deguſtare vinum minoris pretij, poculis inundentur. Ita & ego votorum ſeriem texens, non annui methodo Rhetorum, qui in contextura rerum auſpicantur ab eis, quæ principem locum tenent, eis quæ inferioris ſunt ordinis ad calcem reiectis. Iuxta ritum præfatum Euangelij, mentione facta votorum, quæ Hieronymus Narnienſis excoluit, illud quod eſt præſtantiſſimum, hactenus aſſeruaui. Obedientiam intelligo, quæ reuera primas obtinet in votis: nam caſtitate caro Deo offertur, paupertate gazæ mundi procul fiunt; ſed obedientia hominem totum Deo addicit, eum ſacrum faciens holocauſtum. Ita Gregorius. *Cùm quis ſuum aliquid Deo vouet, & aliquid non vouet, ſacrificium eſt: cùm verò omne quod habet, omne quod viuit, omne quod ſapit, omnipotenti Deo vouerit; holocauſtum eſt.* Hæc ille. In gratiam obedientiæ rem dixero ſingularem: ſine virginitate & paupertate poteſt homo cœlitum albo adſcribi, ſed ſine obedientia nemo ſuæ ſalutis aſſertor eſt, ſed ruit in præceps, ea virtute penitus inconſulta.

Gregor. homil. 20. in Euang.

Hæc doctrina liquet ex incunabulis mundi: homo nimirum editus ad imaginem Dei, nactus dominium omnium infra cœlos, habuit ſanè vnde alta de ſe conciperet, arbitratus ſe rebus omnibus eminere. Sed ne hoc

tur-

turgeret faſtu regulus ille, nobilior alijs rebus ſenſibilibus, Deus illi obedientiæ iugum impoſuit, indicta lege de abſtinentia arboris ſcientiæ boni,& mali. Eo edicto Deus hominem præmonuit, ius vitæ æternæ eſſe penes obedientiam præſtitam vti par eſt, mortem verò eſſe mulctam animæ delinquentis. Nihilo tamen cautior effectus homo ille imprudens, vtpote nimis alta ſapiens, ſubduxit ſe iugo obedientię, volens eſſe ſui iuris, carpens hoc pomum ferale, quod mortis ſemina concludebat. Factum eſt ita, vt qui noluit eſſe immortalis obediendo, fieret morti obnoxius, detrectãdo Deo debita obſequia. Vt huic diſcrimini extremo occurreret Deus homini conſulturus, hominem induit, vt habitu inuentus vt homo, morem gereret ipſe Deus homini, quia noluit homo Deo iugiter obedire. Itaque ſalus hominum tota fuit obedientiæ negotium: nam Chriſtus dicitur factus obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis. Quo quis ergo propiùs acceſſerit ad obedientiam Chriſti, is etiam eò ſecurior erit de ſalute ſua, quæ alioquin deploranda eſt, dum cũctatur anima ſuum reddere Deo penſum, quod ſitum eſt in obſequio mãdatorum Dei & Eccleſiæ, cui nos etiam voluit Chriſtus Dominus obedire. Cùm ergo obedientia vitæ monaſticæ præſtantior longè ſit ea, quæ à vulgo, Dei, & Eccleſiæ legibus exhibetur: proculdubio ſtatus ille beatior erit, vtique hominem dignans ea immortalitate, qua Adam excidit imprudenter. Altioris namque obedientiæ eſt, obedire homini propter Deum, quàm ſuopte ingenio viuere obſequendo mandatis Dei, quibus omnes homines obſtringuntur.

Vt ſe totum componeret ad hanc amuſſim Hieronymus Narnienſis, hoc ſibi indixit penſum, ſcilicet viuere ſemper ad ſuperioris arbitrium: quod vt facilius ei cederet, ille refuga honorum, totius ordinis præfecturam,

quam Generalatum vocant, infracto, & conſtanti animo recuſauit. Alias verò dignitates, vt Prouincialatus, & Viſitatoris generalis, vrgente præcepto ſui Generalis inuitus ſemper accepit, ne ſecus agens læderet obedientiam, cuius amore vitam volebat agere longe ab aliorum cura, ſatis eſſe credens ſibi, ſi ſe curaret alijs obſequendo. Cùm ergo voti compos erat ille vir Magnus, & ad aliquod cœnobium ſubditus accederet, recta ibat ad cellam Guardiani, vbi deoſculata manu eius, illum ita compellabat: Pater Guardiane, tibi me totum deuoueo, neque volo quidpiam te inſcio factitare. Omne velle meum eſto penes te, ad cuius omnino nutum deſidero componere totius vitæ meæ reliquæ contexturam. Eo ſic refricante votum ſuæ obedientiæ, Pater Guardiadianus pudore ſuffuſus erat, videndo ſuis pedibus aduolutum hominem tam inſignem & famoſum, immemorem dignitatum, quas geſſerat, vt ſe humilem & obſequentem opere congruo meminiſſet. Sciebat ille, viam compendioſam eſſe ad virtutes obedientiam, vt par eſt exhibitam ei, qui vices agit Dei, qui & votis eorum annuit, qui meminere voti obedientiæ. In hæc verba iu-
Grego.l.35. rat Gregorius ille Magnus. *Sola*, inquit, *virtus eſt obe-*
Mora.c.10. *dientia, quæ virtutes cæteras menti inſerit, inſertaſque cuſtodit. Vnde & primus homo præceptum, quod ſeruaret accepit, cui ſe ſi vellet obediens ſubdere, ad æternam beatitudinem ſine labore perueniret.*

Ita ſanè referre quamplurimas victorias, obediẽtium eſt, qui dum ſe obediendo ſuperant, carnem etiam vincunt, & proſternunt dæmones inſurgentes. Etenim nulla reportatur victoria citra huiuſce virtutis opem, cuius eſt coronas decernere, & lapſis Angelis inſultare. Fauet
Gregor. in Gregorius iſta decurtata ſententia. *Cæteris quidem vir-*
1.Reg.c.10. *tutibus dæmones impugnamus, per obedientiam vincimus. Victores ergo ſunt, qui obediunt: quia dum voluntatem*

ſuam

ſuam alijs perfectè ſubijciunt, ipſi lapſis per obedientiam Angelis dominantur. Hactenus Gregorius, ad cuius præſcriptum Hieronymus Narnienſis ita vixit, vt obedientiæ cauſa bona incepta reliquerit & perſæpe. Verbi gratia dies tres impaſtos agebat ſingulis quibuſque hebdomadis; ſed accedēte ſecus imperio ſuperioris, ille ſibi quantocyus ab hoc præfato opere temperabat. Vt erat virtutis emeritæ, cœnobij fratres habebant eum velut oraculum, cuius ore ſuos componebant mores, & ſe aptabant ei praxi virtutum, quarum Hieronymus eorum oculis quotidie præclara exempla, & ſingulares ſpecies ingerebat. Sed vir ille inſignis hac cautela ſuis fratribus conſulebat, vt eos præmoneret, Guardiano prius eſſe obſequendum, ſi quidpiam aliter imperaret. Namque Deo ingrata fore dicebat obſequia, quæ inuito ſuperiore fiunt; nec aliud eſſe præſtātius holocauſtum eo, quod inſtruit anima, ſui ſuperioris nutui mancipata.

Illa Hieronymi Narnienſis diſciplina concolor eſt Sanctis, in quibus Gregorius ita fatur. *Per alias virtutes noſtra Deo impendimus; per obedientiam noſmetipſos exhibemus.* *Idē cap. 15. l. 1. in Reg.*

Quàm concors huic doctrinæ ſemper extiterit vita Hieronymi Narnienſis, videre eſt ex ſerie geſtorum eius. Ille nimirum eſto velut in perniciem ſui corporis coniuraſſet, illud macerando plagis atque ieiunijs; accedente tamen ſuperioris inuito nutu, de flagellatione, & inedia rigida relaxabat. Nempe ratus eſt ſe obedire Deo, quando morem geſſit ei, cui totum ſe deuouit, iuxta illud elogium Clementis Papæ. *Obedientia, & humiliatio, quæ magiſtris agitur, Domino exhibetur.* Vnde tenax ille ſui voti, nihil omnino fecit ſuo ſuperiore inconſulto. Erat ſane rarum ſpectaculum, videre hominem tot titulis inſignem, Prædicatorem ſcilicet Sacri Palatij, Definitorem Generalem, Viſitatorem Generalem, Pro- *Clem. Rom. epiſt. 1.*

uincialem, & ætate grauem genu flexo ante Guardianum ſuum plerumque iuuenem, humiliter petere facultatem, tondendi caput, abluendi veſtem, ſarciendi ſandalia, & alia huiuſmodi neceſſaria opera factitandi. In genere fecerat eum ſui iuris Guardianus, & meritum obedientiæ conceſſerat omnibus eius operibus: ſed Hieronymus ægrè ferens hunc honorem, non poterat abſtrahi à ſuo propoſito, ſicque ſuis ſingulis quibuſque rebus explicitum ſemper obedientiæ meritum affricabat. Eum fuiſſe morem veterum monachorum, ait Caſſianus hoc contextu. *Tanta obſeruantia obedientiæ regula cuſtoditur, vt iuniores abſque præpoſiti ſui ſcientia vel permiſſu, non ſolùm non audeant cellam progredi, ſed ne ipſi quidem communi, ac naturali neceſſitati ſatisfacere ſua auctoritate præſumant.* Hactenus ille ſpectator agonum, quos in eremo vitæ monaſticæ ſectatores olim fortiter exantlarunt.

Caſſian. l. 4. de inſtitutis Monachor.

Hieronymus Narnienſis tanti fecit explicitam hanc virtutem obedientiæ, vt etiam faſtidium fecerit ſuperiori pertæſo dare facultatem toties quoties Hieronymus vel minimum quid parabat aggredi. Vnde ſemel quiſpiam ita Patrem hunc venerandum affatus eſt: Superſede Pater in poſterum & noli faceſſere negotium Guardiano, cui moleſtus es adeundo ſæpe cellam eius, vt conſulas, habiturus ſit nec ne gratum, illud quantulumcumque paras agere. De minimis vt non curabat olim Prætor, ſic neque Guardianum fas eſt laceſſere de re tenuis argumenti. Itaque ſatis eſto tibi facultas illa generalis data tibi, omne quod occurrit, ad arbitrium tuum concludere: merito namque tuo non excides, ſi illa generali facultate fretus agis, nulla prorſus obtenta alia facultate. Hieronymus ad hæc ingemuit, ſicque ſuum prodidit ingenium reſpondens ad præfata: Fili longè lateque ſerpit error ille, quo deuius & tu propero greſ-

ſu

ſu fereris in abruptum. Tãtum abeſt, vt ſit iactura temporis ad omnia conſulere Guardianum ſuum, vt ipſo annuente bonis auſpicijs tale decurrat opus: quinimò lucrum ingens inde manat, illa nimirum, quæ ſuapte natura nullius ſunt ponderis, & momẽti, ſi meritum obedientiæ influit, iam cedunt in lucri opimi maximum incrementum. Ideoque deploranda fratrum eſt negligentia, qua inualeſcente nemo ſibi attendit, eſtque rarus, qui curet adijcere meritum ſanctę obedientiæ vernaculis actibus ſuis; & hinc oritur non iactura leuis, meritorum ſcilicet ingens deperditio, magno vtiquè animæ detrimento.

Præſtat audire in hoc themate ſententiam Fauſti Regienſis, qui Auguſtino fuit ſuppar. *Sciendum eſt*, inquit, *quod quantò humiliores, & obedientiores fuerimus præpoſitis noſtris, in tantùm obediet Dominus orationibus noſtris. Videamus, quàm acceptabilia ſunt Domino vel opera, vel ieiunia illorum, qui ſuis potius quàm ſeniorum voluntatibus obſequuntur. Clamant illi: Quia ieiunauimus, & non aſpexiſti; humiliauimus animas noſtras, & neſciſti. & ille reſpondens: Ideo, quia in diebus ieiunij veſtri inuenitur voluntas veſtra. Videmus ergo, per inobedientiam animorum opera non reſpici, ieiunia non audiri, vota non ſuſcipi.* Hæc ille, ſuum calculum adijciens modo procedẽdi, cui Hieronymus Narnienſis ſedulus inſiſtebat. *Fauſtus Regienſis ſermon. ad Monach.*

Præter hæc recenſita, Capucinus ille ſibi ſemper ſimilis, ita reuerenter accepit omnia ſibi impoſita à ſuperioribus, vt ſecluſa impoſſibilitate nihil vnquam reſpuerit, tergiuerſando tantiſper, aut vllas excuſationis ſpecies prælatorum auribus, vel oculis ingerendo. Vnde ſemel accepto Patris Generalis edicto, vt quantocyus ſcripto ſuam ſententiam tranſmitteret circa graue negotium, difficile, & ſpinoſum; ille licet infirmus ſtatim obedijt, & ſeptemdecim horas continuas ſcribendo inſumpſit,

ægrotare malens, quàm videre ſuam obedientiam paululum infirmari. Denique nullas prætexendo moras, neque ſe excuſans in arduis præceptis, Hieronymus perfectæ obedientiæ partes omnes ille expleuit. Etenim ex Gregorio. *Vera obedientia nec præpoſitorum intentionem diſcutit, nec præcepta diſcernit: quia qui omne vitæ ſuæ iudicium maiori ſubdidit, in hoc ſolo gaudet, ſi quod ſibi præcipitur operatur. Neſcit enim iudicare quiſquis perfectè didicerit obedire, quia hoc tantùm bonum putat, ſi præceptis obediat. Vnicum bonum eſt ad recuperationem vitæ obedientia, ſi inobedientiæ culpa malum ſufficiens fuit ad perpetrandam mortem.*

Greg. lib. 2. in lib. 1. Reg cap. 4.

Charitate in proximum Hieronymus ſemper efferbuit. Caput XLII.

SVPERSTITE Rege Perſarum, patrio more focus erat accenſus, ſed eo de medio ſublato focus etiam de camino ſuo, ritu illic ſolito tollebatur. Ita & præſente Deo cordi hominum, viget illic amoris incendium. Ideoque Thomas anteſignanus in agmine Doctorum ait, charitatem, & gratiam eſſe res indiuiduo nexu concolores, ita vt nuſquam ab inuicem in anima diſpeſcantur. Cùm ergo Deus intimè adſtiterit Hieronymo, fuit & in Hieronymi eiuſdem corde viuax amoris incendium, vt ſupra feci palàm, cùm dixi, calore etiam ſenſibili è corde ſaliente Capucini huius, incanduiſſe veſtem: quod reuera fuit indubia teſſera charitatis. Quæ vt eſt bimembris, ratione Dei, & proximi, circa quos illa fertur; expedit hic recenſere viri inſignis charitatem in proximum, charitate in Deum ſupra, id eſt, vigeſimo octauo capite recenſita. Quia conſtat homo corpore & anima, Hieronymus in vtramque partem

tem

tem, ſuam charitatem exercuit, nam impos erat videre malis oppreſſos homines, cuiuſcũque forent hi generis, atque ſortis. Cùm iter ageret pluuia inundante vias, appulit ad torrentem, cuius alueus turgebat aqua extemporanea redundante. Reperit illic pauperem gemebundum, & anxium, quia non ſe audebat aquis committere: ille ſuis incunctanter hunc humeris imponit, ſicque tumentes traiecit aquas alacrior, onuſtus hoc pondere pietatis.

Dum ſe huic operi accingeret, ſocius eius veneratus merita tanti Patris, obſtitit vt potuit, ne præfatus ille Pater hoc onere impeditus aquas præcipites ſubiret, vitæ cauens eius, adijciens ſe præſtare viribus ac proinde tutò functurum hoc munere charitatis. Sed omnia hæc incaſſum: nam ille valens plus opere, quàm ſermone, fecit in gratiam pauperis illud omne, quod egenus ipſe querulus exoptarat. Aduertit aliquando ſacriſtam cœnobij ſuo ſomno detrahere, & vigilem expectare ſonum horologij, vt ad pſallendas horas nocturnas fratres condicto tempore conuocaret. Hieronymus vt conſuleret ſanitati huius fratris indigi ſomni, hanc curam ſibi impoſuit; ita vt deinceps ille locis in pluribus has egerit vices ſacriſtæ, ne præfata anxietas pulſandi campanam, ſacriſtarum eſſet iniuria ſanitati. Sicque Pater tantus officium exercebat fratris in cœnobio iunioris, vtpote lucernas accendens, & ſtans pendulus ad campanam, vt charitatis ergo tantillum ſolatij, ſuo etiam diſpendio poſſet fratribus impertiri. Cùm in refectorio alicui pœnitentiam iniunxerat, vt nihil in prandio præter aquam & panem aſſumeret, ſtatim ille motus miſericordia appoſitum ſibi obſonium mittebat ei, quem mulctarat; & ipſe luebat pœnas, quas alijs indixerat, malens ipſe pati, quàm videre alios anxiari.

Vt pauperum maiores ſunt anguſtiæ, ſic erga tales ar-

debat eius amor, ideoque ianitori aſſuetus erat dicere, caueret ſolicitè, ne recederet vnquam aliquis pauperũ indonatus. In eo argumento præclaram adijciebat ſententiam iſtam: Nullam reddemus rationem Deo rerum, quas beneficio noſtro pauper acceperit; ſed annonæ, quæ concluſa latet, exquiſita ratio cenſore Deo ipſo, à malè ſibi conſcijs exquiretur. In communi penuria, deficiente pane, & ingraueſcente malo, conquiſita leguminum copia, occurrit inediæ pauperum, qui turmatim ad aperta cœnobij oſtia confluebant. Appoſiti ſibi in menſa panis partem, imo & obſonia ipſa mittebat pauperibus; etiam quandoque panem totum egenis mittebat, ne Chriſtus impaſtus in paupere remaneret. Cùm audiebat pulſari fores cœnobij, ſtatim inquirebat, an illic eſſent homines mendici, & curabat eis ſubitò panis aliquid indulgeri. Occurrit vt eo viſitante pauperes ad ianuam ante horam prandij, vnus egenorum haberet panem ex glande confectum. Eo viſo pane Pater obſtupuit, & pauperi abſtulit, præcipiens ianitori vt pauperi afferret panem, qui ei fuerat in menſa deſtinatus. Annuit ille, portionemque Patris dat mendico; cuius panẽ è glandine ſecum portans Hieronymus ad menſam, fruſtulum vnicuique dedit fratrum, vt eos ad compaſſionem pauperum excitaret. Ille verò panis huius acerbi maximam partem comedit, alluendo fletu copioſo panem illum, quo ingrato & aſpero, illa tempeſtate plures inopes & miſeri paſcebantur. Impertita ſibi fruſtula ſinguli quique fratres pietate moti comederunt ſuſpirantes, ſe aliàs fortè Deum offendiſſe magis quàm pauperes illi, qui tamen pane illo auſtero luebant pœnas Numini ſubirato.

In concione frequens erat in conciliando affectu erga pauperes. Vnde ſemel adſtante Papa Gregorio Decimoquinto ſtipato ſacro collegio, oratione benè ſuada

ſic perculit auditorum animos,in gratiam mendicorum, vt Pontifex induerit omnes pauperes vrbe tota illo tẽpore conquiſitos. Vt audijt Eminentiſſimum Cardinalem Lanti renuntiaſſe Epiſcopatui Tudertino, cui præfuerat hactenus, ægrè tulit ille,ratus eſſe pauperum cauſam,ab hoc Præſule deſtituram. Eam ob rem epiſtolam miſit, qua potenter vrgebat Cardinalem, ne pauperum immemor illam deſereret Eccleſiam,in quã adminiſtrãda, vices egerat optimi paſtoris, Chriſti gregem ſedulò moderantis.Quia Cardinalis ille parens erat pauperum, iniquo tulit animo Hieronymus eũ ſe abdicaſſe ſuo epiſcopatu, timens ſucceſſori,ſicut & egenis, ne ſcilicet iſti fame forent enecti, nimis forſan altero ſaturato. Cùm iter ageret Hieronymus, habebat ſemper in ſacculo panes, vt eos in egenos obuios erogaret. Deficiente pane, quo pauperes reficeret, recitabat pro eis coronam Sanctiſſimæ Dei Matris,vt eorum anguſtias propitius Deus ſua ope congrua ſubleuaret.

Erga infirmos erat totus: quippe ſanos nolens accedere ad cellam ſuam; cùm erant infirmi, ille ſolers adibat, mundando matulas, aliaſque fæces, & hoc antelucanis horis, ne quis eum in hoc charitatis munere præueniret. Vt erat ille infirmus, & famoſus vtique notus toti Italiæ, multi confectiones ei mittebant: ſed ille intactas diuidebat alijs infirmis, nihil omnino ſua curans mala, vt obſtaret pro ſua facultate malis aliorum infirmorum: Quos eo nomine potiſſimum inuiſebat, vt caueret, ne quid deeſſet eis. Sed vt anima potior eſt corpore, ita Hieronymus Narnienſis erat maximè ſolicitus, vt infirmi æquo animo ſuas acciperent anguſtias, ne alioquin meritis exciderent, quibus vnaquæque ſtipatur infirmitas, excepta ſicut animo congruit obſequenti. Eam ob rem ſolabatur ægros, & omnem ſuam conferebat induſtriam, vt ſe ad arbitrium Dei compo-

nerent, dicens infirmitatum tempus eſſe tempeſtatem fructuum legendorum; nihilque patienti ſuauiter animæ deperire.

Amoris in proximũ ſumma fuit, diligere oſores ſuos. Vt nãque fuit Hieronymus Viſitator Generalis, & Prouincialis, auſteræ diſciplinæ tenax, & neminem palpans; vt etiam diu in palatio partes egit prædicatoris Apoſtolici, coram Pontifice & Cardinalibus: ita ſuo quandoque zelo licet inuitus multos offendit, qui ſe ei iniurios opportuno tempore præſtiterunt. In his vnus atroces in eum calumnias ſparſit, eique literam infamem ſcripſit, qua ſtylo mordaci virum hunc innoxium peſſimè laceſſebat. Hieronymus epiſtola hac perlecta, timens animæ auctoris, eam appoſuit ad pedes Crucifixi; vbi & proſtratus ipſe fletu abundante madens enixè Deum orauit, vt huic æmulo ſuo parceret, & pro illato ſibi malo, congruas ei gratias impertiret. Rurſus audijt aliquem eſſe deprehenſum & conuictum à Prouinciali ob calumnias in ipſum Hieronymum confictas: omnem ille mouit lapidem, ne quando reus à ſuperiore ſuo, vt par erat rigidè plecteretur. In ſuis orationibus, & præſertim in ſacroſancto Miſſæ ſacrificio, ſpecialem facere ſolitus erat mentionem omnium, à quibus aliquod faſtidium acceperat: reſque fuit eximiæ charitatis, videre Hieronymum miſſa ſibi munuſcula dirigere ad quempiam, qui eum grauiter offenderat, notas ei peſſimas inurendo. Eſto rarus eſſet in horto cœnobij, ſiquando tamen aliquis oſor eius ad illum locum accederet, ille ſui velut immemor moris, eiuſmodi homines ſuo dignabatur alloquio, & conſortio, adiectis ad hæc eximiæ charitatis omnibus argumentis.

Si quis eo præſente carperet inimicos eius, & ſiniſtrũ quidpiam iactaret de his, qui ſe iniquos Hieronymo præſtiterant; ille ſtatim indicto ſilentio, ſic probabat

nolle

nolle radi vitam abſentium, etiam æmulorum. Duobus argumentis vtebatur ille, ſuos vt inimicos diligeret. Primò aiebat, eos, qui aliquando Martyrij pro Chriſto ſubeundi deſiderio perciti ſunt, tempore irrogatæ iniuriæ debere ſui meminiſſe voti, ſeu Martyrij optati, & cogitare inimicos eſſe tortores, & tyrannos, quorum tortura lata patienter conducit ad æterna gaudia demerenda. Et reuera genus eſt Martyrij, Dei ſolius intuitu ſæuientes in nos gratis inuidos ferre patienter, fundendo preces pro eiſdem, vt opportuno tandem tempore reſipiſcant. Præterea contra bilem æſtuantem, & accenſam infernali foco, id eſt memoria iniuriarum, ſe armabat recolendo Paſſionem Chriſti. Chriſtus, inquiebat ille, necem pro me inimico ſuo, vltro lubenſque ab inimicis illatam appetijt, vt & atrocem famæ ſuæ læſionem. Vt & ego vices aliquales ei rependam, expedit & illatas iniurias minimè detrectare. Eo ſe præmunijt argumento Chryſoſtomus contra motus inſurgentes in aduerſarios noſtros. *Vidiſti*, inquit, *Deum hominem fieri, & eò vſque pro tua deſcendentem ſalute, tantaque propter te eſſe perpeſſum: & adhuc inquiris, & dubitas, quemadmodum poſſibile ſit iniurias donare conſeruis?* *Chryſoſt. homil. 18. in Matth.*

Eodem Chriſti patientis intuitu, vt ſalutari antidoto Bernardus vtitur contra omnem iniuriarum ſenſum, vt ſi quis ſit vindictæ aculeus, ille Paſſionis Chriſti memoria ſubitò retundatur. Sic ille Deum in humanis affatur. *Te perditiſſimi traditoris tui perfidia non latebat, quando in cœna oblationis, etiam coram ipſo genu flexo procumbens maledictos pedes eius, veloces ad effundendum ſanguinem tuum, ſanctiſſimis manibus tuis attrectare, lauare, & extergere dignatus es. Cur autem adhuc extento collo meo ambulas ò terra, & cinis? Adhuc te ſuperbia eleuat? confundere in ſuperbia tua, & erubeſce in patientia ſua.* Hæc Bernardus, cuius conſilio acquieuit Hieronymus Narnienſis, *Bern. ſerm. de Paſſione Domini.*

qui

qui aliquando calumnijs appetitus & grauiter læſus, aiebat amicis ſuis: Nondum congruas ego vices Chriſto rependi, vtpote non occiſus, & flagellatus ab inimicis meis amoris eius gratia, ſicut & ille amore mei moriens acerbos pertulit inimicos. Ita Capucinus ille ſuas Chriſti felle plagas condiebat: præterea ne iniuria ingraueſcente ſenex ille fatiſceret, cogitabat æmulos ſuos in ſuam ipſorum perniciem inſoleſcere, & conciliare ſibi iram Dei. Ideoque deflens eorum proteruiam, non vltrò remittebat eis tantùm; ſed largo lacrymarum imbre madens impensè Deum orabat, vt ſuis æmulis indulgeret.

Illa fuit olim parænesis, ſeu admonitio Chryſoſtomi. *Frater*, inquit, *tuus iniuria te affecit: lacrymare non ob tuam iniuriam, ſed ob illius exitium; ſicut Chriſtus Dominus Iudam fleuit, non quando ipſe crucifigebatur, ſed quando ille prodebat. Iniuria te, & conuicio affecit. Deum obſecra, vt ſtatim illi propitius fiat: iram fræna, quoniam quidem ille lethalem accepit plagam, quoniam ipſum vulnerauit Diabolus. Ne igitur & tu præterea ferias, ne te ipſum vnà cum illo deijcias.* Hactenus Chryſoſtomus, & equidem appoſitè ad praxim inolitã Hieronymo Narnienſi, qui noluit reciprocas iniurias oſoribus ſuis, ſed gratiam erogare. Quippe cauendum, aiebat ille, ne conſumerentur inimici, dum ſeſe virulentis morſibus impetebant. Hoc ab Apoſtolo Paulo didicerat, cuius & conſilio ſe aptauit Academia Altorfina propoſito emblemate, vbi falco transfixus erat roſtro ardeæ, quam innoxiam antea laceſſebat. Tabulæ titulus iſte fuit. NVLLA SALVS BELLO. O vtinam omnes hoc effatum recolerent excandeſcente bile! cautiores profectò forent, cogitantes nulla ratione reum ira feruente peti, quin vindicta trahat & reatum grauem, ipſo Deo vindice recenſendum. Cùm ergo NVLLA SALVS BELLO, præſtat

Chryſ. hom 8. in ep. Pauli ad Rom.

Lib. ſymbol. Academiæ Altorfinæ.

ſtat iniuriarum omnium ſummam commendare Deo, vt ipſo miſerante, nobis mereamur veniam alijs impertitam.

Morte inſtante quomodo Hieronymus ſeſe aptarit ad hunc agonem extremum. Caput XLIII.

ASSERTORE Diodoro Siculo, Beleſis homo induſtrius ex Chaldæa oriundus, ea die, qua Arbaces Niniuen oppugnauit, audiens ab Eunucho Sardanapalum prædiuitem Regem, coacta magna lignorum ſtrue circa ſuas ædes regias viuum conflagraſſe. Ille inquam Beleſis ſuſpicatus magnam vim auri recondi cineribus illius incendij, callidè acceſſit ad Arbacem, dicens ſe voti cauſa expetere cinerum cumulum, qui aſſurgebat ex regijs ædibus explanatis: ſe etenim velle deferre Babylonem cineres hos in templum Beli Dei Chaldæorum. Annuit Arbaces neſcius indolis aſtutæ, qua Beleſis actus hos cineres expoſcebat. Itaque annuente Rege, Beleſis ad arbitrium ſuum, magnum cinerum pondus in grandia vaſa congeſſit, vnde eruit cautè latentes opes, & ſic euaſit in virum ditiſſimum. quo audito, & ipſe Arbaces ſanxit euoluendas eaſdem cinerum reliquias, quæ etiam hominem illum induſtrium effecere locupletem. Ea cautela ſibi prouidit Hieronymus Narniẽſis: ſuos quippe ſecum cineres mente ferens, animoque fatum ſuum verſans, magnum inde fecit gratiæ prouentum, ſic eius anima diteſcente. Quoties enim aliquis eum increpabat, quòd inedia, & vigilijs eſſet iniurius corpori ſuo, ſtatim ille ſuos cineres, id eſt, mortem inſtantem animo reuol-

Diodor. Sicul. l. 2.

reuoluebat. Quare,inquiebat ille,obſtatis, ne me accingam ad mortem, quæ quotidie eſt in procinctu? Et eſto foret ſera dies hæc extrema, tamen ad eam tutò ſubeũdam nullus eſſe poteſt nimius apparatus. Vnde cùm forte cita dies ſit affutura necis, ne incauto illudat,mearum partium eſſe credo,præuenire fatum congruis operibus; ne ſi imprudenter indulgeam animo, me dies illa repentina ſibi rapiat imparatum. *Quotidie morimur, quotidie enim demitur aliqua pars vitæ, & tunc quoque cum creſcimus, vita decreſcit. Infantiam amiſimus, deinde pueritiam, deinde adoleſcentiam: vſque ad heſternum quidquid tranſit temporis perit: hunc ipſum, quem agimus diem, cum morte diuidimus.*

Senec.ep.24

Hieronymus itaque memor mortis,illo antidoto frãgebat omne virus tentationum, vt pharmaco ſalutari. Sicque fidem fecit Gregorio, cuius hæc eſt ſententia. *Perfecta vita eſt mortis meditatio, quam dum iuſti ſolicitè peragunt, culparum laqueos euadunt: vnde ſcriptum eſt: In omnibus operibus tuis memorare nouiſſima tua, & in æternum non peccabis. Vnde & beatus Iob, quia dies ſuos conſiderat breuiari, & ſolùm ſibi ſupereſſe ſepulchrum penſat; aptè ſubiungit, Non peccaui.* Hæc ille. Illa recenſio mortis aſſidua familiaris Hieronymo Narnienſi, fecit ei facilem tranſitum, qui alijs eſt horrori: intrepidus namque vidit mortem pro foribus, vltro lubenſque ei occurrit: nam ſeptuagenarius & corpore effœto malis, vt ſenſit inſtare diem extremum, diligenter ſe accinxit ad agonem illum fortiter exantlandum. Præſcius namque fati ſui,ſecedens ex Vmbria dixit ſe nuſquam eò rediturum, ſed Romæ moriturum. Ingreſſus cœnobium ait Guardiano:Pater,te adiuuante,diem extremum hìc obibo. Conciones eius aliquot mandabantur typis, quibus & ille vigil attendebat: Et eſto ſatis pro ætate ſua valens eſſet, ſæpe ſæpius dixit, ſe obiturum ſtatim atque

Greg.lib.13 Moral.c.10

typis

typis cuſæ forent illæ conciones, quibus antea deſudarat. Dixiſſes pepigiſſe fœdus cum morte, vt ad condictum diem accederet: & reuera fidem fecit præſagijs. Itaque octo dies morti præambulos Hieronymus Narnienſis egit in ærumnis,& cruciatibus, multis vſquequaque malis eius corpore laceſſito.

Increbreſcente fama decubitus extremi, præfati Patris, Papa Vrbanus Octauus è palatio ad cœnobium acceſſit die ſacra Natiuitati Deiparæ; vbi peracta re ſacra petens à Patre Procuratore Generali,quomodo ſtaret Hieronymus, vt audijt illum peſſimè ægrotare, ait ſe eo intento veniſſe,vt eum inuiſeret,& qua poſſet gratia dignaretur. Vbi conſtitit de mente Pontificis, concurrerunt fratres aliqui, vt cellam ægri aptarent,vt decebat intoitum Papæ. Sed vt Hieronymus vidit parari flores,& alia ornamenta minus congrua pauperi Capucino, noluit paupertatis oculos offendere, vt captaret beneuolum intuitum Vrbani, qui non proinde dedignatus eſt ſubire cellulam omnigeni neſciam apparatus. Pontifex ingreſſus cum tribus Cardinalibus, manum ſuam ei obtulit oſculandam: ſed ille moribundus ait ſe indignum hac gratia, vtpote cui pedes ſatis erant oſculo recolendi. Pontifex ei dixit ſe facere omnia altaria priuilegiata vice illa, qua ſacerdos quilibet celebraret pro anima ipſius, ac proinde ſecurus eſſet de gratia Dei, & inde gloria ſequutura. Adiecit, ſeſe intimo affectu commendare precibus eius, ne oneri ſibi impoſito ſuccumberet. Reſpondit Hieronymus, ſe miſerum eſſe peccatorem, & non pertinere ad ſe orare pro tanto Pōtifice, ſed Religionem totam Capucinorum facturam illi voto ſatis, quam tot & tantis gratijs obſtringebat. Diſceſſit tandem Pontifex, impertita ei benedictione Apoſtolica & dereliquit ægrum, qui animæquior inde factus,concepta ſuæ ſalutis fiducia,Deo egit gratias im-

mor-

mortales; & abeunte Papa ratus ſe vidiſſe Deum, cuius ille vices gerit in terris, Hieronymus vt emoriẽs cygnus Simeonis Canticum dulciter occinebat. Ingreſſus namque frater, eius curam gerens audiuit eum obortis præ gaudio lacrymis ſic orantem: *Nunc dimittis ſeruum tuum Domine, ſecundum verbum tuum in pace. Quia viderunt oculi mei ſalutare tuum.*

Ingraueſcente fama morbi extremi Patris Hieronymi, in cœnobium confluxere multi Cardinales viſuri Hieronymum. In his vnus pietate clarus, vtroque genu flexo Patrem enixè rogauit, vt ipſum benedictione ſua dignaretur: quod reuera fuit moleſtum ægro, ferenti iniquo animo videre purpuram proſtratã infra pedes Capucini in ſuo lectulo morientis. Reuerendiſſimus Pater Generalis inclytæ Societatis Ieſu acceſſit, & inuiſit Hieronymum, qui eum orauit, vt ſe commendatum haberet precibus Societatis. Cui ille ait ſe facturum, vt Societatis omnes Sacerdotes facerent rem ſacram in gratiam eius: & inde ſolamen ingens accepit, multaque præclara fatus de morte inſtante Patrem Generalem rapuit in ſtuporem, qui vt ſe commẽdauit eius orationibus, exiens ait adſtantibus: Dehiſcente vita Hieronymi, non fatiſcit eius animus: quidquid loquitur, illud eſt oraculum, ex grabato ſuo pulpitum facit, vnde crebras dictat ſententias. Alia multa Pater ille Generalis ait, vnde palàm fecit, quantus eſſet Hieronymus morti occurrens animo cataphracto.

Pauló poſt acceſſit Reuerendiſſimus Pater Nicolaus Riccardus Magiſter Sacri Palatij, qui doctrina, & ingenio tantum excelluit, vt vulgo loco prodigij eſſet, dictus ideo Romæ Padre Monſtro. Vir ille ſuo ſæculo clariſſimus, magnam cum Hieronymo Narnienſi affinitatem contraxerat, quem ſæpe ſæpius ex pulpito Sacri Palatij viderat intonantem. Ingreſſus ille Patris Hieronymi

mi cellam, & eo viſo iacente ſupra ſuum ſtratum verſus Crucifixum illic appoſitum, largo lacrymarum imbre madens, ait: Domine, quo moderante dies noſtri vergunt ad occaſum, oro vitæ meæ ſeriem iam concludas, vt Hieronymus ſit ſuperſtes. Scis ô ſcrutator cordium Deus, quàm ſincerè loquar, & exponam votum illud de profundenda mea vita, vt Hieronymus ſit ſuperſtes, & propagetur eius vita tempore diuturno. Hoc anhelo voto in gratiam Hieronymi emiſſo, Pater ille Reuerendiſſimus genu flexo petijt benedici à Hieronymo, qui ex aduerſo petens hanc gratiam enixè, fecit vt oriretur inter illos rixa humilitatis, quæ ea conuentione finita eſt, vt Reuerendiſſimus Pater Magiſter Sacri Palatij prior benediceret Hieronymo, reciprocas quoque vices eidem poſtea repenſuro. Hinc & inde ſoluto pietatis illo officio, & mutuis precibus expetitis, ex morientis cella pedem retulit præfatus ille Reuerendiſſimus Magiſter, cultor eximius Hieronymi Narnienſis. Paucis inde morulis interiectis, vir inſignis venit nomine Cardinalis Ludouiſij, qui Protector erat Ordinis, & nomine Eminentiſſimi Cardinalis huius benedictionē ſedulus expetiuit.

Triduo ante mortem aduocans Patrem Procuratorem Generalem, ſe abdicauit officio Vicarij Generalis, vt moreretur ſubditus; ei totam religionem, & præcipuè Prouinciam Vmbriæ, commendans intimo affectu. Dictauit & literam, quam iuſſit mandari in omnes Prouincias. Illa epiſtola breui hortabatur omnes ad regulæ obſeruantiam, & humiliter ab omnibus veniam expoſcebat, ſi quid in ſuo regimine offendiſſet, proteſtans ſe omnia zelo feciſſe, & non æſtu paſſionis alicuius animum vindictæ ſtimulo laceſſentis. Demum concilians ſibi affectum omnium, emendicando preces pro requie æterna ſuæ animæ, concluſit hanc literam; quæ vt accepta eſt procul afflixit omnes, qui reſciere diem extremum

mum

mum præfati huius Patris, morte tenus ſuos intimè diligentis. Sæpius illo octiduo pane ſacro paſtus eſt, ea reuerentia qua potuit, id eſt genibus flexis. Abdicato Generalatus officio petijt viaticum, quod & ieiunus accepit reuerenter. Et eſto malis eſſet fractus, & acerbo dolore cruciatus, ita vt ferè motus eſſet impos; ingrediente tamen ſacerdote cum hoſtia ſalutari,ille memor ſui feruoris inoliti, nihil cunctante dolore exclamans, ait: *Domine hic vre, hic ſeca,dummodo in æternum parcas: auge dolorem,auge & patientiam*. Et quaſi reſumptis viribus, quas omnes collegerat, vt ſe decenter aptaret ad hāc gratiam,excepit hoc ſalutare pignus,exhibitis antea pietatis præcipuæ maximis argumentis. Confluxerant eò pluſquam quadraginta fratres, quos blandè affatus dimiſit aſperſos lacrymis.

Sacerdotem, cui facta prius confeſſione generali ſeſe totum commiſerat,habuit ſemper adſtantem,cui ſubinde noua ſuggerebat expetens abſolui, à minimis etiam deliquijs. Vita fatiſcente Pater Procurator Generalis, vnà cum Guardiano loci protulit oleum, quo extrema fuit ei vnctio miniſtrata.Hoc Sacramento accepto moribundus ille ſenex recitauit ſubmiſſa voce Pſalmum, *Laudate Dominum omnes gentes*. Petijt ſibi legi Paſſionem Domini ſecundum Ioannem, & inſtante aurora dici Miſſam pro agonizantibus.Sacerdotem miſerat Loretum morbo ingraueſcente,vt Deiparam pro fęlici exitu ex hoc ſæculo ſuo nomine demereret. Virgo Beata votis eius, vt piè creditur, obſecundans optatum eumque fauſtum tranſitum obtinuit: ſiquidem eadem hora, qua Sacerdos ille fecit rem ſacram in Sacello Lauretano, fœliciter obijt Hieronymus, qui ſe tot cautelis ante diem extremum præmunijt,vt certiorem ſuam ſalutem efficeret. Quippe memor mortis, & iudicia Dei recolens,ſemper intremuit. Vnde R. Patre Generali Ieſuitarum

tarum ei moribundo dicenti: Pater eſto memor mei in cœlis, quibus es vicinus; ille ſtatim ait, querula voce gemens: Pater mi, morti quidem, quæ eſt in procinctu, vicinus ſum; ſed non cœlis, nempe Dei iudicia alta, & hominibus inuia ſemper timui, ne in extremis deficerem, cenſore Deo in extrema illa morula ſæuiente. Semper animus inhorruit ad memoriam momenti huius, ex quo pendet æternitas.

Fuiſſe viris ſanctis hunc timorem, multis etiam liquet hiſtorijs. Sanctus Hilarion grandæuus, & octogenarius virtute potens & famoſus gratia miraculorum, expauit in agone, licet à Deo multis animæ dotibus inſignitus. Sic eius cum morte conflictum deſcribit Beatus Hieronymus. *Iam modicus calor tepebat in pectore, nec præter ſenſum quidquam viui hominis ſupererat: & tamen apertis oculis loquebatur: Egredere, quid times? egredere anima mea, quid dubitas? ſeptuaginta propè annis ſeruiſti Chriſto, & mortem times? In hæc verba exhalauit ſpiritum.* Hæc ille, cui & apprimè quadrat illud ſolenne effatum Sancti Abbatis, quem cùm in extremis flentem aſpexiſſent alij cœnobitæ, ſic eum hortati ſunt: Animæquior eſto Pater, ſiquidē inſtat hora tuis decreta meritis æterna laurea recenſendis. Illibatus namque tenor vitæ tuæ conciliare debet tibi fiduciam magis, quàm timorem: tot virtutes & egregia facta clamant, omnia eſſe tibi ſarta tecta, ideoque locum eſſe iubilo potius, quàm terrori. Ad hæc venerandus Abbas alta trahens ſuſpiria, ſic reſpondit: Heu fratres, iudicia Dei, & hominum, non concordant. Quæ humanis oculis illudunt opera credita digna cedro, ſubiecta diuino examini, à Deo plerumque, vt ſincero iudice condemnantur. Acta mea fortè fuerunt vitia, quæ vos tamen virtutum pallio dignamini. Viæ Dei, non ſunt vt hominum, ideoque mihi timeo, ſatius eſſe credens cum timore, & tremore opera-

Hieron. in vita Hilarionis.

Ex vitis Patrum.

ri ſalutem,quàm me in extremis perdere præſumendo. Quàm ſint hæc tremenda Dei iudicia occulta, liquet ex diſcrimine Iudæ, & aliorum, quorum exitus infauſti, & reprobi,exordia vitæ ſanctiſſimæ miſerè corruperũt. Hoc perpendit accuratè Chryſoſtomus,ita fatus: *Iudas filius regni erat, audiuitque vnà cum diſcipulis alijs illud, Super duodecim ſedes ſedebitis: factus eſt autem gehennæ filius. At verò Aethiops, quamuis barbarus quidem eſſet homo, & vnus eorum, qui ab ortu, & occaſu erant, vnà cum Abraham, Iſaac, & Iacob æternis bonis fruetur. Id ipſum in nobis quoque nunc fit: nam multi erunt, ait, primi vltimi, & vltimi primi.*

Chryſoſt. homil. 27. in Math.

Itaque Hieronymus Narnienſis tremula mente ſibi conſuluit: licet enim charitas foras mittat timorem ſeruilem,ille tamen amor ſacer,& timor filialis,non diſcordant: quippe timet omnis amans illum offendere,cuius amore percitus eſt, itemque metu concutitur, ne excidat amore ſui dilecti. Vnde nihil à ſe humani alienum putãs Hieronymus,æuum omne,quod Capucinus egit, ſuſpectum ſemper habuit, ne quando Dei gratiæ deliquium, ſuo vitio pateretur. Ideoque quotidie multus erat in petenda perſeuerantia,quam ſciebat eſſe Dei donum ſingulare: Et hoc ſanè fuit, argumentum humilitatis eius,qua benè ſuada nihili fecit omnes agones ſuos & laudabiliter à ſe opera perpetrata. Habuit frequenter ad manum hunc Dauidis verſiculum: *Deus docuiſti me à iuuentute mea, & vſque nunc pronuntiabo mirabilia tua, & vſque in ſenectã & ſenium, Deus ne derelinquas me.* Quamuis enim nullius omnino reatus lethalis eſſet ſibi conſcius homo ille Deo charus, non auſus eſt ſibi finem beatum promittere, niſi Deo propitio facto precibus indefeſſis. Et quò propior inſtabat extremus dies, eò crebrior eius erat oratio eiuſdem gratiæ intuitu: & ne indonatæ forent preces illæ fuſæ crebrò, has ille etiam in agone

Pſal. 70.

agone conſtitutus largis fletibus aſpergebat. Eo intento fratrum omnium Romæ degentium preces expetijt, gratumque fuit illi, ſanctiſſimo Sacramento expoſito, fratres excubias agere, ne callidus hoſtis per cuniculos ſeſe latenter inſinuans, illud perſeuerantiæ donum nequiter impediret. Sciebat ille plures illo tempeſtiuo excidiſſe dono in extremis, irrepente ſui cõfidentia nimia, aut vrgente deſperatione, viam ad veniam præcludente, magna Dei iniuria. In his medijs anfractibus Hieronymus ne deuius aberraret à ſalute, Deum quotidie conſuluit, eumque ſibi demeruit multifariam, ne morienti ſibi deeſſet illa gratia perſeuerans.

Ne quis ignauiæ Capucinum illum inſimulet, quaſi nimis ſolicitum de illo perſeuerantiæ dono; non erit abs re obiter inſinuare, ſalutis noſtræ ſummam eſſe penes illud donum perſeuerantiæ, vſque in finem, quæ ſolius eſt prædeſtinati. Proderit hîc meminiſſe luculentæ ſententiæ Gregorij Magni. *Ioſeph*, inquit, *qui inter fratres iuſtus perſeueraſſe dicitur vſque in finem, ſolus talarem tunicam habuiſſe perhibetur. Nam quid eſt talaris tunica, niſi actio conſummata? Quaſi enim protenſa tunica talum corporis operit, cùm bona actio ante Dei oculos, vſque ad vitæ nos terminum regit. Hinc eſt, quod per Moyſem caudam hoſtiæ in altari offerre præcipimur; vt videlicet omne bonum, quod incipimus, etiam perſeueranti fine compleamus. Benè igitur cœpta, cunctis diebus agenda ſunt, vt cùm malum pugnando repellitur, ipſa bona victoria conſtantiæ manu teneatur. In caſſum bonum agitur, ſi ante terminum vitæ deſeratur: quia & fruſtra velociter currit, qui priuſquam ad metas veniat, deficit.* *Gregor. l. 1. Mora. c. 21.*

Vt ergo rata foret ſalus æterna Capucini Hieronymi, ille identidem in extremis repetebat præfata iam verba deſumpta ex Sancto Auguſtino. *Hîc vre, hîc ſeca, dummodo in æternum parcas.* Hoc anhelo voto petens per- *Auguſt. lib. de bono perſeuer.*

ſeuerantiam vir ille inſignis, æternum ſibi ſilentium indixit: nam ſtipatus orantibus in eius cella fratribus, demiſſis oculis, quos antea cœlum verſus erexerat, conticuit, cum morte congrediens. Illa finalis perſeuerantia in bono, aſſertore Auguſtino, fuit ſumma precum, quas Chriſtus Eccleſiæ ſuæ præſtituit, vt ſpecimen orandi, à Sanctis etiam omnibus obſeruandum. Sic ille: *An quiſquam Sanctorum eſt, qui non ſibi poſcat à Deo, vt perſeueret in eo?* Hactenus Auguſtinus, qui & in ſingulis quibuſque petitionibus ex Cypriano probat, perſeuerãtiam in gratia fuiſſe ſcopum, in quem Sancti omnes tota ſuæ vitæ ſerie collimarunt.

Hoc operæpretium ex Sanctis Doctorum oraculis delibare fuit, ne illa Hieronymi Narnienſis anxietas circa donum illud arguere videatur animum perpuſillum. Faxit Deus, vt lectores huius hiſtoriæ eundem & cum illo patre ſpiritum concipiant; vtique timoris iudiciorum Dei, quæ ſecretis librata ponderibus in obſcuro ponunt ſalutem omnium noſtrum, quæ vt certa velut clauo trabali figatur, eſt induenda Cigalæ Cardinalis indoles, quæ fuit facta palàm hoc ſymbolo. Pinxit ille manum pulſantem ad ianuam clauſam hoc titulo adiecto: DONEC APERIATVR. Ita Deo iugi oratione fuit importunus Hieronymus noſter. Nempe crebro pulſans habuit in morte patens oſtium vitæ æternæ, quam piè credo ſubijſſe virum illum, qui ſacris Eccleſiæ procuratus, in media Fratrum Capucinorum corona Deum deprecante, ſuſpiranti ſimilis animam efflauit quatuor horis ante meridiem, die decima tertia Septembris, id eſt peruigilio Sanctæ Crucis, ætatis ſuæ anno ſeptuageſimo, & reparatæ ſalutis milleſimo ſexcẽteſimo trigeſimo ſecundo; vitæ verò inter Capucinos actæ, quinquageſimo quarto; ſedente Vrbano VIII. cui & apprimè fuit charus, vtpote ab eo multis gratijs inſignitus.

Terrus 2. par. Theatri.

Nota

Nota, diem exceſſus eius fuiſſe diem, quo & Seraphicus Pater noſter Franciſcus habuit primo ſacra ſibi inuſta cœlitus ſtigmata Crucifixi. Licet enim feſtũ ſtigmatum illorum translatum ſit in diem decimam ſeptimam menſis; ex fideli rei huius recenſione liquet, in perui-gilio Sanctæ Crucis Beatum hunc Patrem fuiſſe notis Chriſti paſſi cœlitus illuſtratum. Ideoque reor non eſſe citra gratiam aliquam, quòd Hieronymi occaſus inciderit in diem ſacrum myſterio Paſſionis Chriſti inuſtæ corpori Beati Patris noſtri Seraphici; vt qui confixus erat Chriſto degens in hac vita, illa die iudicãdus Chriſto Domino ſiſteretur.

Mortuo Hieronymo Narnienſi quantus honor ſit habitus. Caput XLIV.

APPOSITE' quiſpiam dixit olim extincta corpora Senatorum afflare ſuauiſſimum odorem, quo Roma recreata vitam ſic Patrum conſcriptorum, magno vtique ſuo commodo recolebat. Increbuit hoc effatum, quia Romani Senatores hoc quondam indixere ſibi negotium, vt verbo, & opere Reipublicæ conſulerent. Vnde ſuccedente fato licet iam ſepultis, ſuperſtes eorum memoria, vitam eorum, dicta & opera refricabat. Quæ omnia cum ſpirarent virtutis indolem, inualuit illud encomium in eorum gratiam, videlicet, benè olere eorum corpora, inuita etiam morte fragrantiam afflantia, quia aſpecta hæc corpora quamuis inanima, ſuggerebant optima conſilia, & ſpectatores ad ardua prouocabant. Hieronymo Narnienſi quadrat illud elogium: nam eius corpus emortuum, in Eccleſia propoſitum, vt pietati fidelium ſatisfieret, qui eum Romæ

prædicantem tot annis audierant, ad ſe Romam totam allexit; quæ audita viri huius inſignis morte confluxit in ædes ſacras, vbi proſtabat corpus illud exanime ſpirans virtutum omnium fragrantiam, quam viuus aliàs exhalarat. Diſcolor erat hominum illic adſtantium ſenſus: nam Capucini circumſtantes, viſo Patre ſuo Generali extincto, memores orbitatis ſuæ flebant; alij verò ex ſæculo homines ſtupebant eſſe in homine mortuo viuidum colorem, & faciem elegantem. Eius caro lenis erat vt puerorum: ſi namque puer à puritate nomen habet, Capucinus ille purus toto vitæ ſuæ contextu, debuit & mortuus oculis omnium ingerere ſartæ tectæ ſtemmata puritatis.

Vt Hieronymus in humanis degens effecerat ſibi nomen grande, pietatis, & doctrinæ obſequiô, ſic & defunctus conciliauit ſibi reuerentiam tantam, vt turbæ in fruſta reſecantes attritam eius veſtem, fratres adegerint conſulere ipſius, alio tegmine nuditati. Antequam corpus exponeretur apertum eſt, & exenteratum, vt reſciretur cauſa foci, quo viuentis olim cor iugiter exarſerat, vſque etiam ad veſtem cordi proximam illo velut incendio ambuſtam. Medici neſcij cauſæ foci illius, hoc habuere in votis, videre, an ardor ille naturalis eſſet, an deſuper amore Dei cœlitus influẽte. Vt non eſt credula nimis diſciplina Hyppocratis, ſuſpicati ſunt Medici Hieronymi Narnienſis hepar fuiſſe fomitem incendij huius, ac proinde fore, vt occurreret eis hepar aduſtum, & omnia conſequenter hoc igne viſcera concremata. Sed corpore execto, & luſtratis extis, apparuere ſana præcordia, tincta ſicut eſſe ſolent hominis in ætate vegeta ſublati de medio. Vnde ſtupens Medicus affirmauit, calorem illum, qui depaſcebat intima Hieronymi, fuiſſe quidpiam huic homini ſingulare; quia ille ſenex ſine vitio hepatis, aut viſcerum, inextinguibilem habe-

bat

bat in corde focum, quo ſine diſcrimine vitæ viſcera conflagrabant.

Eo ſpectaculo adſtantes omnes magnam concepere fidem de pietate Hieronymi, cuius ſanguis exceptus eſt faſciolis & linteis, & ſpongijs, pro monumento æterno Capucini huius, qui deinde iuris publici factus in Eccleſia, fuit magno concurſu Prælatorum & populi viſitatus. Mirabantur omnes æternitatis imaginem in mortuo, pulchriore quam cùm ſoſpes eſſet. Confluente Roma ad exequias iſtas, ad aſpectum huius mortui tam formoſi procumbebant omnes ad pedes eius, vt eos venerabundi oſculo dignarentur. Decor enim ex corpore illo emergens ſuſpicionem longè lateque fecit altiſ cumuli meritorum.

Illic aderat Reuerendiſſimus Magiſter ſacri palatij, inclyti ordinis Prædicatorum ſuo ſæculo maximum ornamentum. Is erat Pater Nicolaus Riccardius, in quem multa chariſmata cœlitus influxerant. Doctrina, pietate, & gratia prædicationis ita excellebat, vt dignus eſſet nomine Triſmegiſti. Vt erat affectu intimo iunctus Hieronymo, ita & voluit in gratiam eius ad populum orationem texere funeralem. Toto contextu lugubris illius argumenti comparauit Hieronymum cum Ioanne Baptiſta, dicens eum fuiſſe lucernam lucẽtem, & ardentem. Vrgente amore ſeipſum vicit ille encomiaſtes, qui vt in prædicando fuit ſemper magnus, illa die maximus extitit, & id ad ſtuporem ſuorum omnium auditorum.

Profectò fuit funebris hæc oratio, vtpote tota madẽs fletu, quo ſermo deſudans omnium adſtantium lacrymas excitauit. Ille crebro iacentem Hieronymum affatus eſt, vt Ambroſius fratrem ſuum Satyrum exanimem. *Quid te, mi frater amantiſſime fleam? Non enim perdidi vſum tui, ſed commutaui, ante corpore inſeparabilis, nunc indiuiduus affectu; manes enim mecum, ac ſemper manebis. In* *Ambr. orat funebri de Satyro.*

iſto enim corpore, quod nunc exanimatum, iacet præſtantior vitæ meæ functio, quia in hoc quoque quodgero corpore vberior tui portio; numquam enim totus in me fui, ſed in altero noſtri pars maior amborum, vterque autem eramus in Chriſto. Quia lacrymæ erumpentes obſtabant, ne orator ille ſummus ad arbitrium ſuum prædicaret Hieronymum, ille ſuum hũc luctum damnans, ait ſe pie credere Hieronymum non egere fletu, ſed iubilo teſtante vitam eius fuiſſe à vitijs omnibus illibatam. Ita & Ambroſius ſeipſum arguit ob intempeſtiuum fletũ in morte ſui fratris. *Fleant*, inquit, *qui ſpem reſurrectionis habere non poſſunt, quam non ſententia Dei eripit, ſed fidei inclementia. Interſit inter Chriſti ſeruulos, idolorumque cultores, vt illi fleant ſuos, quos in perpetuum exiſtimant interijſſe. Illi nullas habeant lacrymarum ferias, nullam triſtitiæ requiem conſequantur, qui nullam putant requiem mortuorum: nobis verò, quibus mors non naturæ, ſed vitæ iſtius finis eſt, fletus omnes caſus mortis abſtergat.*

Ibidem.

Illa die prælati multi fecere rem ſacram pro Patre Hieronymo, nec vllus erat qui vacaret ab encomijs huius defuncti. Sed dum concepta Patris huius gloria recreabat animos, multi ſecus hinc plangebant arbitrati mortem virorum illuſtrium eſſe Eclypſim Solis mala ſemper aliqua portendentem. Hieronymo namque ſuperſtite multa fiebant eius intuitu, quæ fieri poſtea deſiere extincto hoc ſydere; ideoque dies extrema viri huius magni, nihil omnino boni præſagijt orbi, nec Vrbi. Sed ſumma mali labes affecit gregem, quem ille bonus paſtor, alteri tradidit exceſſurus. Ideoque Capucini circumſtantes male ſibi ominantes ob ſublatum Hieronymum, non poterant temperare ſibi à lacrymis; vt nec olim Bernardus in morte ſui fratris Gerardi, memor exemplorum, quibus in cœnobio alijs fratribus illucebat, Ille zelus perculit & Capucinos teſtes exequiarum

Hieronymi, memores virtutum, quas ille degens in humanis ſedulus excolebat. Verſabant animo Patrē hunc fuiſſe decus & ornamentum religionis noſtræ, quæ eo moderante clauum eius, magna gratiarum, & diſciplinæ ceperat incrementa. Singulos quoſque fratres credo in hoc funere vſurpaſſe voces, quas in morte ſui fratris Bernardus querulus emittebat. *Frater*, inquit, *erat religione germanior: puſillus corde eram, & conſortabat me: piger & negligens, & exaltabat me: improuidus, & obliuioſus, & commonebat me. Quo mihi auulſus es? Quo mihi raptus è manibus, homo vnanimis, & ſecundum cor meum? Amauimus nos in vita; quomodo in morte ſumus ſeparati? Omnino opus mortis horrendum diuortium. Quis enim tam ſuaui vinculo mutui noſtri non pepercisſet amoris, niſi totius ſuauitatis inimica mors?* Hæc ille appoſitè ad ſuſpiria, & ſingultus fratrum, qui Hieronymo Narnienſi mortuo parentabant. Bern. ſerm. 26. in cant.

Finita oratione funebri, corpus illud amotum eſt ab Eccleſia, & concluſum theca cypreſſina cooperta plumbo, impenſis, & cura Cardinalis Ludouiſij benè affecti erga Patrem Hieronymum, qui & impensè coluit illum Cardinalem religionis noſtræ protectorem; qui & poſt duos menſes à Hieronymi morte fatis ceſſit, ægrè ferens, ſe in occaſu ſuo, eſſe patre Hieronymo deſtitutum. Vt Vrbanus Papa accepit obijſſe Hieronymum, ſanxit, vt conducto pictore induſtrio, germana & ſincera Patris effigies graphicè pingeretur. Quod Deo fauente ſic ſucceſſit, vt è tabula eius imago viuax recreet omnes conſcios meritorum tanti viri. Præter imaginem eius, Cardinales, & Principes diuiſere ſibi ſupellectilem pauperem huius rerum omnium indigi Capucini. Cuius omne penu fuit Breuiarium, aliqua manu ſcripta, funiſque, quo præcinctus erat, inde corona Virginis pendula cum cruce lignea, & icone. Fratres, qui concluſere funus

præ-

præfata theca cypreſſina partiti ſunt ad inuicem veſtis abſciſſæ reſiduum, vt alia ſub diuiſione ſuos intimos facerent participes eius boni. De interiori tunica Patris huius orta eſt ſancta contentio multis petentibus, vt diuiſa plures ſic ditaret. Sed ea tota ceſſit in partem vnius, qui eam præferendo gazis huius ſæculi, hanc credidit eſſe aduerſus omnia mala corporis & animæ munimentum. Potuit ille frater de hac veſte vſurpare illud Sancti Hieronymi elogium de tunica paupere Sancti Pauli Eremitæ, cuius vitam concludit, vt ego illam Hieronymi Narnienſis. *Libet*, inquit, *in fine huius opuſculi eos interrogare, qui ſua patrimonia ignorant, qui domos marmoribus veſtiunt, qui vno filo villarum inſuunt pretia: huic ſeminudo quid vnquam defuit? Vos gemma bibitis, ille natura concauis manibus ſatisfecit. Vos in tunicis aurum texitis; ille ne viliſſimum quidem indumentum habuit mancipij veſtri. Sed è contrario, illi quidem pauperculo paradiſus patet; vos auratos gehenna ſuſcipiet. Ille veſtem Chriſti nudus licet, tamen ſeruauit; vos veſtiti ſericis, indumentum Chriſti perdidiſtis. Paulus viliſſimo puluere coopertus iacet, reſurrecturus in gloriam; vos operoſa ſaxi ſepulchra premunt, cum veſtris opibus arſuros*. Ita Hieronymus imponit colophonem vitæ Pauli. Breuius memet expediam, ſi dixero Hieronymi Narnienſis egeſtatem eſſe gazis in cœlo fœtam, quæ præſtant noſtratis auri cumulis opulentis.

Hic conſulto prætereo catalogum operum, quæ doctiſſimus æquè ac pius homo compoſuit; pauca namque typis mandata ſunt, ipſomet authore præli induſtriam, vt gloriæ humanæ refuga dedignante. Vrgente Cardinale Ludouiſio Capucinorũ protectore dedit luci quaſdam conciones habitas in ſacro palatio: ſed morte inſtante præclara alia opera ſeorſim repoſita æternis tenebris obuoluuntur.

Ne

Ne omnino nobis eſſet ſublatus ille vir inſignis Papa cauit, cum decreuit eius imaginem affabre pingi: ſed ille ſuo ſe penicillo totum debet: nempe color virtutis omnimodæ ita virum hunc impreſſit mentibus hominum, quos conſcios habuit virtutis ſuæ, vt eum mortuũ congruis obſequijs & affectus ſui teſſeris honorarint. In pietatis, & amoris argumentum Reuerendiſſimus Pater Mutius Vitelleſchus Generalis almæ Societatis Ieſu, ſanxit, vt in Eccleſia conſecrata Ieſu, quæ eſt Patrum bene meritorum, ſolemne haberetur officium defunctorum in gratiam Hieronymi, pullo tapete, & lugubri apparatu muro Eccleſiæ nigricante. Sicque Capucinus ille viuens olim magni faciens Ieſuitas, mortuus ab eis magnificatus eſt, & quaſi peplo donatus. Si namque fuit peplum, inſigne velum templo appenſum, vbi Heroum facta palàm erant; geſſere vices pepli aulæa mœſta, quibus ædes illæ ſacræ fuerunt cinctæ: etenim luculenta ſatis erant illa tapetia nigra, Hieronymi Narnienſis ſtemmata meritorum. Inuſtæ peplo virorum illuſtrium imagines appoſitæ tēplis erant adſtantibus aculei ad ſectanda eorum veſtigia: oratio habita in templo de laudibus Hieronymi Narnienſis, aliqua eius lineamenta expreſſit, quibus erit hic ſuperſtes in animo mortalium, qui hæc inſtaurata recens ætati poſteræ refricabunt.

Auctore Tacito, Ex hac vita decedens Seneca, cui negatæ ſunt tabulæ, quibus inſtitueret hæredem, conuerſus ad amicos ait: O amici, cùm fortunæ bonis exuar, ſicut & ſæculo, non peritura bona relinquam, ſed æterna, ſcilicet, imaginem vitæ meæ. Senecam habetote mentibus veſtris iugiter adſtantem, & nihil vnquam excidat vobis Philoſopho indignum. Hieronymus Narnienſis ſola diues rerum omnium inopia, opes præpediente voto paupertatis, nihil niſi ſuam mũdo reliquit imaginem, vtique expreſſam omnigenæ ei virtutis inſitæ penicillo. *Corn. Tacit li. 15. annal*

Aſſe-

Proſper l.2. de vita contemplatiua c.9. Vrbani vſurpat dictum:

Aſſeclæ mundi ea obiecta ſibi addiſcent, quàm ſit omnis pompa fugax, dum recolent Hieronymum recuſaſſe purpuram Cardinalium à Paulo Quinto Papa ſibi de Eccleſia tota benè merito præparatam. Reſcient inde ſacri collegij Proceres in lubrico ſe verſari, quia timuit inde caſum Hieronymus, habens ſuſpectas opes, quæ gloriæ humanæ plerumque litant, eſto Papa Vrbanus Primus exclamet Eccleſiæ gazas eſſe, *Vota fidelium patrimonia pauperum, & pretia peccatorum.*

Quamuis Hieronymi Narnienſis imago proſit omnibus, illa tamen præcipuè pertinet ad filios eius, ſcilicet Capucinos, quibus erat præfectus in patrem Generalē. Ita Scipio ille Magnus annulum, in quo cælatura ſuam viuam imaginem expreſſerat, pro toto penu dilecto ſuo filio deſtinauit. Faxit Deus, vt nos Capucini, Patris noſtri Hieronymi ſpeciem animo ſic verſemus, vt ad inſtar eius componamus ſeriem totam vitæ noſtræ. Proderit meminiſſe ſymboli eius, qui depinxit ſpeculum hoc titulo adiecto: TVA TE FALLIT IMAGO. Nam quæ ſiniſtra ſunt hominis, in ſpeculo dextra fiunt. Quotieſcumque noſmet introſpicimus, lenocinante natura nobis credimus eſſe bona, quæ facimus, licet degeneres à recto virtutum tramite deuiemus. Ne ergo Capucine TVA TE FALLAT IMAGO, contemplare Hieronymi Narnienſis imaginem, vt hanc tandem aliquando referre queas, tranſigendo tuum æuum omne, ſicut ille ſuum à vitiorum fæce ſordida repurgatum. Quantum ſit hæc imago profutura tibi, colliges hoc Senecæ effato. *Aliquis*, inquit, *vir bonus nobis eligendus eſt, ac ſemper ante oculos habendus; vt ſic tamquam illo ſpectante viuamus, & omnia tamquam illo vidente faciamus. Hoc mi Lucili Epicurus præcepit, cuſtodem nobis & pædagogum dedit: nec immeritò. Magna pars peccatorum tollitur, ſi peccaturis teſtis aſſiſtat. Aliquem habeat animus, quem vere-*

Senec. ep. 11

rea-

reatur, cuius auctoritate etiam ſuum ſecretum ſanctius faciat. O felicem illum, qui non actus tantùm, ſed etiam cogitatus emendat. O felicem, qui ſic aliquem vereri poteſt: citò erit verendus.

Beati Patris noſtri Franciſci vita portẽtum eſt admirationem concilians potius quàm ſpem vllam hoc exquiſitum virtutis integræ exemplar aliquando congruis moribus aſſequendi. Itaque Hieronymi Narnienſis idea magis erit concolor indoli noſtræ impari geſtis Seraphici Patris: nihil in Hieronymo Narnienſi vires noſtras vſquequaque premit, & maximè cùm prodigente Dei manu ſuppetat gratia, qua influente viuax fit homo, & animo cataphracto. Sic ſi contingat alicui referre mores Hieronymi, tunc ille rediuiuus erit, & aptare ſibi poterit ſymbolum arboris, quæ exciſa repullulat, hoc titulo adſcito: VICI MEA FATA SVPERSTES. Quotquot enim erunt legitimi Capucini, ſectatores impigri Hieronymi Narnienſis, tot eiuſdem erunt arboris exciſæ ſurculi reſurgentes. Gratia obſtetricante penes nos eſt, inuita etiam morte, vt Hieronimus Narnienſis VINCAT SVA FATA SVPERSTES. *Cæſar Capaccius lib. ſymbol.*

Epilogus Operis.

MYrmecides celebratus olim artifex, inde ſibi conciliaſſe famam, & grande nomen dicitur, quòd effuſæ molis opera ſingulari induſtria, & cæteris hominibus conſcijs eiuſdem artis inuia, in compendia breuia coarctaret. Specimen arduum, & inſigne fuit eius ingenij illa nauis, quam expreſſit omni ſua ſupellectile inſtructam, quam muſca ſuis pinnis, humanis ſubducebat obtutibus, vt auctor eſt Cicero lib. 4. Academicorum.

Aemu-

Aemulabor ego Myrmecidis ingenium in calce Libri huius: quippe totum hunc contextum vitę Patris Hieronymi oculis ſubijciam vno breui elogio, egregiè factorum eius Iliadem, exiguæ nucis putamine tenui perſtringendo.

Summa vitæ Patris Hieronymi Narnienſis.

Reuerendus Admodum Pater Hieronymus Narnienſis, totius Ordinis Capucinorum Vicarius Generalis, Pauli V. & Gregorij XV. Pontificum Concionator Apoſtolicus: cui Vrbano VIII. Pontifice aſſertore, nemo fuit illo ſæculo ſuppar: quem, & idem Vrbanus aſſueto Sacri Palatij pulpito reſtituere fruſtra conatus eſt, ægro viri huius magni corpore reluctante.

Sexdecim annos nactus, ſe voto ſolenniter emiſſo, Deo obſtrinxit: & illo primo ætatis flore ſenis inſtar vitam compoſuit, nec ad ſenectam vſque infantiæ puritatem depoſuit; neque florem, quo virginale decus ei conſtitit illibatum.

Plura ſpecimina virtutis omnimodæ factis

expreſsit, quàm verbis facienda de pulpito ſanxit. Verbi Dei præco, tot ſui præcones habuit, quot ille pios adſciuit, & inſtituit auditores.

Paulus V. eum Sacro Cardinalium Collegio adoptare niſus eſt: ſed hoc vt ille aduertit, ſic ab eo propoſito Pontificis mentem auertit, vt inde Papæ charior, quàm purpura clarior extitiſſet; cautè ratus, eum, qui non in honorum cautes impingit, tutius ad ſalutis portum appellere.

Mors alijs inhumana vitam non illi ademit, ſed redemit, animam à mortali corpore defæcando: quippe tota ſeries eius æui fuit expers næui lethalis: ſeptuaginta nimirum annos, quos coēgit in hoc mundo, mundus egit, ita Sacerdote à confeſsionibus deponente.

Nihil in eo mortale fuit præter corpus, cuius & mors contulit ad vitam illam, qua vt pie creditur, fruitur immortalis.

LAVS DEO.

Lector

LEctor aduerte,in Elogijs Virorum Illuſtrium,quos hoc Libro complexus ſum,nonnulla me obiter attingere,quæ ſanctitatem ipſis videantur adſcribere: perſtringo nonnunquam aliqua ab ijs geſta, quæ cùm vires humanas ſuperent, miracula videri poſſunt: præſagia futurorum, arcanorum manifeſtationes, reuelationes, illuſtrationes, & ſi quæ ſint alia huiuſmodi: beneficia item in miſeros mortales,eorum interceſſione diuinitùs: demum nonnullis ſanctimoniæ,vel Martyrij videor appellatione tribuere. Verùm hæc omnia ita meis lectoribus propono,vt nolim ab illis accipi tanquam ab Apoſtolica Sede examinata,atque approbata;ſed tanquam, quæ à ſola ſuorum Auctorum fide pondus obtineant,atque adeo non aliter, quàm humanam hiſtoriam. Proinde Apoſtolicum S.Congregationis S. R. & Vniuerſalis Inquiſitionis Decretum anno 1625.editum, & anno 1634. confirmatum,integrè, atque inuiolatè iuxta declarationem eiuſdem Decreti, à Sanctiſs. D. N. D. Vrbano Papa VIII. anno 1631. factam,ſeruari à me omnes intelligant, nec velle me, vel cultum, vel venerationem aliquam per has meas narrationes vlli arrogare, vel famam, & opinionem Sanctitatis, aut Martyrij inducere, ſeu augere, nec quicquam eius exiſtimationi adiungere, nullumq.gradum facere ad futuram aliquando vllius Beatificationem,vel Canonizationem,aut miraculi comprobationem: ſed omnia in eo ſtatu à me relinqui, quem ſecluſa hac mea lucubratione obtinerent, non obſtante quocunque longiſſimi temporis curſu. Hoc tam ſanctè profiteor, quàm decet eum, qui Sanctæ Sedis Apoſtolicæ obedientiſſimus haberi Filius cupit, & ab ea in omni ſua inſcriptione, & actione dirigi.

Ego Frater Marcellinus De Piſe Matiſconenſis Prædicator Capucinus.

INDEX

INDEX RERVM,

Quæ conducunt ad conciones texendas.

ABſtinentiæ amantes fuere viri omnes magni, quos recenſet S. Hieronymus. pag. 333
Adoleſcentia vicina lapſibus. pag. 38
Adoleſcentia libidini obnoxia. ibid.
Adoleſcentiæ bella, quanta. 90
Adoptandi ritus olim coram Pontifice. 38
Aetas omnis virtutibus idonea. 63
Adorare Deum in ſpiritu, quid ſit. 287
Ambitus crimen, quibus legibus coërcitum. 195
Amor Dei in nos in Chriſti Paſſione patet. 234
Amor Dei nos in cœlum euehit. 239
Amor Dei animas efficit pulchras. 241
Amor diligentiam acuit. 91
Amor intenſus, in intenſa ſæpe cedit odia. 144.145
Amor Dei, quàm intimè Deo nos vniat. 228
Amore Dei languet anima. pag. 229.236
Amoris Dei neceſſitas. 230
Amor Dei meditate Paſſionē Chriſti accēditur. 232.233
Amori Dei, nihil eſt amarum. pag. 235
Amoris Dei ſacrarium eſt cor humanum. 237
Amore ad Deum itur. 242
Amoris Dei expertem animam, quàm ſeuerè arguat Bernardus. 256
Amor Dei, aduentum Dei in nos prouocat. 256
Anima, quando Dei habitaculum fiat. 77
Aqua ſacris olim aſperſa, quid ſignificet. 259
Athanaſius puer valide baptizauit alios pueros. 67

B

BOna opera, quare dicuntur eſſe in triplici genere,

re, ſcilicet, ieiunium, oratio, eleemoſyna. 21

C

CAro quare pœnitentijs maceranda eſt, ex Origene. 307.311
Carnis cura damnata à Sanctis. 306.309
Caro quare mortificanda. 314
Caſtitatis prælia, quàm ardua. 61
Caſtitatis encomia. 351
Caſtitati, quomodo conſulatur ex Tertulliano. 352
Catonis infantis facinus egregium. 62
Charitas glutini comparata à S. Auguſtino. 228
Concupiſcentia, quid ſit. 56
Confeſſio decorẽ animæ conciliat. 240
Coriolani pietas in matrem. pag. 108
Crux eſſe debet familiaris. 39
Crucis imago luxuriæ inimica. 40
Crux S. Thomæ Aquinati fuit ſalutaris. 41
Crucis ſigno mare tumens coercitum. ibid.
Crucis ſtigmata ſunt portanda. 312.313
Currendo aliqui homines feras ſuperarunt. 89
Curſores aliqui prodigioſæ pernicitatis. 90
Cyrus puer regis animi quale ſpecimen ediderit. 54
Cyrus à fœmina profligatus. pag. 144

D

DEuotio, quid ſit. 94
Deus auxiliatur opis ſuę indigis. 116.121
Deus, quando dicatur Deus noſter. 135
Deos tutelares vrbium, quibus Romani obſidebant, quomodo conciliabant ſibi. 109
Diuitiæ ſunt impedimenta ad virtutes comparandas. 365
Doctor malus nequit bonos facere diſcipulos. 160
Doctrina ſana, quæ nam ſit. pag. 72
Doctrina & vita debent concordare. ibid.
Doctor qualis eſſe debet ex Sanctis Patribus. ibid. & 8. p. 138. 160. 161. 164. 185
Doctrinæ, & vitæ qualis ordo debet eſſe ex S. Ambroſio. 162

Do-

Doctrina bona, mala opera habere non poteſt. 163

E

ECcleſiam, quare Conſtantinus opibus auxerit. 262
Eccleſiæ conſecratæ, multum conferunt ad orationes ibi fuſas. 76
Eccleſiæ conſecrationis ritus, quid ſignificet. 77
Euchariſtia quo apparatu ſumenda ſit. 254
Euchariſtia, quomodo anima non otioſa ſumat. 21
Euchariſtiæ effectus, quales. pag. 249
Euchariſtiæ ſumptio indigna, quomodo caſtigata. 254
Euchariſtiæ apparatus præcipuus, eſt amor Dei. 256
Examen exquiſitũ, quo Sextius Philoſophus ſuæ vitę ſeriem expendebat. 242
Examinis conſcientia Sanctorum formula. 243.244.255
Exemplis ad virtutem maximè afficiebatur Auguſtinus. 303.304.305

F

FOEminarum conſortia, quare ſint vitanda. 59

G

GEnua ſunt ſedes miſericordiæ. 293
Genuflexiones ante Deum, quare ſint commendatæ. pag. 285.286
Genuflexiones fuere viris Sãctis ſemper familiares. 287. 288.289.290
Genuflexiones in oratione, quantum ſint laudatæ à S. Hieronymo. 290
Genuflexiones conducunt ad eos flectendos, quos precamur. 291.292
Gladiatorũ ſpectacula, quare à Romanis introducta. pag. 326.327
Gratiæ, cur dicantur eſſe ſorores. 73
Gula ferax eſt morborũ. 334
Gulæ cupiditas ſe etiam neceſſitati interſerit. 336
Gulæ laqueos inextricabiles deſcribit Auguſtinus. ibid.
Gula primus eſt hoſtis coercendus militi Chriſtiano. pag. 337

H

Hannibalis rabies in Romanos. 69
Homeri patria quænam fuerit. 1
Honor, quid ſit. 195
Honor, & virtus inſeparabiles. ibid.
Honores quibus deferri velint ſacri canones. 196
Humiliatio ex Bernardo, via eſt ad humilitatem. 217
Humilitas duplex ex Bernardo. 213
Humilitas honorata, rara virtus. 17.49
Humilitatis ſigna indubia. 18
Humilitatis ſurculus eſt patientia. 19
Humilitas omnes alias virtutes animæ humili conciliat. 19.53
Humilitati à iuuentute S. Hieronymus ſtuduit. 51
Humilitatis ſedes, qualis. 53
Humilitas eſt menſura, cuius obſequio aliæ virtutes regulantur. 54
Humilitas gaudet opprobrijs. pag. 214
Humilitas creſcit, adiecto ſibi honore. 215
Humilitas, qua meditatione queat conciliari. 216
Humilitas vera, quænam ſit ex Bernardo. 218
Humilitate gloria comparatur. 225

I

Ieiunia immoderata dãnata à Sanctis Patribus. 329
Ieiunij fructus, quales. 23
Ieiunium nõ eſt perfectio, ſed via ad perfectionem. 329
Ieiunij encomia ex S. Cypriano. 330
Ieiunij obſeruantes erant Eſſæi. 332
Ieſu nomen, quàm vtile. 37
Ignis Veſtæ extinctus quo ritu olim reaccẽdebatur. 153
Ignis in templo, qua ſuperſtitione à Perſis accendebatur. 231
Ignis olim à quibus Gentibus pro Deo habitus. 236

L

Lac optimum, quale. 35
Lac in Scriptura ſacra, quid myſticè ſignificet. 36
Lingua, quibus malis obnoxia. 65

Lin-

Linguæ malis, quomodo Plato cauit. ibid.
Linguæ mala à Bernardo recenſita. 66
Luxuriæ faces admotæ iuueni Hilarioni. 39
Luxuriæ ſtimulus, qualis. 57

M

Maria Sanctiſſima, quos præcipuè amore ſuo dignetur. 22
Maria Euæ damna reparauit. pag. 293
Mariæ excellentiæ. 296.303
Mariæ cultus ad Deum refertur. 296.297
Mariæ ſuffragia, quàm vtilia ſint mundo. 298.299
Maria colenda magis eſt bonis operibus, quàm orationibus. 301
Maria eſt omnium virtutum exemplar. 301.302
Milites olim qua ætate ſoluebantur Sacramento militiæ. 181.182
Militiæ olim, quænam ætas apta. 98
Miſſæ olim figura fuit eximia apud Hebræos. 250
Miſſa, quale ſit ſacrificiũ. 252
Miſſæ effectus. ibid.
Miſſa quonam ſit apparatu præuio celebrãda. 257.258
Mortis memoria magnum gratiarum prouentum affert. 379.380
Mortem fratris luxit Ambroſius. 392
Mortem fratris ſui, quomodo luxit Bernardus. 393
Mortis momentum S. Hilarion horruit. 385
Mulierũ fuga ſuadetur à Sanctis. 355.356
Mundus infidelis eſt, vt mare. 88
Mundus cum Aegypto comparatus. 93
Mundus à Bernardo mari cõparatus. 87
Mundus erat exilium S. Baſilio. 5
Mundus quot modis allicere conetur eos, qui ei renuntiare volunt. 93
Mundi fuga exquiſitè commendatur, ab Ambroſio. pag. 339.340
Muſicæ vſus in epulis. 270
Muſicam, quare Plato commendauit. ibid.
Muſica olim quo ritu ſacris adhibita fuit. 270

N

NAr fluuius olim magnus. 2
Narniæ ciuitatis deſcriptio. pag. ibid.
Nobilitas, quando faciat homines illuſtres. 7
Nobilitas S.Baſilij, & S.Paulæ. 8
Nobilitas virtuti adijcit ſplẽdorem. 7
Nobilitas ex virtute pręcipuè attenditur. 8
Nobilitatem literæ commendant. ibid.
Nobilitas virorum illuſtrium quare recenſetur. 11
Nobiles ab alijs olim, quomodo diſtincti. 46
Nocturnum tempus ex Ambroſio maximè aptum, ad deuota Deo obſequia rependenda. 272.273
Numenij gratitudo poſt victoriam. 142

O

OBedientia, quale Deo ſacrificium offerat, ex S.Gregorio. 366
Obedientia omnes alias virtutes homini conciliat. 368
Opera bona ſunt vanitati obnoxia. 75
Orationis attentio, quomodo concilianda. 269
Orationes Sanctorum diſtractionibus inficere ſæpe conatus eſt dæmon. ibid.
Orationis attentionem præpedit corpus. 268
Orationem ſuam crebris diſtractionibus obnoxiam deflet Bernardus. 267
Orationem debet mortificatio comitari. 84
Orationis cum myrrha ſocietas. 83
Orationes ſuas Gentiles ſanguine cruentabant. 84
Oratio, quare loca ſecreta petit. 74.75
Orationem facere clauſo cubiculo, quid ſit ex Auguſtino. 75
Oratio, quid à Deo debeat expectare. ibid.
Oratio facta in Eccleſia conſecrata, maioris eſt ponderis, & momenti. 76
Oratio ſelecta petit animam ab omni crimine repurgatam. 78
Oratio cor & manus vult leuari ex S.Hieronymo. ibid.

Ora-

Orationis, & charitatis nexus. ibid.
Oratio friget ſine charitate. pag. 79
Orationis fumus quàm potens in dæmones. ibid.
Orationis encomia. ibid,
Orationis exercitium, quàm aſtutè dæmones ſatagant impedire. 81
Oratio importuna Deo placet. 82
Orationis vis tota ſita in perſeuerantia. ibid.
Orationes, quare Deus citò non exaudiat. 83
Oratione lumen cœleſte conciliatur. 161
Orationis ſtudium religioſos perficit. 271
Orationis robur ex attentione manat, & non ex oris vociferatione. 275
Orationis encomia ex Bernardo. 274
Orationis virtus in diabolum. 276
Orationis diſtractiones, quale ſint peccatum. 275
Oratio, quomodo facienda ſit ex Auguſtino. 278
Oratio, quare frequētāda. ibi.
Oratio perſeuerātiā petit. 279
Orationi noſtræ Deus propitias aures adhibet. 280
Orationes noſtras Deus magni facit. 281
Orationes noſtræ, quid à Deo debent exigere, ex Auguſtino. 282
Orationis alæ ex Ambroſio, quænam ſint. 283
Orationem, ex Bernardo bona opera commendāt. ibid.

P

Papyrij pueri facinus egregium. 67
Parentum probitas quid conferat proli. 15
Parentes exemplis virtutum præire debēt infātibus. 26
Parentes ante prolem quales voluit eſſe Cato. 27
Parentes impediētes religioſæ vitæ votum, quàm acerbè carpat Bernardus. 106
Parentes religionis voto contrarios habuit Chryſoſtomus. 106
Parthi vnde orti, & eorum mos pugnandi. 70
Paſſionis Chriſti meditatio, quàm efficax ad conciliandam compunctionem. 258
Paſſionis Chriſti meditatio potens ad amorem Dei accen-

cendendum. 232.233
Patientia vermes in gemmas mutauit. 325
Patientiæ deſcriptio eximia ex Tertulliano. 323
Patientia ex Gregorio demõſtrat quantum anima poſſit. 318
Patientia Iob commendata à Sanctis. 319
Patientia Barnabæ Eremitæ. 321
Patria virorum illuſtrium ſcitur. 1
Patriæ amor nimius, eſt muliebris. 5
Patriam ſuam ſolo adæquatã reſtaurauit Demetrius. 6
Paupertatis voluntariæ encomia ex SS. Patribus. 361. 362.365.
Paupertas nos idoneos facit ad pugnandum cum diabolo. 364
Peccatũ originale quid ſit. 56
Peplum quid ſit. 137
Peplum quare ſolitum templis appendi. ibid.
Plato grates egit Deo, quod Græcus natus ſit. 6
Plato dare leges noluit Crotoniatis, & quare. 204
Præceptores quales eſſe volebat Cicero. 28
Præceptor qualis optimus. 33.34.72.
Prædicator. Vide ſupra. DOCTOR.
Prædicator qualis eſſe debeat. pag. 72
Prædicatoris egregium ſymbolum. 73
Prædicatoris vita debet eſſe excelſa. 159
Prædicationis vita debet ſtare, & quid hoc ex S. Gregorio ſignificet. 169
Prædicatio quænam ſit dulcis, & vtilis auditori. 170
Prædicatores quinam ſint cõtemnendi. ibid.
Prædicatoris ſymbolũ egregium. 171.180
Prædicator, quare vocetur ſpeculator. 179
Prædicatore velut tuba clangente, ruunt mœnia vitiorum. 180
Prædicationis hora inſtante quam orationẽ fuderit quidã magnus prędicator. 183
Prædicatoris vita debet concordare cum prædicatione. 185.186
Prædicationis egregium ſymbolum. 188
Prædicator quomodo ex S. Gregorio ſe aptare debet ca-

captui auditorum. 192. 193
Prælati attemperare debent miſericordiam,& rigorem. pag. 207
Prælatos quàm benignos voluerit eſſe Bernardus. 209
Prælati poteſtas, quo ſe extendat. 246
Prælati conſtantis exemplum. pag. 246. 247
Prȩlati optimi egregia deſcriptio, ex Sanctis Patribus. 198. 199
Prælati munus olim quinquam viri graues refugerũt. 204
Prælati boni, placere malis non poſſunt. 205
Primitias quare Deus olim ſibi offerri præcepit. 94
Profeſſio religioſa qua ætate queat fieri. 97
Prouidentia Dei non fallitur. 129. 130
Prouidentia Dei circa iuſtos qualis,& quãta ſit. 133. 134
Prouidentia Dei quid ſit. 134
Prouidentiȩ Dei maiora ſigna patent in iuſtis quàm in reprobis. 134. 135
Pſalmodia qualem ex S. Bernardo petat attẽtionẽ. 266
Pſalmodia in primis Eccleſiæ ſæculis vſurpata ſine vocis inflexione. 263
Pſalmodia qualis ſit Deõ grata, ex S.Brigitta. 264
Pſalmodiæ laudes ex S. Ambroſio. 264
Pſalmodiam qualem ſuadeat Ambroſius. 271
Pueri aliqui recenſentur, qui præclara edidere facinora. 67
Pueris quæ doctrina proponenda. 28. 36
Puerorum inſtitutioni, quàm ſolerter prouiderint veteres. 32
Purgari animas tribus modis veteres olim credidere. 241
Purgatio illa animarum accommodata animæ pœnitenti. ibid.
Purgationis ciuitatum ritus qualis. 248
Purũ eſſe,quid ſignificet. 238

R

Religioſa vita ponti cõparata à S.Bernardo. 88
Religio S. Patris Franciſci ſacris canonibus commendata. ibid.
Religionis propoſitum non impedire debet amor parentum. 105. 106
Religioſi egregium reſponsũ ad

ad parentes conantes eum auertere. 106.112
Religio S. Franciſci Deo reuelante fuit inſtituta, vt ſaluti animarum attenderet. 254
Religioſos ex S. Bernardo inficiunt nimia cum ſæcularibus commercia. 212

S

Sacrificauere homines olim multæ nationes. 251
Sacra ritu vario fecere gentes. 259.260
Scientiam quomodo comparauit S. Bonauentura. 157
Scientiæ tinea eſt ſuperbia. ib.
Scientia cœleſtis & humana quomodo differant. 163
Scipionis adoleſcentis egregium facinus. 66
Simulacra ſuorum Deorum, qui nam olim vinculis alligarunt. 121
Solitudinis encomia ex S. Chryſoſtomo. 342.343
Solitudo corporis parũ prodeſt ſine ſolitudine animæ. 346.348
Solitudo quædam, dicta ſolitudo ſuperbiæ, damnata à S. Bernardo. 349
Somnum in altũ ſolem productum damnat Ambroſius. 277
Spartani qua ratione ſuos pueros ad patientiam exercebant. 81
Superbia vinci difficilis. 49
Supplicationes olim fieri ſolitæ, & quo ritu. 261

T

Tentationes ſuas multiplicat dæmon. 103
Tentat dæmon validè Dei athletas 120
Tentationibus noſtris Deus it obuiam ſuis auxilijs. 121
Tentat eos præcipuè dæmon, quos ſcit eſſe ſibi contrarios. 124
Tentationes, quibus non nocere queant. 127.141
Tentationes quali ſcuto eluduntur. 116
Tentationes quare Deus permittat. 127.128
Tentationes non moleſtant reprobos. 124
Tentationes maximè nouitios infeſtant. 129
Tentationes fruſtra petũt eos quos Deus adiuuat. 133
Tentationes debent homines red-

reddere ſolicitos. 149
Trophæa ex auro facta. 137
Trophæa ſuperba à quibus erecta. 138
Trophæa erigere quare fuit olim Regibus Macedonum interdictum. 143
Trophæa vbi erigi ſolita. 136
Trophæum à Bœotis erectũ olim de Athenienſibus: 136
Trophæum Carani à leone deiectum. 143
Tyrij olim ſui Dei ſimulacrũ vinculis alligarunt. 121

V

VAnitas etiam iuſtorum operibus ſeſe conatur inſerere. 49.50
Vanitas bonorum operum merita deprædatur. 75
Verbum Dei quas inaures homini appendat. 69
Verba Dei ſunt ſagittæ. ib. 71
Verbum Dei prędicari debet ſocijs actibus. 72
Veſtaliũ pœna qualis extincto foco. 152
Veſtaliũ ignis quomodo reaccendebatur. 153
Veſtium ſimplicitas laudata. 29.30
Veſtiũ luxus olim quãtus. 30
Victores ſibi non canentes poſtea victi. 144
Virtus toto corpore demonſtranda. 140
Virtutis agones, quales ſint. ib.
Virtutes ſunt concatenatę. 73
Voluptates, quare ſint contemnendę ex S. Baſilio. 306

ERRATA.

PAgina 14. Gregorius. verſu 18. lege, Georgius. p. 22. v. 10. referta. l. refecta. p. 25. v. 8. impuberos. l. impuberes. p. 29. v. 30. Secum. l. Serum. p. 67. v. 33. Propheta. l. Prophetæ. p. 70. v. 19. torpiloquia. l. turpiloquia p. 80. v. 9. tarduis. l. tardius, p. 115. v. 9. augebat. l. angebat. p. 120. v. 7. offenſum. l. offenſus. p. 160. v. 16. euertit. l. aduertit. p. 161. v. 32. magiſtris. l. magiſtri.

Hæc & ſi quæ alia ſunt menda, præli præcipitis ſunt vitio condonanda.